IOAN. VVOLPHII TIGVRINI

NEHEMIAS,

SIVE IN NEHEMIAE
DE INSTAVRATA HIEROSOLYMA
Librum, qui ſecundus Eſdræ dicitur,
Commentariorum Libri tres.

QVO STVDIO CONSCRIPTVS SIT HIC *Liber: quæ res eo ipſo contineantur: quo ordine & modo ſint eædem propoſitæ & explicatæ: quemadmodum item omnia ſint tam ad ciuilem ſcientiam atque ad gubernationem ciuitatum, quàm ad ſacram Theologiam & eccleſiarum curam accommodata: Videre eſt partim in rerum & verborum Indicibus, partim in Præfatione ad Illuſtrem & generoſum virum, Dominum* LVDOVICVM *Comitem Witgeſtenum.*



IOAN. XVI.

Amen amen dico vobis quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

TIGVRI EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS
FROSCHOVERVS. M. D LXX.

ILLVSTRI ET GENERO SO DOMINO. D. LVDOVICO A SEHEN, COMITI IN VVITGENSTEIN, DOMINO IN HOMBERG, &c.

Domino sibi inprimis honorando Ioannes Vuolphius S. P. D.

SI quantam in congressibus colloquijsq; priuatis viri graues & sapientes adhibent curam, vt & in fidissimorũ atq; amantissimorum hominum sinus effundãt cogitationes & voluntates suas: tantam in emittendis & dedicandis libris adhibere prouisionem & cautionem literati viri debent, vt eos patronos suis deligãt libris, quibus ipsos fore gratos & acceptos sperent: intelligo Ludouice Comes, nõ minori mihi in euulgãdis ac dedicandis cura ac prouisione, quàm in cõscribendis atq; elaborandis Cõmentarijs hisce, labore & studio opus fuisse. Cum aũt hinc in amplitudine dignitatis & fortunæ tuę eminentem humanitatem tuam intueor: inde verò operis huius causas omnes considero: non minor mihi spes est, quàm & in opere perficiundo positus labor, & in eodem auspicatò dedicando cura prouisioq; fuit: me quoq;, si Nehemiam illum meum, seu hosce in eius librũ conscriptos Cõmentarios meos tibi Domine, publicè dedicarim, benignissimũ meis laboribus & fidelissimum patronum inuenisse. Idq; cõmemoratis ac ponderatis operis, pariter atq; dedicationis causis, vt intelligas, faxo. Ac primum in ipsius operis causis meam operam, rerum propositarũ materiam, tractationis ipsius formam, & inde percipiendas vtilitates numero. Equidem hic Nehemiæ liber, qui secundus Esdræ apud Græcos & Latinos inscribitur, quemadmodum insignis & tanto in precio apud Hebręos veteres fuit, vt in eorum, qui, ceu prę cæteris conspiciendi viderentur, per excellentiam בכתובים, id est, conscripti nominantur, ordinem & numerũ visus fuerit referẽdus: sic paucis alijs exceptis, difficillimus explicatu fuit. Nam & res suapte natura pariter ac vsu magnas, easq; multis obstructas difficultatibus, & in obscuritate maxima latentes continet: & ad inuestigandas atq; è tenebris eruendas eas omnium penè minimũ auxiliorum habet. Ex eo verò obscuritatis huius causæ existũt, quòd proponit historiam eorum temporum, quæ & ab ætate memoriaq; nostra longissimè remota sunt, & status decursusq; sui testes admodum paucos, ac propè nullos habent. Idq; minimè mirũ videri ijs potest, qui non nesciunt, Hebræas res, non solùm à Græcis historicis vel ignoratas, vel ita contẽptas fuisse, vt nulla memoria dignæ viderentur: verum etiam ab Iudæis ipsis partim ocij pacisq; inopia non potuisse mandari monumentis literarũ, partim fastidiri præ Græcis negligiq; cœpisse. Nam & proximis ante exilium Babylonicũ temporibus doctores partim in exilium profligati, partim è medio sublati, scholę dissipatæ, bibliothecæ euersæ crebris bellis: & in ipso exilio paucis quibusdam adolescentibus alimenta atque subsidia ad sapientiæ studiũ data, reliquis clausæ scholę, pistrina aperta: post exilium adeo nihil ad artes atq; disciplinas patrias recolendas ocij fuit, vt ad vrbis ędisq; sacræ instaurationem, ad declinandas insidias, ad propulsandas hostium impressiones, omnis ordinis, sexus, ætatis hominum operę & excubiæ requirerentur. Paulatim deinde inclinante ad interitũ imperio Persarum, cum florere tam rerum gestarum gloria, quàm doctrinę præstantia subinde magis ac magis inciperent Græci: partim earum, quas Iudæi cum Græcis ac Romanis inierant, amicitiarum atq; societatũ vsu, partim priuatę glorię studio factum fuit: vt ipsi quoq; Hebręorum Doctores maiore Græcarum quàm Hebręarum literarũ atq; artium

ſtudio ducerentur. Quò minus mirandū ſit, accidiſſe: vt huius temporis rerum re-
citatorem excepto Nehemia, nos Hebræum neminē habeamus: Herodotum item
& Thucididem, & Xenophontem, & Diodorum Siculum hiſtoricos excellentes,
ſilentio præteritis rebus Hebræis, Perſicas atq; Græcas eleganter & copioſè deſcri
pſiſſe. Ac quanquam Ioſephus atq; Philo præſtantes eloquētia pariter ac doctrina
viri, ſtuduerint aliquod, præſertim apud gentes exteras, Hebraicis rebus lumen
afferre: tamen alter & horum temporū hiſtoriam non attigit, & acta ſuperiorum
ętatum allegoricis expoſitionibus ita inuoluit, vt alienis à pietate religioneq; vera
hominibus propè fabuloſa videantur: alter illas quidem res recenſet, ſed neq; cer-
tam temporum ſupputationē, neq; eorum, quæ circa perſonas, res, loca, geſtarū re
rum modum atque cauſas, venire in quæſtionem poſſunt, expoſitionem certam ac
ſolidam vllam affert. Cumq; multi in reliquos ſacros libros extēt veterum ſimul ac
recentium authorum cōmentarij, quibus tanquam inſtrumentis ad rerum ac ver-
borum intelligentiā penetratur: in hunc Nehemiæ librum perpaucæ, eæq; ſanè-
quā anguſtæ & conciſæ expoſitiones extant. Et ſane duos ex Hebræis vidi: Rabbi
Solomonem Iarchum, & Aben Ezram. Qui breues ſunt admodū, & præterquam
quòd Grammatica quadam ſcripturarum collatione iuuare ſtudent, perparum
quod ſit operæprecium, præſtant: partim quòd anilibus nenijs ſæpius moueant ri-
ſum, quàm acu rem attingant: partim quòd mihi præſertim in illorum doctrinis
parum admodū exercitato minimi precij merces labore maximo vendere videan
tur. Sed ab illis quid requiramus, qui non ſolum nulla ſunt exculti doctrina libera
li, verum etiam mentes habent ita Moſaico illo, cuius Apoſtolus meminit, velo ob
ductas atq; impeditas, vt quò minus veritatis lumen aſpiciant, horribili cæcitate
prohibeatur? Ex Gręcis deinde, nullius, quē quidem ipſe viderim, in hunc librum
ſcriptus cōmentarius extat. Habentur autem in cōmuni ſcholarum & doctorum
vſu, trium ex Latinis authorum, Bedæ ſcilicet & Lirani & Pellicani in hunc editi
commentarij. Qui licet ita boni ſint, & referti doctrina multiplici: vt & vtilitatem
populo Christiano, & gloriam authoribus ipſis afferant maximā: tamen quod om
nibus ijs, qui illos inſpexerunt, eſt exploratè cognitum, atq; etiam illis ipſis, ſi ſuper
ſtites eſſent, foret confitendum: partim exiguā copiam rerum ſuppeditant, partim
plurimas res ac voces alijs reliquerunt explicandas. Etenim Beda, qui propter inſi
gnem probitatē venerabilis appellatus, & editis optimis libris, & inſtitutis ad vti-
litatem eccleſiæ, maximis viris optimè de re Chriſtiana publica meritus exiſtima-
tur: id huius expoſitione libri conſecutus eſt, quod & ſtuduit, & eius ipſius inſcri-
ptione præ ſe tulit: vt eruta ex rerum ac verborū inuolucris myſteria ad ædificatio
nem eccleſiaſticam transferret atq; accōmodaret. Etſi verò Liranus ob id laudem
pariter atq; gratiam maximā mereatur, quòd in maxima bonorū & doctorum &
librorum inopia, aditum ad ſacrorum præſertim veteris Teſtamenti librorū lectio
nem atq; intelligentiam ſuperioribus aliquot ſeculis obſtructum, cōmentarijs ſuis
aperuit ac dedit: tamen negari non poteſt, multa ad verbum ab eo ex Bedæ libris
mutuata, plurimas etiam res ac voces vel nondum ſatis explicatas, vel planè præ
termiſſas eſſe. Maximum autem ac propè incredibile ſtudium explicandæ atq; illu
ſtrandæ ſcripturæ ſacræ in Conrado Pellicano reuerēdo patre & præceptore meo
diuinitus accenſum fuiſſe, id argumento certiſſimo clariſſimoq; eſſe poteſt: quòd
admirabili modo & labore maximo in Hebraicarū literarum notitiā penetrauit,
eaſq; poſtliminio reuocauit: quod & Chaldæis illis paraphraſibus, quas תרגומים
illi vocant, & ipſorū Hebræorum cōmentarijs transferendis aſſiduam operam na
uauit: quòd tota Biblia cōmentarijs illuſtrauit. Sed quoniam hoc vnum ille et egit,
& in præfatione eſt profeſſus ipſemet, operā ſe dediſſe: vt præcipua ſolum doctri-
næ Chriſtianæ capita & præcepta moralia cōmonſtraret, ac poſteris præberet po-

tius

tius quàm præriperet ad vberiores expoſitiones occaſionem; nec mirum eſt, nec alienū ab eius inſtituto, multò minus optimi doctiſsimiq; viri culpæ & vitio dandum, quod in eius cōmentarijs multa adhuc ad Nehemię rerū & verborū notitiam prouehendā neceſſaria deſiderantur. Quod enim voluit atq; ſtuduit, notas potius quàm tractationes rerum afferre: id adeò cumulatè præſtitit, vt ex ſingulis propè expoſitionis eius membris ſingulæ præceptiones hauriātur. Habui pręterea Theodori Bibliandri doctiſſimi præceptoris mei in hunc librum ex ore eius docentis exceptas & manuſcriptas expoſitiones. Verum eæ, quoniā ab ipſo authore nec dictatæ erant, nec editæ, & paraphraſis potius, quàm pleni & res voceſq; omnes aut pleraſq; ſaltem explicantis cōmentarij ſimilitudinem referebant, multum quidem ad authoris ſenſum percipiendum, verum minus ad inſtitutū meum ſubſidij mihi attulere. Ad ſummā, quæcunq; ad rerū toto hoc libro propoſitarū explicationem requiri videbantur, earum partē maximam aliunde mihi conquirendā fuiſſe, qui cōmentarios ipſos inter ſe contulerint, facilè deprehendent. Ad verborum autē vim ſignificationemq; propriam inueniendā, nonnullā mihi Græca præſertim in Codice Complutenſi propoſita verſio: maiorem Latinæ translationes, & quædam etiam in alias hac ætate celebres linguas transfuſa Biblia: maximā Lexica, & Franciſci Vatabli doctiſſimi viri ſcholia, opem attulere. His cognitis ac conſideratis rebus, nec obſcurum cuiquā amplius erit, quantam habuerit huius libri interpretatio difficultatem: nec mirū videbitur, credo, qui ſit factum, vt in alijs explicandis tam multi, in hoc illuſtrando adeo pauci, ijq; ipſi non quantum in alijs conſueuiſſent, ſibi laborandū exiſtimarint. Mihi verò in eam curam ac cogitationē incumbenti, vt eiuſmodi in Nehemiam noſtrum cōmentarios pararem; quibus non ſolum ſtudioſis lectoribus ad rerum & verborum intelligentiam, quantum maximū apparari poſſet, auxilium afferretur: verumetiam alijs, qui illis vti vellent ad docendum ſuppeditaretur plurimarum etiam in contrarias partes rerum & ſententiarum, itemq; exemplorum copia: aliam expoſitionis viam rationemq; ineūdam ipſe iudicaui. Ac primum translationem Latinam veterem, quam Vulgatam vocant verſionem, quoniam ſecundū eam, & factæ ſunt quæ vocantur Concordantiæ, & diſputationes pleræq; paſſim inſtituuntur, retinendā quidem illam, ſed cum Græca tamen Latiniſq; alijs conferendam, & ad Hebraicam veritatē recognoſcendam duxi. Qua collatione & verborum ſignificatio propria eruitur, & ad ſolidam ſententiarum intelligentiam clariſſimū explicationis lumen affertur. In rerum aūt expoſitione propterea per omnes temporū, locorum, perſonarū, rerū, modi, cauſarum, quas περιστάσεις Gręci, Quintilianus circunſtantias vocant, ad eruenda, quæ in quoq; dicto atq; facto latent documenta penetrandū exiſtimaui: quod vt φύσις οὐδὲν ποιεῖ μάτην, id eſt, natura nihil fruſtra facit, ſic Spiritus ſanctus nullū inane & inutile verbum fundit: quòd hac ratione materia ad docendū maxima acquiritur: quòd deniq; ex his ipſis tam ad cultum animorum, quàm ad vitæ & morum emendationē vtiliſſimæ præceptiones eruuntur. Et præſertim in rerū factarū narrationibus, qui rationem temporum negligunt: hi videntur ignorare, quòd & hiſtoria ſit teſtis temporum: & momentis temporū hæc ipſa, qua nihil eſt ad res gerendas vel vtilius, vel magis neceſſarium, maximè ſeſe proripit atq; appræhendendam prębet occaſio. Locorum autem genera atq; diſcrimina, quantū homines vel ad aliquid audendum allicere, vel ad cauendum admonere queant: quantā etiam ſæpe moueant ſuſpicionem: quàm multam ac variā ſuggerant rerum gerendarum rationem: qui vel mediocriter ſapiunt, omnibus in negotijs cenſent conſiderandū. In perſonis exempla poſita ſunt: quæ & idonea ad omnis ætatis, ſexus, ordinis homines documenta ſuppeditant, & tantā in oratione quaq; vim habent, vt ijs ipſis homines magis erudiantur ac moueantur, quàm præceptis. Cum item in rerum

tractatione interpretationis omnis cardo visus sit verti: quicquid vel ex bonarum literarũ ac liberaliũ artiũ scholis, vel ex obscuritate naturæ, vel ex fontibus iuris, vsuq; vitæ ciuilis assumi poterat, quod quidē ei, quæ proposita fortè esset, rei cognatum aut affine esse videretur: id omne ad eius illustrationē referendum existimaui. Idq; nulla plane vel ingenij, vel lectionis variæ, quæ quàm curta mihi sint, non nescio, ostentatione: sed & eo, quod in suas ancillas, reliquas scilicet artes & disciplinas princeps hæc facultas habet, dominij iure: & eius, quod interpres omnis in se suscipit, officij ratione. In eo verò, quo quidq; sit vel ad Deum, vel ad homines dictum atq; factum, excutiendo & ponderando modo, vel ob id videtur plurimũ operæ ponendum: quod in eo seu virtus, seu vitium insit, e vestigio cernitur: & si quid insit vitij, quanto hoc interuallo à mediocritate distet, pariter elucescit. Nec minor est causarum quoq; ratio: quando cognitis causis, voluntas certè, qua dicta atq; facta mortalium metimur, nulla amplius vel dissimulatione vel tergiuersatione tegi potest. Hęc dum impensos huic operi labores indicandi studio cōmemoro: simul etiam magnam partem formæ eius cōmonstratam animaduerto. Cumq; ea in tractationis ordine maximè eluceat: quibus ex initijs inchoata, qua dispositą partium serie, & quousque deducta sit interpretatio nostra, iam est indicandum. Intelligendum est igitur hanc nobis ex ipsius libri inscriptione, tanquam ex fonte per illam rerum & verborum seriem deductam, & ad eum quem author ipse est in recitando secutus ordinem, deinceps accommodatam esse: idq; & ijs de causis, quas tituli cuiusque triplex vtilitas suppeditat: & ordinata quadam quæstionum ad illius libri titulum pertinentium consideratione. Etenim tituli magnam libris lucem afferunt, ad res in illis ipsis comprehensas viam aperiunt, & excitant homines ad studium lectionis. Venire verò in quæstionem circa hunc titulum tria illa possunt: vnum, quæ qualesq; sint apud Hebræos inscriptionũ formę: alterum, ad quam earum hæc illius libri inscriptio videatur referenda: tertiũ, quarum rerũ hac ipsa admoneamur. Cumq; & titulorum qualitas in enumeratione formarum, & ad quam earũ hæc sit referenda, clarissimè eluceat: deinceps amplius obscurum esse non potest, hac nos admoneri primum authoris, dein rerum ab eo conscriptarum materiæ, deniq; generis eius ad quod hoc scriptum sit referendum. Vbi primum effigies authoris in ea, quæ Nehemiam libri illius authorē indicat, demonstratione, in personæ eius bene longa descriptione, in eius, quo librum hunc conscripsit consilij indicijs, conspicienda proponitur. Proximo loco rerum hoc libro propositarum materia in singulorum capitum summis indicatur. Postremò videre datur, hoc scriptum, quoniam continet complurium narrationum compositionem, ad earum, quas historias vocāt, narrationum genus esse referendum. In quo dein is ipse, quem author est secutus, partium ordo sese prodit: nempe vt instituta de instauratis Hierosolymis cōmemoratio tribus partibus omnis diuidatur: quarum prima antecedentia, secunda opus ipsum, tertia consequentia referantur. Et in antecedentibus quidem author instaurationis, adhibitis temporis, loci, rerum, & causarum mouentium circumstantijs, capite libri illius primo proponitur: dein secundo capite, apparatus & auxilia ad institutum opus, partim à rege, partim ab ipso deo accepta, positis temporis, occasionis, modi, ipsorum auxiliorum magnitudinis notis, demonstrantur. Quæ nos omnia primo Cōmentariorum libro multis vndiquaq; conquisitis argumentis, causis & exemplis explicamus. Ipsum autem instaurationis opus, tertio, quarto, quinto capitibus huius libri, aliquanta quoq; sexti capitis parte sic describitur: vt tertio libri capite, quemadmodũ opus hoc sit inchoatum, & operæ quæq; in familias certas distributæ: vt quarto & quinto & aliquanta sexti capitis parte, quæ qualiaq; impedimenta sint opposita ciuitatis instaurationi, quæq; fuerint contrà adhibita remedia: vt parte sexti capitis vltima

quemadmodum totius opus hoc sit absolutū, indicetur. Atque hæc quidem nos secundo Cōmentariorum libro persequimur: sed præmissis tractationibus duabus: quarum altera harum descriptionum causas atque vtilitates referimus: altera ponimus ob oculos vrbis Hierosolymitanæ descriptionem. Quæ res autem operis huius perfectionem sint consecutę, bene longa ac concinna narratione per reliquam libri partem referuntur. Eę sunt census populi, pecuniæ publicæ contributio, concio populi, pœnitentia publica, fœderis initi cum Deo obsignatio, census vrbis incolarum & Leuitarum, restitutio publicæ disciplinæ. Quarum priores tres septimo libri capite descriptione tripartita proponuntur: quippe qua primum quo tempore, quorum hominum opera, quam ad formam sit instituta ciuitatis custodia: dein census acti causę, & author & modus: postremò à quibus, in quem vsum, quę res, quanto cum fructu in ærarium sint collectæ, declaratur. Concio populi diuinas leges audientis cap. octauo, ordine eo descripta proponitur, vt duorum festorum celebrium, & rerum earum, quæ diebus festis fieri consueuerunt, descriptiones ob oculos ponantur. Pœnitentiæ publicę descriptio tribus partibus omnis absoluitur, quarum prima pœnitētiæ veræ notæ & effecta, secunda adhibita ad eam intendendam subsidia, tertiò confessionis ex pœnitentia promanantis exemplar, proferuntur. Eam autem, qua fœderis initi cum Deo obsignationem complectitur, narrationem duabus partibus omnem diuidit: quarum altera sponsionis obsignationem, altera capita sponsionis obsignatæ refert. Quemadmodum autem hęc narratio capite decimo proponitur: sic vndecimo capite alia duobus itidem membris, primum vrbis, dein agri Iudæi incolarum collocationem continēs profertur. Tripertitam deinde narrationem caput duodecimum habet: qua census Leuitarum & sacerdotum, vrbis dedicatio, quęstorum ærariorum electio, recitantur. Extrema verò narratione, quæ tredecimo capite continetur, quatuor genera malorū, quibus absente Nehemia ciuitas infecta fuerat, singulari illius prudentia atque industria profligata memorātur. Quorum primum est, quòd templum polluissent: secundum, quòd sacerdotibus stipendia subtraxissent: tertium, quòd legem fabbati violassent: quartum, quòd cum alienigenis matrimonia contraxissent. Illarum rerum omnium materiā, & non solum ad hanc ipsam explicandam, verùm etiam ad vsum humanæ vitæ quicquid visum est transferendum, tertio Commentariorum libro complexi sumus. Atque hoc quidem adeo concinno & pulchro ordine & modo, quoniam quæ ad vrbis huius instaurationem pertinent, omnia recitantur: consequens est expressam in hac adeo concinna atque artificiosa non modo dispositione, verum etiam coagmentatione singularum partium, eam, quæ est historiæ veræ propria, complurium narrationum quasi in vnum quoddam ædificium siue corpus coniunctarum compositionem. Quanquam autem hæc totius operis partitio simul etiam complexa sit ac commonstrarit rerum in eo propositarum materiam: tamen si memoria repetamus illa cœlestia, diuina, arcana, mirabilia mysteria: item illa quibus totum genus humanū, aut saltem magni cœtus hominum vel iuuari plurimum, vel lædi grauiter possunt: illa denique, quibus vel ecclesia Christiana, vel respublicæ & regna tam egent, quàm igne & aqua mundus: certè res magnas & vtiles & cognitu seruatuque necessarias hoc opere proponi necesse est, confiteamur. Quantas autem vtilitates afferat huius libri diligens & ad vsum religionis vitæque ciuilis omnia dirigens & accommodans lectio: cùm hæc illius rerum materiæ descriptio modo proposita, tum singularum partium consideratio, ostendunt. Etenim in ijs, quæ pulcherrimum illud opus antecesserunt, rebus videre datur primum eas, quibus homines ad maximarum rerum & susceptionē excitantur, & perfectionem adiuuantur, causas ac facultates: tum excellentis ad Deum orationis formam, & occasionum querendarum, arripiendarum, ad vsum nostrum conuertendarum rationem optimam: adhæc apparētia in hominis vultu

naturæ & cogitationum indicia: & vt hæc vel celari, vel deprachendi possint. Estque præcipue consideratu dignum, quibus & quantis, quaque arte & fortuna quæsitis opus sit auxilijs ad ciuitates instaurandas: quando, quorum hominum opera, quibus conscijs, quo modo sint hæc eadem adhibenda: qua arte & constantia præclaræ causæ sint aduersus omnem seu astum seu impetum aduersariorum defendendæ. Quis neget hinc ad vsum religionis vitæque ciuilis vtilissima documēta transferri posse? In ipsius operis descriptione tam ciuilis quàm familiaris administrationis exemplar: in impedimentis atque incommodis oppositis & depulsis, singulare pietatis & impietatis certamen, in eoque conatus & consilia, arma, auxilia, fata acque euenta vtriusque. Ex his & ad suscipiendas res præclaras incitamēta atque consilia, & ad obfirmandos atque in præclaris rebus retinendos animos humanos auxilia, sine dubio maxima atque optima petuntur. In ijs autem quæ sunt operis huius perfectionem consecutæ, rebus, quicquid ad ciuilem scientiam pertinet, pulcherrimis illustratum exemplis proponitur. Etenim quæ tempora custodiam ciuitatum maximè postulent, quibus hominibus hæc committi tutò queat, quem ad modū optimè possit institui, quid denique de officio vigilum sit statuendum, in vrbanæ custodiæ descriptione elucescit. Illustres sunt etiam & plurimum iuuant census acti & ærarij contributione publica aucti descriptiones; quippe quibus artibus ars publicarum opum colligendarum pariter & vsurpandarum indicatur. Plurimum autem ad vsum religionis conducit hæc dierum festorum descriptio, ad eam redacta formam, in qua rerum earum, quas diebus festis fieri maximè conuenit, imago præcipuè cerneretur. Eius generis est diuini verbi recitatio, eaque adhibita interpretatione ad intelligentiam vtilitatemque popularem accommodata. Quo referendæ quoque erunt nostræ de linguarum peregrinarum in religionis exercitijs vsu, de scripturæ sacræ interpretatione, de sacrarum concionum optima forma, digressiones. Saluberrima quoque videtur & maximè necessaria pœnitentiæ publicæ descriptio: cum quia notas & effecta veræ pœnitentiæ proponit: tum quia confessionis & historiam Israeliam, & initia salutis humanæ, & illustrem Dei descriptionem complectentis exemplar affert. In reliquis narrationibus plurimæ de sigillorum vsu, de iure aureorum annulorum, de obligationibus, de matrimonijs peregrinis, de sabbato, de colligendis ad cultum Dei sustentandum publicis bonis, de anno septimo, de primogenijs, de decimis, de deducendis colonijs, de dedicationibus vrbium, de Musices in sacris vsu, de electione quæstorum, de profligandis publicis malis & reuocanda publica disciplina saluberrimæ præceptiones proponuntur. Iam si vel ipsi in vitam ac mores populi Christiani, atque in totius reipublicæ statum intueamur, vel vt Hananis Iudæi querelis aures atque animum Nehemias præbuit, sic piorum hominum querimonias nos audiamus: non difficile erit animaduersu quantopere nostra referat, hinc remedia, diuinitus auxilia, ad ea, quibus affligimur, mala depellenda postulare. Equidem cernimus, ciuitatem Dei muris, portis, custodiaque destitutam; eius instaurationem vel furiosorum hominum sectis impediri, vel dolis, insidijs, impressionibus violentis hominum, aut superstitiosorum, aut Epicureorum oppugnari: hinc impurissimorum hominum libidine pudicitiam expugnari: inde fœneratorum acerbissimorum auaritia ciuium opes exhauriri: hinc ebrietate & crapula corpora confici: illic excursionibus mercenariorum militum prouincias crudelissimè vexari: perpaucos autem, qui malis illis occurrere vel audeant, vel queant, inueniri: plerosque adeo spem instaurationis omnem deposuisse, vt censeant hanc in earum, quæ fieri non possunt, rerum ordinem referendam. Quæ cum ita sint, in confesso est: ex hoc libro plurima ad vsum horum temporum aptissima maximeque necessaria documenta propinari: mihique vel ob eam causam in eorum, qui his temporibus maximè conueniunt, locorum com

munium

munium tractationem vberiorem digrediendū fuisse: vt ijs, qui librum hūc susciperent explicãdum in concionibus sacris atq; in templis, vel materiã, si ipsis esset exigua, quantã possem maximam afferrẽ: vel præbuerem saltem ansam ad eam quam iam habent augendam cogitationibus & rationibus nouis. Sed & vt eam, quæ tot tantasq; suis inuolucris tectas habet vtilitates minus ieiunam atq; sterilem relinquerẽ materiam: id in rerum pariter ac verborū expositione semper operam dedi: vt nihil prætermitterem intactum, vel non explicatum, vel nõ adhibitis aliquibus coniecturis meis, doctiorum et acutiorum hominum iudicio remittendum. Quosq; enim ad scopulos offendere & affligere expositionis meę nauim malui, quàm difficultates quasq; tanquam non animaduersas dissimulatione tacita præterire, eoq; ipso alijs eodem ex portu soluentibus deesse. Ac si quid imprudens fortè prætermisi: quemadmodum illa relegens nõnulla prætermissa animaduerti: sinceris & amicis monitoribus habebo gratiã: & quæ defuerint, vel in Esdra, quem & ipsum paro, vel si minus conueniens fuerit, in meis prætermissis Deo dante vitam & gratiam, explicabo. Atq; ex his quidẽ quale, quibus, quàmq; vtilibus rebus refertum, quo labore & studio & modo, quem etiam in vsum elaboratū opus offeram, vtcunq; potest intelligi. Iam quemadmodum qui sunt aliquãtisper in scopuloso difficiliq; loco versati, in tutum aliquem tandem et optatum portum inuehi velint, in quo possint conquiescere, & aliqua cū voluptate & delectatione laborum suorum meminisse: sic ego magnopere mea referre existimo, vt hosce effectos iam Cõmentarios meos, in eius fidem tutelamq; dedam, apud quem non solum in tuto, verum etiam in precio nonnullo esse queant. Ac quoniã nemo velit ea, vel grato animo suscipere, vel magnifacere & aliquibus habere in delicijs, nedū aduersus maleuolorum hominū morsus atq; cõtumelias defendere: quæ fuerint ab eius vel natura prorsus aliena, vel intelligentia scientiaq; remota, vel eius dignitati fortunæq; minus conuenientia: aliquis nimirum etiam mihi cum Nehemia meo quoquo modo conferendus illustris & generosus, & rerum in hoc tractatarum materiæ studiosus simul ac intelligens patronus querẽdus ac deligendus fuit. Qua ratione ad te Ludouice Comes, veniens, tibiq; meos hosce in Nehemiam editos Cõmentarios offerens atq; dedicans, ad eum me venisse virū spero: qui sit illos, & in fidem tutelamq; suã benignissimè suscepturus, & in muneris grati & optati loco habiturus. Eam autem in spem duæ me res erexerunt: vna, quòd & studijs tuis res toto hoc opere propositas atq; explicatas, & amplitudini nominis fortunæq; tuæ dignitatẽ & vitam Nehemiæ maximè conuenire existimo: altera, quòd confido operi meo mihiq; ipsi partim tuapte bonitate & clementia, partim propensa ad bonas ac præsertim sacras literas voluntate & natura tua apertum ad te aditū iri. Quarum altera partim ex quadam iuncta tecum consuetudine præsentiaq; tua, partim ex virtutis fortunęq; tuę fama oborta fuit: altera ex opere ipso mihi illuxit. Etenim anno superiore, cùm Tigurum aduenisses, atq; ad te cū nonnullis celebribus & eruditis viris ego quoq; vocatus & prandẽti, & deambulanti postea tibi præstò essem: multis & varijs tibi de rebus, si memoria tenes, modo ad omnes, modo ad singulos non minus pius ac grauis, quàm prudens & eruditus sermo fuit. Eum postea recolenti mihi, & memoria scitè dicta tua singula repetenti, sic est in memoriam mentemq; reuocata cõsuetudinis eius omnis suauitas & delectatio, & incensum in animo meo desiderium consuetudinis tuæ: vt vel sola recordatione eius suauissimè afficiar, ac neq; humanitatis, neq; eruditionis & sapientiæ tuæ possim obliuisci. Ac quanquam dignitas tua facit, vt animaduertatur quicquid dicas ac facias: tamen in admirationem & obseruantiã præstantiæ tuæ, magis eæ me res induxere: quas vulgus hominum aut non animaduertit, aut si viderit maximè, floccifacit: quasq; in te etiam ab hominibus sapientissimis atq; optimis pariter animaduersas

ae notatas accipio. In quibus primum obtinet locũ, quod tanto cœlestis sapientiæ propagandæ simul atq; cognoscendę studio flagras: vt non legendo & meditando solum te quotidie exerceas, verumetiam pro ea quã non mediocrẽ es consecutus, Latinę linguę notitia, translationes inter sese confetas, & Doctorum cõmentarios inspicias, atq; ex his diuini verbi fontibus haurias saluberrima fidei vitæq; documenta. Quæ res, vt hæc de studiorum illorũ laudibus quasi præteriens referã, tam principibus viris, quàm hominibus omnibus maximè conducit. Nam vt Psaltes indicat, & hominibus omnibus ad tuendam salutẽ atq; incolumitatem suã perinde est necessaria, atq; ad corpora animantium nutrienda, itemq; ad fouendas plantas calor & humor & cuiusq; naturæ conuenientia alimenta: & quemadmodũ internuncio Mose Pater opt. max. ipse docuit, principibus viris cùm ad vsum gubernationis ciuilis, tum ad tuendã authoritatẽ suã inprimis vtilis & cõueniens. Estq; nobis, qui salutis simul & officij mortalium ratione sana ducimur, planè minuenda atq; explodenda corum hominũ opinio, qui Scripturæ sacræ lectionẽ religiosam & assiduam censent solis relinquendã Theologis, & alienam ab reliquorũ ordinum sorte & officio: quando constat testimonijs ipsius sacræ scripturæ, eã ipsam mortalibus omnibus esse, & diuinitus mandatã manifestis legibus, & vtilem maximeq; necessariã. Equidem sit obseruandũ, quod vt olim in ecclesia veteri, cũ sacerdotium tribui Leuiticę demandatũ esset, nihilominus complures ex reliquis tribubus orti Israelitæ sacrarũ literarũ studio scientiaq; clari fuere: sic in ecclesia noua, licet certis hominibus sit cõmissum officiũ docẽdi, tamẽ reliquis hominibus Christianis sunt propositæ multę præceptiones, quibus ad sacrarum literarũ studiũ excitentur. Cuius generis est, quod Col. 3. Paulus scribit, Christianis hominibus enitendũ, vt adeo largam ex Christi verbo sapientiã hauserint, quò mutuũ cõmonefacere & docere queant: quodq; 2. Pet. 1. legimus bene saluti suę consulere eos, qui incumbunt studio propheticæ doctrinæ: quòd hæc eis sit vice lucernæ in obscuro loco lucentis, donec dies illucescat & lucifer oboriatur in animis eorũ. Eòdem etiã sunt referendę sacrarum literarum laudes, quibus modo lux in omnem vitę viam prælucens, modo doctrina consolationẽ & spem & patientiã conferẽs, modo eius quæ cum veritate pugnat doctrinæ confutandæ facultas, modo alia atq; alia bona promittũtur. Principibus aũt, & ijs, qui sunt hominibus reliquis regendis & defendendis destinati, viris, inprimis conuenire & prodesse isthæc studia multæ graues causæ monent & confirmãt. Neq; enim nihil est, quòd suũ cum eis nomẽ Deus cõmunicat: quòd ad hanc suã ipsorum quæ est omniũ difficillima atq; maxima, regnandi scientiã facultatemq; præceptis & institutis verbi diuini instruũtur: quòd authoritate diuinarũ legũ aduersus omnem hominũ contumaciũ vim aduersariã muniuntur: quòd ad Scripturæ sacrę diligentẽ & assiduam non lectionẽ solum verum meditationem etiã authoritate peculiariũ legum adiguntur. Quod genus leges Deut. 17. & Iosu. 1. scriptę extant. Ac quanquã hoc nostrũ seculum eorum hominum feracissimum esse videamus, qui in tetram hanc erroris & inscitiæ densissimis tenebris immersam barbariẽ, è qua singulari Dei gratia superioribus annis educti liberatiq; sumus, reditum parẽt: quiq; hæc sacrarũ præsertim literarum studia tam oderunt & explodunt, quàm negligunt ac contemnunt: erigi tamẽ & excitari pijs heroibus animi in horum studiorũ admirationẽ & cultum debent illustrium virorum exemplis & institutis. Et si minus Iosephi, Dauidis, Solomonis, Iosaphati, Iosiæ, Ezechiæ, Danielis, Nehemiæ, aliorumq; compluriũ, quorũ industria religiosa sacris est celebrata literis, principum præpotẽtiũ & gloriosorũ exemplis moueantur: cogitent saltem sibi non minus esse in diuinis literis operæ ponendũ, quàm Cato Censorius, Iulius Cæsar, Octauius Augustus, Plinius Veronensis, & ante hos omnes Alexander Magnus rex Macedonũ in humanis posuerunt. Si præterea sa-

pientissi-

pientissimum & optimũ Spartanorum regem Agesilaũ magnopere nonnulli propterea laudandum censuerunt: quod nec cubitum ire, nec e lecto surgere, nec quoquam prodire prius consueuisset, quàm Homerũ, quẽ amasium suũ appellabat, inspexisset: si deniq; Scipionem Aphricanũ maximis ea de causa laudibus dignũ iudicarũt, quòd Xenophõtis de Cyri disciplina libros ad effigiẽ iusti imperij potius quàm ad historiæ fidẽ scriptos in manibus semper habuerit: multò maioribus laudibus eos dignos arbitrabimur, qui prophetarũ & apostolorum, & Mosis, ipsiusq; Christi libros cùm ad hominis optimi deoq; gratissimi imaginẽ, tum ad historiæ fidem scriptos habere in manibus solent. Hoc enim eo studio consequentur illi, vt quam prouehere & tueri debent, hanc penitus intelligant & adamẽt, & libentius prouehant atq; tueantur doctrinã ac pietatẽ: sicut vere est dictũ: Quod latet, ignotum est: ignoti nulla cupido: Et ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίνεται ἐρᾶν: quod perinde est ac si dicas, aspectu cietur affectus. Idq; sanè videmus ijs, qui diuini illius fontis aquas hauserint atq; biberint, accidere, vt licet hæ extinguant desiderium aliarũ omnium: ipsæ tamen, vt Peligni vatis verbis vtar, quo plus sint potæ, plus sitiantur aquæ. Quamobrem quò maior est in illis studijs doctrinisq; assiduitas tua: hoc illustriora melioraq; fiunt signa, quibus optimis & sapientissimis quibusq; probas, in his te studijs quam plurimũ profecisse. Hanc verò sapientiam & industriam tuã omnibus hominibus conspiciendã & insignem nobilitas generis, & amplitudo gloriæ fortunæq; domesticæ reddunt. Quemadmodũ enim lucernę lumen quò celsiore in candelabro figitur, hoc pluribus in conclaui illo cõmorantibus lucet: sic virtus, & si maximus eius sit vbiq; splendor, longius tamen ac latius fulget in illustri atq; excelso posita loco. Ac quanquã omnes boni semper nobilitati fauent; tamen ijdem vehementius incenduntur ad honorandos simul ac diligendos eos, quos intelligũt se suaq; omnia comparare ad propagãdam memoriã laudum domesticarũ atq; ad illustrandam nobilitatẽ suam. Cõmendant item eã & acceptam hominibus efficiunt insignis humanitas & comitate condita grauitas. Quam animi moderationẽ Latinæ eloquentiæ Parens in Pompeio, & in Augusto Suetonius animaduersam laudarunt, & in omni præside Callistratus Iureconsultus requirit. Vtilem deniq; & salubrẽ tam exteris quàm imperio tuo subiectis hominibus efficiunt, officiosa planè atq; ad benefaciendum adeo propensa voluntas ac natura tua: qua fit, vt nõ inclusam teneas doctrinam & sapientiam tuã: sed & tuis ipsius hominibus & principibus viris officiosè porrigas ingenij consilijq; tui lumen: idq; & præpotentium ac prudentium virorum consuetudine, & maximarum rerum vsu indies magis ac magis accendas. Quo ipsò profectò illustri comitum ordinis nomini atq; officio probè vitam fortunãq; tuam accõmodas. Cum enim in tui similiũ hominũ virtute priuatis quidem hominibus, fugæ portum, & subsidium salutis: sibi verò maximum decus & præsidium regni positum viri principes norint: tam sua, quàm suorum hominum causa volunt, eos sibi domi forisq; ceu actionum, sententiarũ, voluntatum, rerum deniq; omniũ socios atq; comites præsto esse. Qua ratione qui in regno potestatẽ aliquam haberent cum dignitate coniunctã, quiq; vel imperatorẽ aut regem ipsi comitarentur, vel in comitatu suo clientes multos haberent, Comitum nomine quondam ornabantur: vt erant Comites domuũ, qui præfecti principis familiaribus essent: Comites horreorũ, quibus frugum Imperatoris cura credita esset: Comites laborum, qui ijs, qui Mediastini dicuntur, imperarẽt: Comites sacrarum largitionum, qui militibus stipendia erogarent: Comites sacri patrimonij, quorum fidei patrimonium principis creditum esset. Quod argumento est, olim in Imperio Romano, sicut ante Hugonem Capetum in Gallijs tradunt, Ducatus & Comitatus & Baronias quas vocant, non patrimonij, verum vti Palatinatus & castellanatus & capitaneatus in Poloniæ regno, muneris officijq; nomi-

na fuisse: post virtute & meritis & educatione liberorum egregia, hoc consecutos Comites, vt præmij vice prouincias acquirerent, & filios haberent in officijs successores. Cum aũt illustre sit & magnũ Comitum nomen: & eorũ, qui coniunctam habent cum amplitudine patrimonij dignitatẽ & virtutem, maxima sit, semperq; fuerit apud principes authoritas & gratia: quicunq; aliquid habent ad principes ipsos referendum, quod vt cognoscatur ac ponderetur, vel sua ipsorum, vel reipublicæ censent interesse: hi illorum opera atq; intercessione commodè sanè & prudenter vtuntur. Eademq; ratione Hananis homo Iudæus olim, cum ipsi nullus ad potentissimum Persarum regem Artaxerxem aditus esset: in Nehemiæ quasi Comitis, qui illi erat à poculis, sinum querimonias suas effudit, easq; per eum ceu per aquæductus quosdam cum vtilitate Iudæorum maxima ad regem vsq; deriuauit. Eius exemplum ego quoq;, cui nullus vel ad Imperatorẽ, vel ad reges, vel ad principes vllos aditus patet, nec si maximè pateret, sufficiens tantis rebus ac personis vel prudentię, vel eloquentię facultas esset, iam secutus: Nehemię sanèquã illustris & sapientis, & apud Artaxerxem regem authoritate & gratia plurimum valentis viri diuinissimum opus, idq́ue meis illis quasi de instauranda republica scriptis Commentarijs explicatum, apud te Ludouice Comes, depono. Ac quẽmadmodũ Nehemias auditis Hananis querimonijs, quanam occasione, quo tẽpore & loco, qua ratione, ad quem ea res esset referenda: quæ deinde essent impetrãda auxilia: quorum hominum opera, quoq; modo opus instaurationis suscipiendum, perficiendum, & propugnandũ: quid deniq; eo perfecto deinceps facto opus esset, pro sua prudentia facilè vidit & prudentissimè fortissimeq; procurauit: sic confido fore, vt & tu Ludouice Comes, per ocium inspectis his de republica instaurãda propositis in hoc libro atque explicatis cogitationibus meis, sis pro eo ac rerũ maximarum vsu vales, quò quæq; Nehemiæ dicta, facta, euenta, eisdemq; illustrandis alia aliunde per me conquisita aliorum hominũ iudicia atq; exempla sint referenda, facilè iudicaturus. Sed & opus illud existimo propter & illustre nomen Nehemiæ, & rerum in eo propositarum materiã, & hanc earum explicationis formam, & illarum doctrinarum varium & multiplicem vsum, non ingratum futurum: prę sertim cum tanta sit inter vos dignitatis & fortunæ similitudo: cum sit hæc historia admodum vtilis & iucunda cognitu: cum sit hæc eadem meis Commentarijs non minus ad vsum vitæ ciuilis atque ad gubernationem ciuitatum, quàm ecclesiæ curam ac disciplinam reuocata, & vndiquaque assumptis exemplis ac præceptis ad aliquantam etiam legentium voluptatem & delectationem comparata. Quod certe tibi Domine, qui studijs illis plurimum tribuis, & ea perpetuò paras atq; cogitas, quæ conducunt reipub. afflictæ & oppressæ miseris temporibus, ac perditis moribus, in pristinam libertatem & dignitatem vindicandæ, non poterit, credo, non magnopere probari. Id igitur vnum mihi restat obtinendum: primum apud te Domine, cui librũ hunc offero obseruantiæ erga te meæ testificãdæ causa: deinceps in tui nominis amplitudine apud omnem populum Christianũ, cui mea studia atq; officia deferre & attestari illius editione libri volui: præcipuè verò apud Patrem opt. max. cuius gloriæ propagandæ maximè studui: vt quæ pro obseruantia erga te tuiq; similes viros mea, proq; mea in Deum & ecclesiam, remq; Christianam publicã pietate scripsi, tibiq; dedicaui, benignissimis animis accipiantur, & vberrimos afferant fructus. Quod vt ipse Spiritus sui sancti virtute efficiat, Patrem optimum maximũ in ipsius vnigena filio Iesu Christo saluatore & Domino nostro precor, Amen. Vale Illustris & generose Domine. Datæ Tiguro Heluetiorum metropoli. XIIII. CAL. FEBRVARII. ANNO AB ORBE REDEMPTO M. D. LXX.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM IN HIS COMMENTARIIS MEMORABILIVM. OBSERVANDVM AVtem quod litera b.secundam cuiusque folij faciem indicat.p.verò cuiusque faciei principium: m.medium,& f.finem.

D.

E.

F.

N.

O.

P.

Q.

R.

INDEX LOCORVM SCRIPTVRAE QVAE IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

INDEX LOCORVM COMMVNIVM HIS LIBRIS TRACTATORVM.

LIBRI I. LOCI.

LIBRI II. LOCI.

LIBRI III. LOCI.

F I N I S.

IOANNIS VVOLPHII TIGVRINI IN NEHEMIAM COMMENTARIORVM LIBER I.



MAGNAE sunt & piæ causæ, quibus interpretes veterum inprimisque sacrorum scriptorum optimi quique maximè videntur huc adduci, vt in eorum titulis explicandis nonnihil operæ ponant. Rectæ enim & ad subiectam materiam appositæ librorum inscriptiones multifariã conducunt. Ac primum tantam ferè libris afferunt lucem, quantam sua quibusq; rebus posita nomina perspicuitatem: quando materiam toto libro comprehensam perinde repræsentant, ac cuiusque rei vel vsus, vel natura, vel forma, vel materia posito certo ac proprio nomine significantur. Quò referendum est etiam, quod causis operis aut omnibus, aut aliquibus in titulo cõmonstratis: hoc est, partim argumenti & scripti genere notato, partim edito proprio nomine authoris, nonnulla vel vtilitatis, vel delectationis spes inijcitur. Quorũ altero aditus ad rerum ipso libro conscriptarum notitiam aperitur, altero lector ad cognoscendi studium sic excitatur, vt nulla sit opus alia vel beneuolentiæ, vel attentionis, vel docilitatis captatione. Expediet igitur, vt huius quoque libri inscriptio sic explicetur: vt quæ qualesq; sint sacrorum codicum inscriptiones, & ad quam earum formam hæc videatur referenda, & quarum rerum nos admoneat, intelligatur. Sunt igitur circiter sex earum, quæ libris sacris præsertim apud Hebræos præponuntur, inscriptionum formæ. Prima nullum aliud aut nomen aut verbum habet, quàm id ipsum à quo libri initium est factum. Quo modo Mosis libri quinque, & Hieremiæ Threnorum liber vnus, inscribuntur. Nam primus Mosis liber, qui Genesis apud Græcos & Latinos inscribitur, à prima sua ipsius dictione בראשית. bresebith, id est, in principio, titulum accepit. Eodemque modo secũdum אלה שמות id est, hæc nomina: tertium ויקרא, id est, & vocauit: quartum וידבר, id est, & locutus est: quintum אלה הדברים, id est, hæc verba: itemque Hieremiæ threnorũ librum איכה, id est, quo modo, primis eorum dictionibus Hebræi inscripserunt. Quanquam hunc postremum iidem in Commentarijs קינות perinde vt Græci τῶν θρήνων nominibus eundem in Biblijs suis inscribunt. Hanc inscriptionum formam, & si sit ac videatur rarior, tamen authoribus alijs item priscis vsitatam fuisse docet in Parergis Iuris Alciatus, adductis exemplis ex Aristophane & Vergilio, & Vlpiano veteri Iureconsulto: aduersus eos videlicet, qui id Iureconsultis vitio vertunt, quod leges suas primis ipsarum verbis citatis quasi titulis solent allegare. Secunda autem forma titulorum solum efficientem libri causam notat: posito videlicet proprio nomine eius, qui libri sit author, cuiusmodi sunt Iobi, Iosuæ, Samuelis, Danielis, Esdræ, librorum inscriptiones. Hoc autem ea fit exornatione verbi, quam μετωνυμίαν Græci, transnominationem Latini vocant: vtrique tunc vsurpãt, cum pro re edita aut inuenta nominant authorem. Hoc genus inscriptionibus vsus est Aldus Manutius illustris olim apud Venetos typographus: quãdo pro sesquipedalibus titulis aliorũ, vnum ipse Vergilij, vel Horatij, vel Terentij nomen in primis eorũ librorũ folijs posuisse contentus fuit. Tertia verò forma solum eam, in qua versatus est author, materiã repræsentat: idq; duobus modis. Vno, cum apponuntur propria nomina personarum earum, quæ recitatarũ rerum maxima pars fuere: vt sunt Ruthæ & Hesteræ libri, in quibus illarũ mulierum acta memorantur. Aliter autem operis materia significatur: cum vel officij, vel fortunæ seu conditionis eorum in titulis nomina ponuntur, quorum acta memorantur: vt inscripti sunt Regum & Iudicum libri. Et huius formæ rationes ambas alijs authoribus itidem placuisse, Homeri Ilias & Odyssea & Aeneis Vergiliana & Suetonij Cæsares, denique Platinæ pontifices declarant. Ad quartam autem inscriptionũ formam tituli illi referri possunt, qui certo aliquo nomine tractationis formam exprimunt: vt sunt Cantica canticorum, Psalmi, Verba dierum, seu annales. Quam rationem hi quoque secuti sunt, qui vel Satyrarum, vel æglogarum, vel epistolarum, vel orationum, vel actionum, vel inuectiuarum, vel commentariorum nomina suis libris præfixere. Quintæ formulæ illi tituli videntur esse, qui similes sunt historicarum comprehensionum, quibus quasi quibusdam summis & author, & argumentum libri, & tempus, quo floruit author, & causa qua adductus sit ad scribendum, continentur. Quo modo Ezechielis, Ionæ, Haggei, Zachariæ libri inscripti sunt: & Hebræi plerique solent inscribere suas lucubrationes. Ad sextam formulam pertinent, quibus efficiens causa, ma-

tria forma simul continentur: quemadmodũ videre est in titulis דברי קהלת, id est, Verborũ Ecclesiastis: & משלי שלמה, id est, prouerbiorũ Solomonis, itemq; in Esaiæ, Hieremiæ, Iohelis, Amosi, Micheæ, Nahumi, & aliorum librorum inscriptionibus. Quæ formula plerisque scriptoribus arrisit. Atque ad eam ipsam etiam hæc illius libri inscriptio videtur referenda. Etsi enim duobus nominibus tantum constet: tamen altero causam efficientem, hoc est, authorem, altero formam simul ac materiã refert. Et authorem quidem indicat appositum in titulo nomen Nehemię: formam autem & materiam non obscurè significat Hebræum nomen דברי, id est, vt LXX. interpretes vertunt, [illegible] seu vt transfert author vulgatæ versionis, verborum nomen. Ex quo iam alterum huius de titulo tractationis caput colligi potest: quo videlicet quæritur, quarum rerum hac illius libri inscriptione admoneamur: nimirum vt de authore, de rebus ab eo scriptis, de scripti genere quid sit statuendum, consideremus. Ac de authore quidem cogitanda sunt hęc tria: primum, is ne cuius nomen refert inscriptio, an alius quispiam sit author huius libri: dein si sit ipse eius author, quis qualisque fuerit homo: postremo, quo consilio videatur opus hoc conscripsisse. An ergo Nehemias is, cuius in libri titulo nomen expressum extat, huius scripti verus sit author, de eo sunt multorum Doctorum tales sententiæ, vt Esdram potius statuant huius, quam Nehemiam authorem. Equidem Athanasius in eo qui [illegible], id est, compendij nomine inscribitur, libro, cum authorem pariter & argumentum prioris, nempe Esdræ libri protulisset, de secundo ad hunc modum scribit, [illegible] &c. Id est, vt ego interpretor, Secundo vero libro pene eadem de reditu è Babylone, preter problemata, de Nehemia eunucho plura refert: quòd is etiã de ædificatione templi ad regem retulerit. Ex his verbis perspici potest, Athanasium in ea plane sententia fuisse, vt huius etiam libri, qui Nehemiæ nomen præfixum habet, Esdram authorem fuisse putet. Epiphanius autem in libro primo contra hæreses, quo loco Epicureos oppugnat, hunc librum etiam ipse Esdræ videtur assignare, quando eum dicit Esdræ secundum. Clarius tamen Chrysostomus in Oratione contra Iudæos secunda, idipsum etiam sibi videri innuit: quando dicit Nehemiæ res gestas ab Esdra accuratissimè scriptas exstare. Beda vero, licet hoc in suis ad hunc librum commentarijs ne attingat quidem, tamen in libro de Ratione temporum capite septimo, ait: Esdra narrante didicimus: quod Nehemias, cum esset pincerna regis Artaxerxis, vigesimo anno regni eius, mense Nisan, impetrauerit ab eo restaurari muros Hierusalem. Hoc loco Beda, quoniam ea verba ad Esdram authorem refert, quæ in Nehemiæ libri cap. 2. leguntur, satis apertè significat, existimare sese, quod ab Esdra potius quàm à Nehemia conscriptus sit hic liber. Illud item ad id vt Esdræ liber hic assignetur, argumenti vice esse videri fortasse queat: quod & D. Hieronymus, alijque Doctores attestantur, & nemo nescit, Hebræis placuisse vt cum viginti quatuor Canonicos solum numerant libros, vno eodemque volumine illos ambos complecterentur. His iudicijs illorum est etiam addendum, quod ex ea, quæ in huius libri capite duodecimo proponitur, summorum pontificum genealogia quidam colligunt: quoniam tanta Nehemiæ longæuitas tribui nequeat, vt inde ab eo tempore quo Hierosolymam primum venit, vsque ad pontificis vltimi, cuius in eo catalogo mentionem facit, tempora, vita perdocta credi possit, alium quempiam, qui res eius obitum consecutas vel videre, vel ex alijs cognoscere, & monumentis literarum ad posteritatem transmittere potuerit, authorem scripti illius esse statuendum. Iam licet horum doctorum & eruditio magna, & honorata sanctitas authoritatem maximam, nec exiguum reliquæ coniecturæ pondus habeat: tamen vt authoritatem, si nuda sit ac solidis argumentis destituta, sic coniecturas, quæ vel in contrarias partes duci, vel rationibus certis explodi possunt, existimo non obesse debere veritati. Quocirca licebit, opinor, ab his iudicijs ac rationibus eorum, siue subobscuræ fuerint, ad apertiores, siue minus verisimiles, ad probabiliores certioresque prouocare. Ac primum arbitror Athanasij, Chrysostomi, Bedæ sententias, quoniam nullis prorsus argumentis, ac ne probabilibus quidé coniecturis confirmantur, non debere Nehemiæ viro sanctissimo atq; optimo suorũ laborum & operæ in hoc exarando libro positæ laudem præripere, & ad quenquam alium transferre. Dein crediderim Epiphanium, Græcorum codicũ inscriptiones secutum, licet non neget, & librum illum esse Nehemiæ, tamen eum eius titulum, qui notior esset & vsitatior, retinuisse, magisque eum recitasse, quàm probasse. Quemadmodum multi viri docti Samuelis ambos libros, primi & secundi Regum titulis, quibus apud Græcos & Latinos inscribuntur, hodieque solent allegare, licet à Samuele conscriptos nec negent, nec ignorent: fortasse ẽoia putant vsitatam ac Christianis hominibus melius cognitam citandæ scripturæ formulam intelligentiæ populari longè esse aptiorem. Sin quis hæc contra patrum illorum sententias nimis proteruè dici fortè contenderit; eorum authoritati Diuus Hieronymus, qui in his rebus, cum versatus est assiduè,

sidue, tam propter inspectos commentarios Hebræorum, iudicio scientiaque longe præstat, opponi potest. Is & si in sua ad Domnionem & Rogatianum præfatione doceat, apud Hebræos Esdræ & Nehemiæ sermones in vnum librum coarctari, hocque ipso non neget, suum cuique esse proprium ac peculiarem authorem: tamen in illa bene longa ad Paulinum epistola, qua scripturæ sacræ libros sigillatim singulos recenset, sic de ambobus verba facit: Esdras & Nehemias (inquit) adiutor videlicet & consolator à Domino in vnum volumen coartantur: & paulo post: aliud in cortice præferunt, aliud in medulla retinent. Quæ verba, si penitius inspiciuntur, vnum quidem librum Hebræis concedunt, duos autem nobis authores ostendunt. Hebræos autem seu veteres, seu recentiores in ea sententia fuisse, vt ab vno eodemq; authore Nehemiæ simul ac Esdræ librum vtrunq; conscriptum existimarint, neque id quod ambos vno eodemq; volumine complexi sunt, satis firmiter euincit, neque R. Solomon authoritatis apud eos eximiæ scriptor, admittit. Nam & alios, qui sint à duobus scripti, libros facile sit inuenire: & R. Solomon in suis ad Nehemiam commentarijs hunc librum ab ipso Nehemia conscriptum apertis verbis attestatur. Ac si quis hæc requirat, non grauabor ea adscribere & interpretari, מבאן ואילך. כתב נחמיה ספרי זה: id est, hinc & vltra conscripsit Nehemias librũ istum. Quæ verba satis clarè significant, Nehemiã inde exorsum scriptionem suam, vbi finem scribendi fecit Esdras. Nec multò maioris momenti id videtur esse, quod existimant aliqui, suam Nehemiæ vitam inde ab Heliasibi summi sacerdotis temporibus, quibus Hierosolymas primum venit, ad Iaddi, cuius in duodecimi libri capite meminit, pontificatum vsque prorogari nequiuisse, ideoque esse incredibile, eas res eum monumentis literarum mandasse, quæ mortem eius sunt consecutæ. Nam si rationem temporũ vitæque eius illam ineamus, vt enim, quod fit præsertim in hoc officij genere, iuuenem admodum ad pincernæ munus electum, & ad Iaddi pontificatus annos primos vsque vixisse statuamus: arbitror fore, vt ei non plures quam Moses & Aharon vixerunt, ætatis annos tribui intelligamus. Quemadmodum cum ad genealogiam pontificum ventum erit, exacta annorum supputatione demonstrabo. Qua de causa non erit, quod à quoquam alio librum hunc conscriptum opinemur. Verum his ipsius libri inscriptio, eaque expressum nec Esdræ nec cuiusquam alterius quàm Nehemiæ nomen opponi potest. Quod cum fiat ratione in omnibus librorum omnium titulis vsitata: ni qua subsit suspicio, opus ipsum esse suppositititium aut adulterinum: nulla causa fuerit, qua moueamur, vt id cuiquam alij tribuamus, præter eum, cuius nomen titulus expresſit. Ac quemadmodum Samuelis, Danielis, aliorum, esse libros eos credimus, quorum sunt nominibus inscripti: sic nimirum Nehemiæ quoque eum esse librum arbitrabimur, qui illius ipsius nomen in titulo expressum habet. Sin ambos hos libros Esdras vnus conscripsisset: aliam nimirũ & eam quidem inscriptio formam induisset, quæ Samuelis & Regũ & Paralipomenon libris est præfixa: nempe vt alter primus, alter secundus Esdræ diceretur: nec priorem Esdras suo ipsius, posteriorem Nehemiæ nomine inscripsisset. Et quemadmodum Solomon licet aliud in Ecclesiaste, aliud item in Prouerbijs nomen tituli vice posuit: illustre tamen sui nominis atque generis indicium vtrinque præbet, vnde agnoscatur: sic credendum est Esdram quoque, si quam grauem ob causam in huius libri titulo mutandum nomen censuisset, aliquod saltem inter se & Nehemiam discrimen constituisset. Idque videtur vel ob id facto opus fuisse, vt ne qua rerum ab his gestarum confusio inueheretur. Quod omnino fieret, si quæ libri secundi scriptor recitat, primæ personæ verbis vsus, ea ad Esdram vnà cum lucubratione libri transferantur. Rursus hæc confusio permixtioque dictorum & factorum deuitabitur, si priore libro suas res Esdram, posteriore suas Nehemiam recensere statuamus. Cæsar res ab se gestas in commentarijs sic recenset, vt ab alio quopiam recitari videantur: sed Esdras in priore libro se authorem nusquam dissimulat. Quin etiam huius alia, quàm prioris narrationis aut orationis idea videtur esse: quando non minus Persicas, quàm suas ac Iudæas res Hebraico sermone Nehemias exponit: Esdras autem magnam suarum simulac Persicarum rerum partem idiomate Chaldaico scribit: estque multo facilior, planior, clarior oratio Nehemiæ, quàm Esdræ. Quæ dissimilitudo planè videtur scriptores diuersos indicare. Minimeque mirum sit aut nouum, quod hic abs se gestas res literis mandarit: cum idipsum etiam & Cæsar, & ante eum alij item boni & sancti viri, vt Moses, vt Samuel, vt Iosua, factitarint. Illud potius videtur eorum laudibus tribuendum, quod non solum ad res gerendas, verum etiam ad ocium literarum atque ad orationis ac scribendi facultatem apti instructique fuere. Ergo hoc sanctissimi illius viri laudibus maximo eius merito debebimus, vt inscriptioni illum authorem indicãti fidem habeamus. Quod vt ego mihi persuadeam, ijs ipsis quas recitaui causis sic adducor: vt nisi id in dubium aliqui magni viri vocassent, ego in eo ventilando tantum operę minimè posuissem. Quemadmodum ad eius laudes hoc est referendũ, quod opus adeo pulchrum & vtile eius arte & industria sit elaboratum:

sic ad commendationem libri plurimum facit, vt quis qualisque vir hic fuerit Nehemias explorate cognitum habeatur. Id autem partim ex veterum scriptorũ monumentis, partim ex hac ipsa historia colligi potest. Ac primum id quod vulgo notum est & vsitatum Nahemiæ nomen, consolatorem Hebræis significare D. Hieronymus, Beda, Liranus, annotarunt: rati ipsum a נחם consolandi verbo deriuatum, ac Nehemiæ virtuti maximè conueniens: quod is Iudæis afflictis maximam virtute & industria sua consolationem attulisse videatur. Et certè in magnis periculis vix est præter Deum, qui nobis afflictis vnus afferre salutem potest, quicquam aliud in quo plus sit solatij positum, quàm in viri fortis consilijs ac viribus. Nec multum ab hac sententia deflectit etiam eorum expositio, qui nomen hoc deductum putant à נוח nomine, quod requiem significat, & deriuatur à נחה inusitato verbo: quando in huiusmodi magnorum virorum virtutis opinione reliquorum hominum animi quasi in tuto quodam perfugio conquiescunt. Sed & Athersatæ nomine eundem olim appellatum fuisse, is, qui Nehem. 8. cap. extat, locus ostendit. Varium autem nominis התרשתא expositionem afferunt Doctores: alij eum qui dissoluat fundamentum: alij fundamentum contemplantium, vel potum: quidam turturis fundamentum: nonnulli quasi conflatum ex Hebræo pariter ac Syro sermone esset, contemplantem annum, vel tempus putant significari. Multi verò quemadmodum Liranus ad secundum Esdræ caput annotat, hoc nomine Hebræis relaxatum, id est, eum, qui sit aliquarum legum vinculis solutus ac liber, significari, idq; Nehemiæ ex eo tributum fuisse, quod cum Iudæi cæteri Danielem imitati, cibo vinoque regio ceu re immunda abstinerent: Iudæorum primates hac lege liberum illum esse pronunciarint, eique liberum fecerint vsum vini, quò citra culpam officio pincernæ regij fungi posset, existimarunt. Et sanè התיר licentiam dedit, facultatem concessit: & שתיא bibere, Chaldæorum lingua significat. Quo fortassis pertinet etiam, quod Rabi Aben Ezra perhibet hoc apud Chaldæos esse dignitatis nomen. Idem autem התיר שתיא, id est, dispensans aut præbens potum Hebræis esse potest, qui modo pincerna dici solet. Quocirca mirum non erit huic officij illius nomen datum, cum officio fungeretur. Iam verò quod in hoc viro venerabilis Beda censuit obseruandũ, quòd videlicet adeo pulchrè suo nomini responderit: id optimum quenque maximè potest ad idem studium excitare. Equidem dicit: & vocabolo, & opere, & persona sua non inconuenienter mediatorem Dei & hominũ, hominem Christum Iesum designat, qui se ad consolationem pauperũ spiritu insinuat, cum ascensurus in cœlum discipulis ait: Ego rogabo patrẽ & alium paracletũ, hoc est, consolatorem dabit vobis. Illud item eodem loco Beda addit, ipsos quoq; Euangelij præcones hoc viro quasi illustri typo repræsentari, qui maximam afflictis ac saucijs conscientijs afferant consolationem diuinæ gratiæ prædicatione. Erit etiam hominibus Christianis omnino omnibus enitendum, vti nomini Christiano sic quique respondeamus, vt ad exemplum vitæ Christi quam proximè accedamus. Cumque parentes plerique suis liberis heroum nomina imponant, vt eorum quam simillimi simus, quorum nomina assumpsimus, cum nobis ipsis studio honestarum actionum maximo, tum parentibus etiã obseruata recta ac gnaua puerilis educationis ratione, est annitendum. Genus autem Nehemiæ in ipsa quoque inscriptione, posito proprio nomine patris indicatur. Quod tamen in Græcis & Latinis aliter quàm in Hebraicis libris legitur: Helcias videlicet pro Hechelia, transpositione literarum. Quis autem Hechelias ille fuerit, neque exprimitur hoc loco, neque ex Iosepho sciri potest. Is enim quo loco profert generis Nehemiæ notationem, dicit eum vnum ex Iudæis captiuis fuisse. Alium autem Nehemiam inter eos qui cum Zorobabele in Iudæam redierunt, Esdras capite secundo refert. Alium item ipsemet refert huius libri capite tertio, quem filium Asbok & principem dimidiæ tribus Bethsur fuisse, & vrbis muris instaurandis operam quoque suam nauasse scribit. Sed & alius quidam paulo ante aduentum Christi Rabi Nehehumia Haccanæ filius fuit, qui prodita à prophetis de Christo oracula non solum illustrauit expositione, verum etiam astruxit ac confirmauit editis nouis. Quod genus est, quod elapsis à morte sua quinquaginta annis affuturũ Christum prædixit, eoq; Haccanam filium consolatus est, quod ei spem coràm aspiciendi Messiæ fecisset, epistola scilicet ea, quam epistolam secretorum Hebræi vocant. Quod Galatinus libro primo capite tertio commemorat. Alium autem ab his fuisse nostrum illum, cum hæc ipsa generis eius notatio, tum ipsorum temporum ratio, declarant. Ætatis eius nulla quidem in hoc libro fit mentio: sed Iosephi interpres vetus iuuenem eum tunc cum officio pincernæ fungeretur, innuit fuisse, quando dicit regem vidisse iuuenem tristem. Quàm certum hoc sit, penes ipsum sit fides: Iosephi Græcus liber is, quo nunc vtimur solum Nehemiæ proprium nomen expressum habet: & interpres videtur aut [illegible] pro [illegible] legisse, aut exemplar à nostro diuersum habuisse. In quæ tempora inciderit, ex earum quas recitat rerum serie cognosci potest. Corporis virium aut formæ eius nusquã quisquam, quod sciam, mentionem facit: cum

duod

Nehemias .i. consolator.

Athersata.

NB

Genus Nehemiæ.

Ætas.

Tempus.

Forma.

quod pluris sint animi quàm corporis bona: tum quod hęc ei non vulgaria fuisse viderentur. Cum enim hoc habeat pulchritudo corporis, vt non modo coloris suauitate, verumetiam ipsa conuenientia partium moueat oculos & delectet animos: non dubium est, quin his quoque dotibus illi conciliata dignitate & gratia factum sit, vt ad id quo functus est, officiũ eligeretur: quando in hoc præsertim officij genere tam corporis, quàm animi bonorum ratio obseruatur. Cumque tam longis ac difficilibus itineribus iterum atque iterum conficiendis, adeo crebris vigilijs sustinendis, tantis & ædificationis & defensionis patriæ laboribus ac molestijs tolerandis pares semper habuerit vires: eximio robore firmissimaque valetudine præditus fuerit, necesse est. Etsi vero valetudo, quoniam continuatione exercitiorum, obseruatione rerum quæ prodesse solent, præter missione voluptatum maximè conseruatur, non obscuram animi continentis atque impigri significationem præbet: tamen & præclara eius dicta atque facta, partim in hoc ipso libro, partim in Iosephi Iudaicis Antiquitatibus recitata, quis qualisq; eius animus fuerit, attestãtur. Etenim dolor, quem ex patriæ calamitate & miseria se cæpisse mœroris ac luctus sui manifestis signis prodidit: maximam eius in Deum, in patriam, in amicos, pietatem repræsentat. At in tentanda ac sibi conciliãda regis gratia ac beneuolentia, in cauendis & eludendis insidijs, in gerendis rebus eius prudentiam multò maximam: in suscipiendis perficiendisque arduis ac difficilibus rebus fortitudinem & constantiã: in rumoribus, minis, periculis ipsis despiciendis magnanimitatem: in ieiunijs temperantiam: in toleranda suorum ciuium vel contumacia, vel perfidia, vel ignauia patientiam propè singularem: alijs in rebus alias eius virtutes spectatas nemo nescit. Fortunæ eius indicia satis in eo sunt clara, quod excelso apud regem loco, maxima apud proceres in gratia, summo apud suos in honore & precio, quasiq; portus quidam profugorũ Iudęorum fuisse memoratur. Magnis etiam opibus pręditũ fuisse id euidenti indicio fuit: quod familiam numerosam aluit, & nihilominus domũ suam ciuibus pariter atq; hospitibus omnibus esse voluit apertissimam, & officij nomine sibi debita stipendia reipublicæ remisit, & præterea multa ciuibus egentibus condonauit. In eius actis multa admiratione memoriaque digna, quædam etiam rara propeque diuina: quæ in aula, in itinere, in restaurationis opere, in rerum emendatione, aduersus hostes, pro amicis, publicè, priuatim, solus, vnà cum alijs dixit ac fecit, recitantur. Mortis eius itidem nusquam quisquã meminit; fortassis quia circa hanc nihil accidit vel rarum vel admirandum, vel ab eius fide & anteacta vita alienum. Neque enim turpis mors adeo sancto & pio viro poterat accidere, neque etiam ei immatura, qui patriam & amicos, quibus ortus sui partem maximam debuit, in integrum restituisset, neque misera ac tristis ei, cui maximorum laborum, dolorum, miseriarum, molestiarum attulit finem. Atque hæc quidem summa capita viri illius laudum si quis velit diducere & amplificare: manifestè demonstratum appareret, quanti viri librum propositum ad considerandum habeamus. Quo vero consilio Nehemias librũ hunc scripsisse videri queat, paulo altius est repetendum. Idque & si ipse sparsis per vniuersum librum non obscuris consilij sui signis præ se ferat: tamen primo & nono capitibus huius libri in primis luculenter declarat. Ac primo quidem capite, cum illud tristissimum de Iudæorum miseria nuntium accepisset, deque ea apud ipsum Deũ grauissimis verbis conquereretur: ad scripturam sacram tandem confugit, & in hac ostendit illarum calamitatum vnam hanc causam, quod populus Iudæus violatis legibus diuinis Deum offendisset. Nono vero capite, cum diuinarum legum liber pro cõcione publica recitatus esset, ex eoque etiam secundæ simul ac aduersæ fortunæ cognitæ causæ: Nehemias hoc operam dedit, vt omnes ciues intelligerent, ijs aduersa euenturã omnia, qui diuinas leges violassent: ac rursus ijs ex animi sententia cuncta affutura, qui in obseruantia diuinarum legum perseuerarent. Quorum altero doctrinæ simul ac vitæ censuram, altero consilium pariter ac consolationem affert, quando ob oculos posita lege, suscipiendæ in vitam ac doctrinam animaduersionis admonebat: & commemoratis calamitatum causis, qua via ad fortunam meliorem peruenirẽt, indicabat. Hæc res argumento est Nehemiam ideo res ætate sua gestas, & aduersam fortunam Iudæorum descripsisse: vt quam ex priscis historijs ipse accepisset, hanc ex suis libris posteri ipsius haurirent doctrinam ac consolationem: nempe ex illorum exulum actis discerent, eos demum, qui diuinas leges obseruarent, & ipsum rectè riteque colerent Deum, secundo propitioque Deo vsuros. Nec dubium est, quin etiamnũ viuente Nehemia multi, qui quidem hoc ab eo per amicitiã potuerunt impetrare, librum illum penes se voluerint extare: vt in eum tanquam in speculum quam sæpissimè inspicerent, vitæq; suæ viam ac rationem considerarent. In eundem enim finem Deus, quemadmodum Deuteron. 6. & 11. scribitur, suas leges & res ecclesiæ suæ non modo voluit literis mandari, verum etiam priuatarum ædium foribus inscribi: nimirum, vt quæ res prodessent aut obessent, in omnium hominum oculis perpetuo apparerent. Eadem ratione quibusdã psalmis vice tituli dictio משכיל.

quæ eruditionem seu documentum significat, imponitur: nempe vt factos eos erudiendis homi-
nibus cõstaret, sed & D. Paulus Rom. 15. eundem omnino toti scripturæ Sacræ propositum finem
docet, cum dicit eam ad doctrinam ac consolationem esse destinatam. Et Cicero, cum historiam
[illegible] definit, hoc tribuit laudibus omnis historiæ, quod sit testis temporum, lux veritatis, vita
memoriæ, magistra vitæ, nuncia vetustatis. Existimandum est ergo Nehemiam, quoniam aliàs
omnia dicta atque facta sua ad Dei gloriam & salutem publicam semper retulit, & eius spiritus af-
flatu librum hunc conscripsit, quo authore scripturam sacram omnem constat esse proditã: etiam
ipsum vtilem aliquem doctrinæ vitæque sanæ finem sibi in hoc opere propositum habuisse. Ex
quo satis certè colligi potest, eum hoc potissimum spectasse, vt suæ gentis historia inde à Mose per
Iudicum atque Regum tempora, ad suum vsque seculum deducta ac continuata haberetur: vt ve-
ritatis rectè traditæ & defensæ & propagatæ vera sinceraque testimonia aduersus hominum im-
piorum calumnias extarent: vt exemplis maiorum posteri, quid ipsis vel prodesse, vel obesse pos-
set, edocerentur. Quam ad rem Nehemias saltem Esdræ exemplo potuit excitari: si non eum Mo-
sis, Samuelis, Danielis, & aliorum exempla antea ad hanc adducere potuissent. Idem Liuius, ho-
mo aliàs cum hoc nostro nullo modo comparandus, sensit. Is hoc illud est, inquit, præcipuè in co-
gnitione rerum salubre ac frugiferum: omnis te exempli documenta in illustri posita monumen-
to intueri: inde tibi tuæque reipub. quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu quod
vites. Nec aliud spectatum à Polybio, Thucydide, denique & Philippo Comineo, id argumento
est. quod ita diligenter ad vitæ & actionum humanarum emendationem narrationes suas accom-
modant, vt vel tacentes innuant, quem sibi finem propositum habuerint, & quamobrem in scri-
benda historia tantopere laborarint. Eundem quoq; fructum illi quęrunt, qui libros exemplorum
ex amplissimis historijs collectorum edunt. Iam si in illis exteris tantum ratio potuit humana: fa-
cile est colligere, quanto plus effecerit in hoc nostro mens diuinitus illuminata atq; excitata. Qui-
bus exemplis æquum est nos quoque sic excitari: vt quæ non minore salutis humanæ prouehen-
dæ, quàm diuinæ gloriæ propagandæ studio proponuntur in hoc libro, ea pari fide & diligentia
ad eosdem vsus etiam ipsi referamus. His de libri illius authore, quemadmodum titulus eius
tulit propositis ac consideratis rebus, quæ qualesque res ab eo descriptæ toto hoc libro continean-
tur, deinceps est inuestigandum. Nam & id inscriptio libri videtur admonere, proposito nomine
דברי, id est, verborum: quod non minus res, & causas, & actiones, quàm ipsarum rerum narra-
tiones significat: idque ratione tam Græcis & Latinis, quàm Hebræis authoribus vsitata. Cum
enim Græci dicunt, [illegible] Latini dicunt, nihil ad rem: vsi verbi nomine, pro re verbis signi-
ficata: rationem sanè similem sequuntur. Eodemq; modo Nehemias sermonum seu verborum ap-
pellatione res gestas æquè ac earum narrationes significauit. Quæ vero sint res illæ, ex ipsius libri
singulorum capitum summis potest intelligi. Eæ nobis erunt ordine suo referendæ. Ac primo ca-
pite, Nehemiæ de rerum Iudaicarum statu sciscitanti dicitur: & magno esse in malo atque probro
1. populum, & vrbis mœnia diruta, ignibusq; absumptas portas. Quibus rebus is auditis aliquandiu
tristis ieiunat, tandem ardenti supplicatione cum sua populiq; peccata confitetur, tum opem Dei
2. implorat. Secundo, impetratis à rege literis Nehemias Hierosolymas venit, ac rebus omnibus in-
spectis, & ad vrbis instaurationem principibus in Iudæa viris solicitatis, tandem opus ipsum ag-
3. greditur, ac contra aduersarios omnes defendit. Tertio, quam quique in populo Iudæo ordines
atque ciues vrbis partem instaurarint, recensetur. Quarto, Iudęi licet multo hostium risu, multisq;
4. insidijs peterentur: tamen positis excubijs ac pręsidijs etiã armati fortiter operi instant, eoq; pro-
5. pulsant omnem impetũ ac conatum inimicorum. Quinto, coorta inter Iudęos ipsos seditione, pro-
pter exhaustas iniquis oneribus ciuiũ facultates, Nehemias optimates grauiter obiurgat: eos qui
6. mali illius causa princeps essent, coercet. pauperibus ad vitã sustentandã etiã de suo multa largitur:
omnia deniq; restaurat. Sexto, hostes extructis muris vrbanis sic irritãtur, vt Nehemiã modo blan-
dis verbis in loca parum tuta euocatũ opprimere, modo ementito crimine læsæ maiestatis ab ope-
re suscepto deterrere, modo suorum ipsius hominũ proditione & perfidia circumuentũ trucidare
7. nec quicquã, coitantur. Septimo vrbis custodes atq; vigiles suis quiq; locis cõstituuntur: eorũ, qui
Hierosolymas primi venerant, numerus ac nomina referuntur. facultates ad sustentandã remp. ab
8. opulentis ciuibus contribuũtur. Octauo, librum diuinarũ legũ publicè recitat & exponit Esdras:
mœrentem autem ac lugentem populum Nehemias consolatur: vniuersi tabernaculorũ festos ac
solennes dies agunt: & lectionis sacræ consuetudinem priscã seruant. Nono, sumpto habitu lugu-
9. bri, ieiunijs indictis, remotis atque è cœtu suo segregatis peregrinis, populus Iudæus anteactæ vi-
tæ pœnitentiam grauiter attestatur: Nehemias publicam omnium nomine confessionem edit: de-
10. niq; promissa vitæ emendatione diuinum fœdus renouatur. Decimo referuntur eorum nomina,
qui

qui renouatum fœdus obsignarunt,quasiq; pro omni populo fideiuberent,sic constanter spoponderunt. Velle sese deinceps omnes Dei leges, easq; imprimis,quibus vetita sint illicita matrimo-
nia,quibus item religio sabbati & oblationes mandãtur,obseruare. Vndecimo,ponitur census eo-
rum,qui non solum in vrbe,sed etiam in tota Iudæa habitabant. Duodecimo recitantur officia ac 11.
nomina sacerdotum, & eorum qui sacrorum custodes essent: tum congregatis Leuitis fit dedica- 12.
tio murorum vrbanorum. Decimo tertio,Mosis liber vltimus recitatur:suæ Leuitis portiones as- 13.
signantur:vasa domus Tobiæ de gazophylacio eijciuntur:qui legem sabbati violarant, supplicijs
meritis afficiuntur, qui duxerant alienigenas vxores ab Nehemia grauiter obiurgantur. Ex his
singulorum capitum summis perspici potest, extare in hoc opere egregia virtutum & vitiorum
exempla: res magnas memoriaq; dignas, easq; laborum ac periculorum plenas:res quæ vel omni-
bus possunt,vel plerisq; ciuitatibus accidere,quæq; & ad omnes homines imprimisq; magistratus
ac doctores maximè pertinent,& eiusmodi sunt,vt in his prudentia, fortitudine,constantia præci-
pueq; ope & gratia Dei cumprimis opus habeamus. Vt sunt belli metus & rumores,& ipsum bel-
lum:seditiones,annonæ penuria,proditiones,insidiæ:vt documenta ad disciplinam militarem, ad
architecturam, ad ciuilem scientiam,ad religionem pertinentia. Quæ res omnes & dignæ sunt &
necessariæ cognitu: eæq; ceu materia totius operis vno דברי id est,verborum nomine repræsen-
tantur. Sed quoniam דברי perinde Hebræis atq; sui Græcis λόγοι non modo res,verum etiam ela-
boratas rerum narrationes significant: videmur eo nomine etiam formæ eius,quam in harum re-
rum narratione contexenda author obseruarit, admoneri. Quæ consideratio cum ad institutam
tractationem nostram maximè pertinet,tum ex his principijs omnis duci & explicari potest. Nar-
ratio omnis,aut ciuilis est,et adhibetur publicis negocijs,in iudicijs scilicet atque in foro:aut est à Narratio.
ciuilibus causis foroq; remota,& vel delectationis, vel admonitionis causa scribitur & dicitur. Et
eæ narrationes aut veræ sunt,aut fictę & fabulosæ. Has fabulas,illas historias appellamus. Iam quo-
niam eas res Nehemias refert,quas & idoneis testibus probare posset,& aliàs constat esse veras,&
quibus interfuit ipsemet oculatus simul ac auritus testis,quorumq; etiam pars maxima fuit: con-
sequens est ab eo narrationem veram,quam historiam appellamus afferri. Cum autem historia sit Historia.
complurium narrationum aptè & distributè concinnata constructio: & hæc exædificatio posita
sit partim in rebus, partim etiam in verbis: quam Nehemias vtrobique rationem obseruarit, ope-
ræprecium est existimare. Propositurus igitur vrbis Hierosolymitanę restaurationem, tribus par-
tibus distribuit eam narrationem: quarum prima antecedentia, secunda opus ipsum, tertia conse-
quentia recenset. Quem ordinẽ vel ob id oratores & historici libenter sequuntur: quod in eo re-
rum magnarum memoriaq; dignarum causæ & initia aperiuntur: tum progressus & acta referun-
tur: demum etiam indicantur euentus in quibus cum prouidentiæ diuinæ, tum humanæ vel sa-
pientiæ,vel temeritatis notæ proponuntur. Verborum autẽ rationem eam Nehemias tenuit,qua
genus orationis purum,sincerum ac simplex efficeretur. Quod fit proprijs,vsitatis,omnium intel
ligentiæ expositis,ad res propositas aptis,itemque grauibus ac modestis verbis. Atq; sic ab omni
fuco vitioq; perpurgata oratio,quibuscunq; licet morsibus ac conuicijs petatur: tamen ita firmi-
ter retinet splendorem veritatis,vt ne leuem quidem falsi suspicionem vllam admittat. Quod hi-
storiæ quam maximè conueniens est. Nam vt rectè monet Cicero, nemo nescit hanc primam esse
historiæ legem,nequid falsi dicere audeat: ne qua suspicio gratiæ sit in scribẽdo:ne qua simultatis.
Hanc ipsam autem,qua Nehemias vsus est,orationis formam talem esse, cum illa,quam modo di-
xi rerum & verborum series ac ratio declarant: tum id etiam argumento certo esse potest,quod af-
flatu spiritus sancti Nehemias hæc conscripsit, idq; Hebræi veteres agnoscere sese eo ipso sunt at-
testati,quod hunc eius librum,in eorum, qui per excellentiam ipsis כתובים id est, scripti nomi-
nantur,codicum numerum referendum iudicarunt. Atque hęc quidem vt ad commendationem
huius libri dicerentur,videtur hæc eius inscriptio monuisse.

CAPVT I.

Igitur hoc Nehemię libro tribus partibus distributo,prima sanè,qua totius operis huius antecedentia proponuntur,duobus primis capitibus omnis cõtinetur. Quę nobis eò magis est cognoscenda,quod huius operis authores & initia pandit: videlicet,Nehemiam cognita suæ patriæ vastitate & solitudine,primum Dei,deinde sui regis opem implorasse,& vtrinq; comparatis auxilijs Hierosolymas venisse: ad operis societatem primarios viros solicitasse: opus ipsum & aggressum, & aduersus omnem hostium motum fortiter & constanter defendisse. Ex quo perspicuum fit in

antecedentibus hæc duo referri: primum restaurationis authorem: dein eius ipsius ad instauratio nis huius opus auxilia & apparatum.

ET factum est in mense Casleu, anno vicesimo, & ego eram in Susis castro.
2 Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipse & viri Iuda: & interrogaui eos de Iudæis qui remanserant & supererant de captiuitate Hierusalem.
3 Et dixerunt mihi qui remanserant, & derelicti sunt de captiuitate ibi in prouincia in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Hierusalem dissipatus est, & portæ eius combustæ sunt igni.
4 Cumq; audissem verba huiuscemodi, sedi & fleui & luxi diebus multis: & ieiunabam & orabam ante faciem Dei cœli, & dixi.

CVM in antecedentibus omnis rei precipuè causæ & occasiones spectentur: commode Nehemias etiam suam narrationem inde ab ea parte exorditur, qua causas & occasiones ad vrbis instaurationem suscipiendam sibi præbitas refert. Qua in narratione tempus, locum, res & causas eas, quibus sit ad tantum opus suscipiendum permotus, ostendit.

Ac tempus quidem bimembri oratione exprimit: primum mense, deinceps anno nominatis. Mensis nomen Hebræum כסלו & vulgatæ versionis author & L X X. Interpretes nulla adhibita interpretatione retinuerunt. Beda autem indicat hoc nomine spem significari, idque valde esse conueniens votis eius, qui sit collapsam ciuitaté erecturus: quippe qui necesse habeat opis diuinę expectatione extollere suum ipsius animum ad Deum, eoq; ipso ad constantiá obfirmare. Idem etiam, quia credit hunc mensem in Decembrem nostrum incidere: illam inde eruit allegoriam: eodem mense nobis natum verum Nehemiam, qui consolationem optimam & plenissimam attulerit. Hebræi vero aliam afferunt verisimiliorem nominis huius expositionem: quando ab aeris inconstantia atque intemperie nomen illud ei datum indicant: quod כסיל significet hominem leuem, qui nunquam sibi constet, sed mutetur in horas: eademq; de causa Orioni quoque nomen hoc attributum esse. Id enim sidus crebras aeris mutationes inducere creditur: vnde & apud Vergilium dicitur fluctu nimbosus Orion. Cumq; mense illo oriri soleat: habet cum eo quandam nominis affinitatem. Est autem nonus numero apud Hebræos hic mensis, & aliquanta sui parte in Nouembrem nostrum incidit. Ex eo vero quod aer tunc instabilis esse & in horas mutari solet, intelligimus hanc rem planè difficili tempore susceptam esse; fracta videlicet æstatis bonitate, & autumno præterito, imminente hyemis asperitate: in quam ne nostra fuga incidat, etiam deprecandum nobis monuit Christus. Sed quoniam difficilia quæ pulchra: nunquam nobis est committendum, vt vlla difficultate temporum nos patiamur impediri, quo minus res præclaras ac pręsertim vtiles & necessarias gerendas suscipiamus. Altero notationis membro annus & quidem vigesimus exprimitur: sed termino, à quo numerari posset, prætermisso. Videtur autem terminus is ex secundi capitis initio peti posse: vbi nomen Artaxerxis additum extat. Sed & si nomen id esset etiam expressum hoc loco: tamen nihilominus quis hic fuisset Artaxerxes dubitaretur: cum de eo diuersæ sint interpretum & inter se pugnantes opiniones. Iosephus enim diligens aliàs rerum Iudaicarum recitator Xerxem Darij Histaspis filium ea tempestate regnum apud Persas obtinuisse putauit. Verum ea sententia vix ab ijs recipi queat, qui Xerxis ingenium, fortunas, consiliarios, negotia ac casus considerarint. Equidé stolidior, inhumanior, crudelior fuit: quàm vt credi queat virorum grauium & prudentium consuetudine & vsu, nedum illis quæ Iosephus recitat problematis & colloquijs sane quàm ociosis oblectare sese consueuisse. Cumq; ingentem vim pecuniæ & exercitum maximum, aliaq; ad bellum à patre comparata haberet, in ipsis initijs regni grauem de bello Græcis inferendo deliberationem suscepit: quæ & tanta verborum & animorum contentione fuit agitata, vt nihil ab hac alienum ad regem referri, nedum obtineri posset. Ac quoniam non minus auidus gloriæ quàm rebus ad conficiendum bellum necessarijs instructus esset, potius incitanti ad id Mardonio, quàm vel ad pacem retinendam Artabano, vel ad impediendam vrbis sanctæ restaurationem alijs reuocantibus obtemperauit. Et id bellum tantæ molis fuit, tamq; infœliciter est gestum, vt præter ipsum aliud nil venire in eius curam ac cogitationem posset. Verisimillimum

simillimum igitur erat omnes eius prouinciarum incolas in eius belli societatem pertractos, & in aliud tempus reliqua negotia omnia reiecta fuisse. Ceterùm Rabi Aben Ezra, & Rabi Solomon Hebræi Darium Artaxerxis nomine appellatum fuisse scribunt. Quem & R. Solomon Assueri ex Hestera filium fuisse putat, eundemque pro eo ac pia matre natus meliusque educatus esset, summum Iudæis amicum ac patronum fuisse. Quam tamen opinionem partim id conuellit, quod hęc diu post absolutam sacræ ædis structuram constat accidisse: partim aliæ ex Nehemiæ persona ductæ temporum rationes excludant. Nam si inde à Darij Histaspis temporibus ad imperij Macedonici seu Alexandri Magni rerum initia, sua Nehemiæ ætas produceretur: plures ei, quàm naturæ mortalium vires ferant, ætatis anni tribuerentur. Alij igitur Darium quendam qui Cyro proximus successerit, & Artaxerxis nomen cum alijs regibus Persarum commune habuerit, putant hæc Iudæis omnia dedisse. Quod & ipsum ast à vero alienum. Primum enim Cambysem Cyro, non Darium vllum successisse constat: dein, & si nomen Artaxerxis Esdras Cambysi quoque tribuerit: tamen ab hoc impeditam templi structuram scribit. Quod cum ita sit, vrbi instaurandæ sua auxilia attulisse eum nemo dixerit, qui ne templum extrueretur, tantopere repugnarit. His alij succedunt, propius mea quidem sententia, ad scopum: qui illo nomine Artaxerxem eum dici putant, qui quod manum alteram haberet longiorem, μακρόχειρ, id est, Longimanus appellatus fuit. Quæ sententia tametsi nec ipsa satis sit certa: multis tamen de causis verisimilis est, & admodum probabilis. Nam & Esdras tres reges Persarum numerat: Cyrum videlicet & Darium & Artaxerxem: quorum auspicijs auxilijsque res Iudeæ fuerunt auctæ & propagatæ. Cumque bis templi structura, semel vrbis instauratio, fuerint impeditæ: verisimile est id interuentu tyrannorum, qui pijs regibus succedebant, accidisse: puta Cambysis, qui Cyri patris acta resciderit: & Xerxis, qui belli Græci negotijs implicitus res Iudæas neglexerit. Quibus illud addi potest, quod Esdras absoluta structuræ templi descriptione, sic nouam illam de Esdræ legatione narrationem exorsus est, capite septimo scilicet, vt rem longo post temporis interuallo factam referre velle videatur. Quæ cum ita sint, hęc videtur actis simul ac temporibus illis maximè consentanea ratio: vt videlicet existimemus, adepto regnum Cyro, concessam Iudæis libertatem: eo deinde belli Massagetici negotijs occupato, & Cambyse filio regnum administrante, structuram templi impeditam, atque inde ad secundum Darij Histaspis annum vsq; neglectam fuisse: anno Darij sexto penitus absolutam. Post ea verba, vt inquit Esdras, id est, elapsis postquam hæc essent acta, quinquaginta amplius annis, cum Artaxerxes Longimanus septem iam annos regnum tenuisset, rebus Iudaicis opem allatum Esdram missum: ac rursus tredecim annis post, videlicet anno vicesimo regis Artaxerxis missum Nehemiam, ipsam etiam vrbem instauratum, cogitemus. Illud autem tempus multis nominibus ferè passim fœlix ac faustum fuit. Persæ enim miserijs ac molestijs, quibus eos Xerxes implicuerat paulum leuati, illum regem nacti fuere, qui non modo diceret dignius esse regibus, dare, quàm accipere beneficium, verum etiam multis maximis beneficijs in quam plurimos imprimisque in ecclesiam collocatis, quàm hoc ex animo diceret, comprobauit. In Græcia vero pax longe lateq; obtinuit, stante fœdere, quod cum Peloponnesiacis populis inierant Athenienses: floruerunt etiam liberalium artium, itemq; picturæ & statuariæ studia. Ac presertim Atheniensibus tantæ curæ fuit, vt ne diuinitatis omnis obseruantia tolleretur: vt Protagoram sophistam, eum, qui regnāte Xerxe puer adhuc à magis imbutus, seu verius infectus tetra opinione, dictitabat sibi non liquere, esset nec ne diuinitas aliqua, tāquam ἄθεον hominem in exilium profligarint, librosq; eius, quibus hæ blasphemiæ continebantur, exusserint. Et Romæ duæ legum tabulæ prioribus decem pauloante id tempus conscriptis adiunctæ fuere. Quo factum est vt ad instaurationem rerum humanarum omnia passim pararentur: quando otium colendis agris, tradendis liberalibus disciplinis & vtilibus humanæ vitæ artibus, instituendæ iuris ac legum disciplinæ, conseruandæ & retinendæ inter homines religioni, propagandæ ecclesiæ diuinitus concedebatur. His tam bonis temporibus Nehemias etiam ad suæ gentis publicum bonum prouehendum, presertim cum id à suis hominibus negligi comperisset, vtendum existimauit. Quemadmodum igitur ijs, qui Hierosolymis essent, & meliorem sibi datum regem non nesciebant, nihil ad suscitandam è ruderibus ac cineribus vrbem curæ & cogitationis adhibuisse turpe & indignum fuit: sic honestum & laudabile Nehemiæ putandum est, quod communis felicitatis vsum atque fructum etiam ad suæ patriæ miseriam atque ignominiam depellendam conuerterit. Eodemq; modo nos formicas imitati prosperis ac commodis temporibus ad publicas pariter ac priuatas vtilitates prouehendas vtemur.

Locus autem is, in quo se Nehemias ad instaurationem vrbis excitatum scribit, partim suo proprio, partim appellatiuo nomine notatur. Proprium eius nomen Hebræi שושן, Gręci τὰ Σοῦσα, Latini cum Susa Susorum, apud Plinium, tum Susas Susarum, apud alios, nominarunt. Hebrai-

cum autem nomen Beda vel reuertentem, vel equitantem significare existimat: & inde eruto mysterio colligit, hoc nomen conueniens ijs esse, qui per insidias diaboli sint extra septa ouilis Christi euocati, verum pœnitentia duce retracti. Tales sunt (inquit) in reuertente castro, hoc est, in robore mentis renouatæ ab infimis delectationibus ad desiderium supernæ patriæ. Et paulo post, idem eodem loco: Tales sunt (ait) in equitatu sanctorum cordium firmissimo, qui Deum portant sessorem. Quanti vero sint momenti in peregrina presertim lingua quesitę nominum propriorum expositiones, qui illas promunt, ipsi viderint. Nobis satis sit loci nomen didicisse: nec necesse est, vt ex oppidi barbari nomine mysterij quicquam eruamus. Appellatiuum autem loci illius nomen בירא significat arcem, regiam, locum munitum: cuiusmodi multas author Paralipomenon lib. 2. ca. 27. ab Iothamo rege extructas scribit. Qua ratione vero Nehemias nomen arcis vrbi tam spaciosæ tribuerit, anxiè Beda ac Liranus quærunt & hanc subesse putant causam, quod hæc vrbs in star arcis fuerit vndiquaque munita. Sed nec nouum est, nec mirum; vnum idemque nomen tum arci regiæ, tum vrbi illam arcem cspienti datum esse: quando hoc & veteres historiæ, & exempla recentia fieri solere passim attestantur. Extant autem Susarum descriptiones apud Strabonem lib. 15. itemque apud Plinium lib. 6. cap. 27. Ac Strabo quidem hanc à Tithono patre Memnonis oblongam & C X X. stadiorum ambitu conditam perhibet: Plinius autem ipsam simul ac Dianæ templum Eulæo amne cingi scribit. Alij historici magnificam regiam Cyri, itemq; thesauros totius regni isthic depositos fuisse scribunt. Cui sententiæ fidem facit, quod Aristagoras Mileti tyrannus, apud Herodotum, Cleomeni dicebat, magnam auri vim isthic sitam, & hac capta futurum, vt de diuitijs etiam cum ipso Ioue decertarent. Quare cum munitus ac non solum priscorum regum habitationi, verumetiam conseruandis regni thesauris destinatus locus ille esset: verisimile est, huius etiam, cui Nehemias inseruiuit, regis aulam isthic consedisse. Quod cum ita sit, huius certè notatione loci Nehemias in aula regis se fuisse declarat. Qua in re videntur tres res illæ posse obseruari. Vna, quod etiam pijs & sanctis viris liceat esse aulicis: quodque vita aulica, magis incerta sit ac periculosa, quàm illicita ac vituperanda. Et sanè fuere in aulis alij item boni & pij viri: vt Iosephus, vt Moses, vt Dauid, vt Abdias, vt Daniel. Quin Nebridium suum laudat quoque Diuus Hieronymus, quod egerit in aula vitam sanctam & modestam. Quamobrem cum sit non illicita quidem, sed laboris & periculi plena tamen: si necessitas pia postulet, non est detrectanda, verum

2. tamen nunquam cuiquam ambitiosè expetenda. Altera, quod in aulis etiam, in quibus præter illecebras voluptatum ac vitiorum nihil inesse putes, reperiuntur ad id quod bonum est, haud vulgares occasiones. Quas arripere & ad vtilitatem ecclesiæ conuertere, est indolis optimæ & sanctissimæ cuiusque: cuiusmodi in Iosepho, Mose, Dauide, Abdia, Daniele, alijsque multis eluxit. Iosephus enim in aula rem non solum heri sui familiarem, verumetiam totius regni publicam in immensum auxit: Moses in aula didicit omnem sapientiam Ægyptiorum: Dauid consecutus est vsum rerum, & obediendo seruiendoque didicit imperare: Abdias aluit prophetas: Daniel vsus est ocio & stipendio regio ad comparandam diuinarum humanarumq; rerum scientiam: alias hone-

3. stas ad res alij sont aulicæ vitæ bonis vsi. Tertia, quod ijs in locis ipse melior & sanctior euasit, in quibus alij plerunq; fiunt deteriores. Quemadmodum igitur apes ex omni genere florum mella sugunt: sic ex omni fortunæ genere nos ad propagandam Dei gloriam salutemq; mortalium occasiones arripiemus.

Expositis circunstantijs temporis ac loci, dein considerandæ sunt mouentes causæ, quibus magis est adductus Nehemias ad tantum opus suscipiendum. Earum autem ipsarum aliæ sunt externæ & aduentitiæ: aliæ rursus in ipsius Nehemiæ mente inhærentes & diuinitus insitæ. Externas & aduentitias eas voco, quæ cum extrinsecus accesserint, voluntatem eius ad huius oneris susceptionem flexerunt atque incenderunt. Huius generis duas refert: vnam, Iudæorum in Susas aduentum: alteram, tristissimam eorum de Iudaicis miserijs nunciationem. Priorem eo ipso exprimit, quod dicit: Et venit Hanani, &c. Quis Hanani ille fuerit, sacerdos ne an princeps: neq; hoc loco, neque apud Iosephum satis apertis verbis expressum est. Iosephus enim [illegible], id est, hospites quosdam seu aduenas vrbem ingressos illi visos & auditos esse: hic vero Iudæos quosdam vnà cum Hanani vno de fratribus suis se conuenisse, scribunt. Cum autem fratrum nomine apud Hebræos, non hi solum qui ijsdem sunt parentibus orti, verum etiam patrueles & consobrini, & eiusdem ciues loci nominentur: agnatus ne an germanus frater ille fuerit, itidem in medio relinquitur. Sed quoniam præteritis aliorum omnium nominibus hic vnus nominatur: verisimile est hunc ei vel propinqua cognatione coniunctum, vel primariũ aliquem ciuem ac pium hominem fuisse, vt qui fratris nomine, & præ cæteris nominandus esse videretur. Horum autem aduentum ideo in loco mouentis causę ducit, quod ansam inde ad sciscitandum & cognoscen-

cognoscendum de patriæ miserijs & ærumnis accepisset: ac nisi illi venissent, hęcq; ei nunciassent, ipse rerum omnium ignarus nunquam in vindicandæ patriæ curam incubuisset. Expedit igitur, & ad res præclaras gerendas occasionem præbet, venire miseros & afflictos homines, qui de suis apud nos miserijs conquerantur: nempe vt ad commiserationem & beneficentiam excitemur. Ac quemadmodum singulari voluntate & prouidentia Dei factum fuit, vt Nehemiæ, cum diues ipse & potens esset, hospites afflicti & queruli aduenirent, nempe vt eius misericordia ac pietas exerceretur: sic diuitibus egentes, prudentibus imprudentes, benevalentibus ægri, fortunatis ac felicibus miseri, fortibus timidi diuinitus obijciuntur: quo sua cuique virtuti materia suppeditetur. Aduenarum autem illorum verbis causam posteriorem exprimit hoc modo: Qui remanserunt & derelicti sunt ibi de captiuitate in prouincia, &c. Quibus verbis Iudæos bis misero in statu fuisse narrant: primum quod ciues essent magno in dedecore & probro: dein quod vrbis muri deiecti & ignibus absumptæ portæ essent. Quorum alterum animis, alterum corporibus ac facultatibus eorum ingens dabat damnū. Dedecus enim & ignominia & mala gratia animos etiam generosos & excelsos sic deijciunt, vt assurgere ad res præclaras suscipiendas, si possint maximè, prorsus nolint, quando vident se suaq; omnia adeo nulla esse in gratia, adeo despici & abijci: vt quæ summis laudibus digna fecerint, ea grauissimam reprehensionem incurrant, quæq; optimo animo dixerint ac fecerint, ea in pessimam partem accipiantur. Qualem Iudæorum sortem fuisse, id argumento est certo, quod ea præsertim tempestate vicinarum gentium omnium odio, ludibrioque obiecti essent. Cum autem vrbem mœnibus nudatam perpetua quadam custodia vigilum pręsidijsq; munire aduersus incursiones inimicarum gentium cogerentur: magnus in ea re labor, magniq; eis sumptus positi fuerint, necesse est. Quare sanè & corporum vires & ciuitatis opes exhaustum iri nimirum viri graues & sapientes formidabant, & ceu tristissimo nuncio Nehemias non poterat non magnopere perterreri. Igitur illam de miserijs suæ gentis nunciationem etiam ipsam causæ mouentis vice refert. Atque his duabus rebus extrinsecus accedentibus voluntas eius ciebatur ad capienda consilia de patria restauranda, haud secus ac aurium & oculorum sensus alieunde obiectis coloribus ac sonis excitantur. Quoties ergo Deus huius generis res aliquas nobis obiecerit, videlicet animos nostros ad pietatis officia suscitandi atque propellendi gratia: licet externæ illæ sint & aduentitiæ causæ: tamen exemplo Nehemiæ discimus, etiam his cedendum aliquem locum, dum illæ internæ, quæ magis sunt efficaces, aliquo vehementiore motu spiritus sancti ipsæ quoque accedant. Quas autem Nehemias internas, in ipsius mente inhærentes & diuinitus insitas habuerit, suis ipse verbis hoc modo recenset: Cumque audissem verba huiuscemodi, sedi & fleui & luxi, &c. Quibus certè verbis sibi inhærentes causas duas comprehendit: fidem videlicet & charitatem. Ac charitatem quidem quinque notis expressam ob oculos ponit, Quarum hęc est prima, quod afflictis ciuibus aditum ad se adeo facilem dedit, vt humanitatis eius fiducia freti, quoties Susas venirent, illum etiam conuenirent. Credendum est enim Iudæos fama facilitatis eius adductos, crebrius eum accessisse, & ipsum eis ceu asylum & tutum perfugium fuisse. Ac licet magnus sit omnibus in hominibus charitatis & humanitatis splendor: tamen in principibus & excelso loco positis viris multò maximus is est & videtur. Quod exemplo Nebridij sui Diuus Hieronymus etiam declarat, quem scribit fuisse adeò humanum & liberalem, vt ad eum egentissimi quique semper confugerent, & quicquid à principibus postularet, eleemosynæ essent, & ipsi quoque principes eò libentius illi darent, quod certò scirent, huic data non vni sed compluribus impertita. Nec minor in ea re laus Abdiæ eius, qui in aula Achabi talem se præbuit afflictis prophetis, fuit. Et talem omnino fuisse Nehemiam hæc res docet. Secunda nota charitatis est, quod de fratrum statu sciscitatur. Id enim argumento est, eum licet esset in aula, ac res satis saluas haberet, tamen fratrum curam neququam deposuisse. Sardanapalus, Nero, Commodus, & eorum similes, sic sibi ipsis indulserunt, vt aliorum etiam suæ fidei creditorum hominum cura nulla tangerentur, nisi quoad illis ad satiandam vel crudelitatem, vel libidinem suam abuterentur. Quæ cum inhumanitate & duricie quicquid vsquam est iuris & humanitatis pugnat. Etenim si quod in ciuitate incendium aut aliud obortum malum audiatur, sanè è conuiuio, atque è consessu suauissimo suum amicorum, imò etiam è somno ad id restinguendum vt accurramus, ius singulare monet. Si quod vicino dari damnum, aut imminere malum videatur, iure gentium ad id depellendum adigimur. Sed & ius naturæ suadet eam, quæ in coniunctione membrorum corporis humani cernitur, συμπάθειαν, ac iubet esse hominem homini Deum. Diuino vero iure edocemur, non solum ad id vt vnum quoddā in Christo corpus simus, quemadmodū vnus nobis sunt Deus, Vnus inter Deum & homines deprecator, Vna fides, Vnus baptismus, Vna ecclesia: verum etiā, vt quemadmodum diuina prouidentia in omnes res sese extendit, omnium misericordia ac cura tangitur, omnibus

opem affert: sic ipsi quoque ad imaginem Dei propius enitentes, quàm plurimis prospicere, prodesse, benefacere studeamus. Quemadmodū item Deus non est adeo ocio suo addictus, vt nullam habeat rerum inferiorū curam: sic ipsi quoq; non ita nostrorū bonorum fruitioni dediti simus, vt reliquorum hominum curam omnem abijciamus. Veræ ergo hoc charitatis fuit, quod Nehemias etiam vltro de statu Iudaicarū rerum illos aduenientes interrogauit.
3ª. Tertiā autem charitatis suæ notam eam præbet, quod se dicit hanc rerum narrationē audiuisse. Quod nequaquā faciunt illi, qui in voluptatum suarum fruitionem sic incumbunt, vt eas sibi nullis miserorum hominum querimonijs interrumpi sinant: ac vel musicam, vel iucundas aliquas fabulas, vel ludos & iocos, vel quæcunque alia ad sopiendam conscientiam accommoda instrumenta malint. At est eximium & plurimum consolationis afferens humanitatis officium, aures præbere miserorum & afflictorum hominum querimonijs: quod hi nacti suarum querelarum aliquem patientem ac beneuolum auditorem, magno onera se leuatos arbitrentur. Quemadmodum enim corpora, cum vel potu ciboq; nimio repleta, vel humoribus vitiosis oppressa, iacuerint, purgationes & inediam aliquam requirunt: sic animi humani cum vel nimijs curis ac solicitudinibus repleti, vel mœrore & metu maximo obruti fuerint, alicuius amici beneuolas & attentas aures exposcunt, in quas cau sinum quempiam effusis querelis sese deonerent. Sin autem aliqui sint adeo magnis animis præditi, vt onera sua ferre malint, quàm eo modo deponere: quare multi vel senectutem & caniciem celerem, vel debilitatem, vel morbos, vel ipsam etiam mortem accersunt: maioris est humanitatis, sciscitando & inducendo quid eos angat, explorare, & quantam maximam possis super eo consolationem afferre. Quod Nehemias quoque se fecisse verbis his ostendit.
4ª. Quartam deinceps notam charitatis indicat in lachrymis atque in fletu. Quarum vim non exiguam fuisse ex eo colligi potest, quod duobus eandem rem significantibus vsus est verbis. Etenim אבל perinde vt בכה significat flere: quanquam prius illud coniunctum cum protractione spiritus fletum significare Hebræi tradant. At aliorum hominum commiseratione permoueri ad lachrymas ac fletum, idem omnino videtur esse quod apostolus dicit flendum cum flentibus.
5ª. His quatuor notis charitatis hæc adijcitur quinta, quod ieiunum se mansisse scribit: partim quia mœror cibos omnes repudiaret: partim quod pietas iniquum atque indignum duceret, vllo etiam licito modo corpus reficere, quando nullus sese reficiendi modus pijs fratribus reliquus esset. Atq; has quidem charitatis notas Paulus quoq; recitat 1. Cor. 13. Rom. 12. scilicet, benignam esse, omnia credere, communicare necessitatibus sanctorum, flere cum flentibus. His certe sese proferens charitas satis nimirum efficax ad excitandum Nehemiam fuit: quando eo vsque progressa nec impedimenta vlla moratur, nec res ad iuuandum commodas vllas prætermittit.

Fidei efficacis in Nehemia notæ 3.

Alterius autem inhærentis causæ vice fidem Nehemias profert, eamq; vt efficacem fuisse intelligamus, tribus notis describit: Vna, quod orat: altera, quod orat ante faciem Dei cœli: tertia, quod exquisitam quandam seruat orationis formam. Quæ res omnes, illustres sunt viuacissimæ atque efficacissimæ fidei notæ.
1ª. Primum enim quod in rebus ipsum angentibus ad pias preces tanquam ad sacram anchoram confugit, id eorum est proprium, qui vera fide sunt præditi, quiq; se filios esse Dei suis animis maximè persuasum habent. Quemadmodum enim parui pueri, quicquid ipsis molestiarum acciderit, quicquid item aut amiserint, aut expetant, aut quærant, ad parentes ac præsertim ad matrem, quam norunt ad commiserationem flecti posse facilius, rectà accurrunt: sic illi quicquid rerum aduersarum ingruerit, ad patrem cœlestem, quem & esse potentissimum omnium, & maximè misericordem norunt, vnum confugiunt, eiusque opem implorant. Potest hæc filiorum Dei consuetudo propè innumeris patriarcharum, prophetarum, apostolorum, vtriusq; testamenti sectatorum exemplis, si res postulet, ostendi. Sed & res ipsa fert, vt ad eum in suis quiq; negotijs confugiant, in quo plurimum spei præsidijque sibi positum credunt: cumq; illi plurimum tribuant Deo, ad illum ipsum maximè recurrant.
2ª. Quod autem se dicit ante faciem Dei cœli preces suas effudisse, eo ipso quasi quandam fidei suæ confessionem edit, qua persuasionem sententiamq; de Deo suam cum à populorum omnium superstitione, tum ab ipsorum Persarum religione secernit. Cum enim, vt D. Augustinus lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 27. perhibet, ex sententia Sceuolæ pontificis tria sint Deorū genera tradita: vnum à poetis, alterum à philosophia, tertium à principibus ciuitatum: hic ostendit ab horum nemine se, quis sit inuocandus didicisse, verū ita vt à Mose acceperit, eum qui cœlum, terram, maria quæque in eis sunt omnia, procrearit, vnum inuocare. Cumque reliquæ gentes multos & varios, vt cœlestes, terrestres, infernos, marinos, fontanos, fluuiales Deos sint veneratæ: & vt Martianus li. 2. memorat, nonnullæ gentes secundum sedecim cœli regiones, quas ex Hetruscorum disciplina Cicero in secundo de Diuinatione statuit, sedecim quoq; classes Deorum finxerint, & præter hos etiam alios ἀέριοι Deos coluerint: Nehemias indicat, se Deum vnum cœlestem adorare. Cum de-

nique

nique Persę inter quos Nehemias tunc agebat, Cœlum Iouem opinati sint, & solem ac lunam, reliquaq; insigniora sidera adorarint: hic declarat se Deum cœli, id est, cœli Dominum & conditorem adorare. Eius exemplum docet nos, ne quasi nostræ nos tedeat aut pudeat fidei, sic eam dissimulemus ac tegamus: verum potius quid inter nostram & alienam sit discriminis, ingenue sincereq; confiteamur. Sicut ait apostolus, Non me pudet Euangelij Iesu Christi: est enim potētia Dei ad salutem omni credenti. Sed & ante eum Daniel adeo non dissimulauit sui Dei cultum, vt aperte tis fenestris orans abs quouis spectari voluerit. Vocat autem eum cœli Deum, sicut Iuditha, cap. 5. & ipsemet etiam postea, cap. 2. quod sit totius mundi procreator ac parens, quodque sedes eius sit cœlum, & ipsam diuinitatem multifariam repręsentet. Quod deinceps accurata quadam atq; exquisita forma precationis est vsus: id est indicio manifesto, fidem in eo fuisse magnam ac propè singularem. Quemadmodum enim eximium opus, artis est eximiæ signum: sic gnaua, ardens, vehemens oratio, fidem prodit ardentem, magnam, vehementem. Sed vt in omnium hominum oculis atque animis appareat, quo quantoque fidei feruore sit precatus Deum: non solum eo quod subdit, אמר, id est, dici verbo promittit, verum etiam proposito precationis ipsius exemplo declarat: nimirum vt in genere causarum eò quod secutus est, in summa rerum petitarum, in ipsius orationis forma, quàm vehementi magnaq; cum voluntate mens eius ad propositam susceptamque causam fuerit applicata, conspiceremus. Ac quanquam mihi religio sit, in virorum sanctorum sermonibus, ac præsertim precationibus habitis ad Deum, rhetoricari, si possim maximè: existimo tamen prodesse plurimū non solum ad artem, verum etiam ad pietatem, si in ipsis omnis generis habitus, hoc est, artis pariter ac virtutis vestigia ac notas obseruemus: præsertim cum spiritus sanctus non minus bonarum & liberalium artium notitiam, quàm pias preces aspiret. Ac quoniam Nehemias in subito atque improuiso casu, in maxima animi perturbatione, in magna temporis angustia tenere potuit adeo excellentem orationis formam: certè & vsu studioque acquisitam, & peculiari spiritus afflatu multum auctam dicendi facultatem in illo necesse est agnoscamus. Idq; in genere, in materia, in forma totius orationis, quas res præcipuè ponderandas paulo ante diximus, facile est obseruare. Erit enim ad id causarum genus hæc oratio referenda, quod deliberatiuum appellatur: quando hoc agit Nehemias graui petitione, vt diuinitus impetrentur & admissę culpæ condonatio, & tanta apud regem gratia, qua auxilia ad instaurandam patriam obtineantur. Neq; vero qui diuinam opem implorant, in huius generis locis ideo versantur, vt quasi ipsis cum homine, cuius voluntas suadendo & dissuadendo flectitur, res esset, sic immutabilis & sempiterni Dei mentem flectere conentur: sed vt quas rationes naturæ & voluntati & verbo Dei sacris literis expresso, quàm maximè consentaneas inuenerint, has ipsas ad suam ipsorum fidem suscitandam, augendam, confirmandam assumant: ac rursus eas res omnes animis suis explodant, quibus putent sibi spem ac fidem deijci, aut saltem debilitari. Idq; constat etiam hoc loco Nehemiam sedulo fecisse. Summa autem ac caput orationis huius est: eum esse Deum, qui ipsos, siquidem velit, ex his ærumnis & angustijs facilè queat eripere, eosq; hoc petentes exaudire. Ac quanquam fateatur dignos esse sese, quibus hæc euenirent mala: vt qui suis peccatis ipsum vix ad irrogandas has pœnas adegerint: spem tamen ipsis esse, partim amplissimis eius promissis, partim ratione fœderis factam: fore, vt suo nutu flectat mentem & voluntatem regis ad auxilium ipsis afferendum. Obseruata antem hac illius orationis summa admonemur, eas solum res à Deo eùm rectè peti, tum impetrari posse, quæ cum voluntate & gloria Dei conueniunt, quæq; non minus animabus, quàm corporibus & externis bonis sunt profuturæ. Nec mirum est nonnullos diu multumq; precando nihil impetrare, eum stulta, inania, sæpe etiam iniqua ac mala petant: quibus cum potiti essent, se suosque perditum irent. Nehemiam nihil eius generis rerum postulasse vel hæc orationis eius summa commonstrarit. Ideam vero seu formam orationis huius inspicere & considerare, vel ob id profuerit, quod orantis fidem plenius ac melius expresserit. Nam si verum sit, quod & opinione vulgi receptum est, & sententijs iudicijsque virorum grauium ac sapientium confirmatum habetur: orationem hominis, esse ipsius animi speculum: in orationis Nehemię forma, animi quoque eius expressam imaginem necesse est, videamus. Orationis autem huius idea partim in dispositione, partim in elocutione cernetur. Et elocutio quidem sic est consideranda, vt primum quibus in generibus versetur, tum quas res habeat, videamus. Videtur autem hæc in medioeri genere versari. Etsi enim primum se demittat ad illius imi & quotidiani sermonis voces ac formulas: vt qui supplex sit & quasi abiectus ad pedes omnipotentis Dei: tamen iterū inde erigit animum ad maiestatem & potentiam præcipueq; gratiam Dei, ad fœdus ac testamentum Dei, ad statum & dignitatem populi Dei: atq; eas ad res repręsentandas vtitur aptis & accommodis verbis. Cum enim se suosque homines reos confitetur, seque exaudiri postulat, vtitur humili demissoq; sermone: ac rursus eum per prosopopœiam introducit ipsum Deum Israelios alloquentem, augustiora

adhibet, & tantæ maiestati magis conuenientia verba. Ergo modo descendendo in suam miseriam, modo ad Dei veritatem & gratiam ascendendo, sicque suarum virium desperatione cum potentiæ & misericordiæ diuinæ fiducia temperata, mediocris generis oratio efficitur. Habet etiam hæc eadem elocutio primum elucentem in apertis & vsitatis verbis elegantiam, tum conuenientem animo pio ac probo verborum compositionem, deniq; splendentem in ornatu sententiarum simul ac verborum dignitatem. Quod testantur in verbis aphæreses, enallagæ, metaphoræ: in sententijs prosopopœię, comparationes, correctiones, aliaque plura vtrinq; adhibita ornamenta. Hac elocutione licet adeo perfecta ac commoda haud inferior est dispositio partium orationis. Quatuor enim partibus hæc oratio omnis est distributa. Ac primum exordio viam sibi sternit ad thronum Dei, atq; ad id quod postulabat, impetrandum. Narratione vero confessionem simulac petitionem comprehendit. Confirmatione rationes promit, quibus non minus fidei quàm causæ suæ robur afferatur. Conclusione redit eò, vnde exorsus fuerat orationem, & instruit omnia ad motum. Atque in hac pulchra precationis forma fides huius viri videtur sese totam explicare, & quas parit in homine virtutes & gratias omnes producere & ponere in conspecto piorum hominum contemplandas. Elucent enim elegantia mentis atque indolis in concinnitate verborum & sententiarum: sinceritas in vsitatis & perspicuis verbis: pietas ac modestia in orationis genere mediocri: prudentia in verborum proprietate & orationis partium dispositione: ardor ac vis fidei in sententijs pariter ac verbis ad motum animorum atq; ad amplificationem rerum æquè comparatis. Ac quò minus est putandum ei in tantis angustijs, vt vllas in orando artis præceptiones sequeretur in mentem venisse: eò magis est credendum, ipsum vel exercitatione & vsu, vel bonitate naturæ, vel afflatu spiritus sancti, vel his omnibus coniunctis rebus hoc consecutum, vt etiam cùm subito dicendum esset, omnia melius citra artis studium, quàm alij maxima artis obseruatione, præstaret. Igitur hoc exemplar ob id etiam nobis ob oculos positum arbitremur: vt inde quas qualesqoe conueniat esse precationes nostras intelligamus: nimirum non neglectas, non inanium aut prauarum rerum causa susceptas, non incertas ac dubias, non frigidas & remissas: sed non minus voluntati & gloriæ & regno Dei quàm saluti nostræ conoenientes. potentiæ & gratiæ Dei fiducia ac spe refertas: fide & studio gloriæ diuinæ flagrantes: religiosas ac numinis obseruantes. Ac quoniam cernimus huic viro in maximis etiam temporis simul ac mentis angustijs oranti, non minus aptas ac concinnas, quàm pias ac graues sententias excidisse, idque vel assiduo vsu, vel afflato spiritus Dei, vel vtraque re factum: ipsi meminerimus nostra quoque interesse: vt dum pace fruimur & tranquillis animis sumus, assidua multaque precum compositione nosmet exerceamus: & quoties oraturi sumus, oremus autem quamplurimum, ante omnia spiritum sanctum, qui precibos nostris aspiret, à patre opt. max. in vnigena filio, Domino nostro Iesu Christo, impetremus. Nam quantum ad exercitium pertinet, quemadmodum oratores commentatione & cogitatione molta ad subitam & fortuitam orationem præparantur & instruuntur: sic assidua precum ordinatarum compositione tandem hoc consequimur, vt etiam improuisis casibus aptissimas voces ac formulas habeamus. Et quodnam potest esse pulchrius ac salubrius exercitium? Quis item nescit ipsum quoque Dauidem Psalmos complores in pace & ocio composuisse, eoqoe exercitio piam illam ac dioinam eloquentiam sibi comparasse? Comque spiritus sanctus magister artis huius sit optimus: Vt qui voces filijs Dei conuenientes aspiret: orandus est pater in filio, vt ne eo nos magistro dedignetur. Videre est autem hoc loco, vt eandem viam opera charitatis atque fidei simul ingrediantur: quando Nehemias pro eo ac magnopere ciues suos diligit, eorum causam tantæ sibi curæ esse patitur, vt ad eam prouehendam vndecunque potest, adiumenta quærat: & pro eo ac credit, vnum Deum sibi suisque hominibus posse esse auxilio maximo, statim opem & auxilium eius implorat. Eo nos exemplo monemur, vt & piorum fratrum causas quanto maximo possumus opere & studio promoueamus, & ad omnia negotia nostra conficienda non aliunde nobis, quàm ab ipso Deo auxilia comparemus, & in his impetrandis fidem & diligentiam maximam adhibeamus.

5 Quæso Domine Deus cœli fortis, magne atq; terribilis, qui custodis pactum & misericordiam cum his, qui te diligunt & custodiunt mandata tua.

Exordiũ hoc versu continetur, & perinde est ac si dixisset: In eas angustias nostræ oobis sunt redactæ copiæ: vt inde educi nostro Marte oon possint. Quocirca ad te confugimus, qui tanta magnitudine beneficentię, gloriæ, & potentiæ præstas: vt sola tui nominis fama terrere, nedũ viribus ac potentia superare potentissimos etiam hostes queas. Ac quanquã te, violato fœdere grauiter offenderimus: confidimus tamen te, pro eo ac non solum verax, verum etiam ad commiserationem propensus, & ad condonandam culpam facilis es, nobis quoq; promissam opem licet indignis allaturum.

larurum. Atq; sic quidem exordium Nehemias primnip à sua suorumq; ciuium persona tantum: dein à persona Dei solum: denique ab vtriusque partis persona simul ducit. Ac primum se suosque homines spectat, cum אנא dictionem, quæ significat obsecro, quæso, aut similes supplices voces orationi toti præponit. Est enim ea vox, vt Hebræorum doctores perhibent, non solum obsecrantis, verum etiam indignitatem aliquam aut necessitatem vltimam confitentis. Quamobrem ea viri pro animi sibi ingenita magnitudine, & hi quibus res suæ saluæ sunt & integræ, nunquam: sed imbecilles fœminæ, cupiditatum flammis incensi pueri, pœnarum metu torti sontes, alijs angustijs alij represi tantum vtuntur. Nehemias igitur hac vsus præsertim in ipsis huius orationis initijs, significat, se non aliter appellare Deum, ac parentes orare filij soleut: non dissimulata scilicet desiderij sui magnitudine: ac rursus hac eadem innuit, se non ire inficias admissam culpam & commeritas pœnas, ideoque supplicem abijci sese ad pedes Dei. Eo vero pacto primum adoptionis iure, & eo quod filij sint Dei, sese consolatur: deinceps autem hæc eadem bona, quasi per diminutionem extenuaret, sic suapte sibi culpa ferè perdita, supplici voce illa conqueritur. Quorum alterum est solatio maximo, habere videlicet fidnciam adoptionis cœlestis, spiritum Dei, pignus salutis sine mente comprehensnm: alterum salubris est humilitatis & modestiæ, quam pater opt. max. vnam sua gratia maximè dignam ducit. Eodemqne modo omnes, qui quidem prece & obsecratione fructuosa velint vti: coufidant quidem se esse filios Dei, sed simul agnoscant se filios esse minimè bonos, ideoqne maiore gratiæ quàm iuris fiducia niti. Ita si neq; ingenuæ fiduciæ, ueque culpæ commissæ magnitudine dissimulata, sinceram simul ac fidentem orationē instituant, ea ipsa certè quæ volunt facilius consequentur. Iam quemadmodum à notitia suijpsius homines ad notitiam Dei solent peruenire: sic orans ille ad personam Dei à sua ipsius persona transitionem facit, dicens: Domine Deus cœli fortis &c. Grandia sunt & plena consolationis efficacissimę verba: prę sertim si qualia sunt ac videntur in veritatis Hebraicæ fontibus, talia quoque nostris animis comprehendantur. Primum enim tribuit ei, cuius opem implorat, excellentissimum illud Dei nomen IEHOVA, quo princeps illa, ac quicquid rerum est vspiam continens essentia significatur. Eum Deum qui norunt vbique præsto esse, omnia continere, conseruare & regere: hi uon possunt non sibi ipsis etiam eius opem & gratiam polliceri. Huic vt proprio nomini Dei deinceps assignat alia notiora: vt אלהי vulgare nomen Dei: vt אל, quod robur ac potentiam Dei significat: vt quod magnum & terribilem vocat. Videtur autem primo illo & proprio Dei nomine, quemnam inuocet, profiteri: dein posteriorum nominum congerie, quid statuat de Deo, significare. Quæ res ambæ in omnis precationis initijs suut spectandæ. Nisi enim inuocemus eum, qui nobis vnns & est adorandus, & rogatus opē afferre potest, in portu impegimus: ac nisi illius virtutes probè cognitas altissimaque mente repositas habuerimus, perexiguum nostræ fidei robur accesserit, eoq; preces minus erunt efficaces. At si persuasum animis habuerimus Deum esse omnium optimum & maximum: Deum esse omnipotentem: Deum esse qui terræmotibus, turbine, procellis, tonitru, fulgure, fulmine, quouis nutu suo potentissimis tyrannis queat metum terroremque incutere: certè eius opis fiducia freti, nec minas nec vires quorumuis inimicorum metuemus. Rectè ergo Nehemias his nominibus Dei in his iuitijs orationis suæ sese consolatur. Simul autem ab vtriusque persona ad suscitandam fidem colligit argumenta, quando ait: Custodiens pactum & misericordiam cum his qui ipsum diligunt, & custodiunt mandata eius. Quo ostendit Deum adeo in dictis constantem & veracem esse: vt & si ipsi fides non seruata fuerit, ipse tamen à pactis & conuentis ne latum quidem vnguem discedat: vt qui ius suum bonitate & clementia moderetur, modo senserit obseruantiæ erga se vel exiguam in hominibus scintillulam superesse. Atque sic proposita quadam comparatione declarat in Deo quidem pacti custodiam & clementiam, in hominibus amorem Dei, & obseruantiam diuinarum legum. Iam quemadmodum amor Dei & studium eius legum, quoniam ad tuendam salutem mortalium tantopere conducnnt, perpetuo quodam verbi diuini, sacramentorum, piarum precum vsu, ne penitus vnquam extinguantur, cum foueri tum suscitari debent: sic Dei veritas & constantia, quoniam etiam immeritis atque indignis nobis propitium faciunt Deum, ne qua obliuioue deleantur, in animis uostris firmissima fide atque inuicta spe sunt conseruandæ & custodiendæ. Idq; Nehemias non sine maximo suo suorumq; hominum commodo fecit. Proponitur autem in hoc illius orationis exordio perpulchra, & quidem eius generis, quam [illegible] vocant, definitio Dei: in qua maximæ & solatij plurimum afferentes Dei virtutes demonstrantur. Qua de causa viri pij, inde ab huiusmodi laudibus diuinis preces suas exordiuntur: vt apud Esaiam Ezechias, Domine exercituum Deus Israel, qui sedes super Cherubim: tu es solus Deus, &c. vt apud Lucam in Actis Apostol. Domine tu es Deus, qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, &c. sed & hoc genus exordia, non minus opt. max. patri grata, quàm orantibus esse salubria filius Dei nobis indicat hoc ipso, quod in illa com-

muni, quam toti populo Christiano præscripsit orationis forma, voluit à patris cœlestis appellatione exordium duci: nempe vt paternæ voluntatis simul ac cœlestis opis spem initiò statim conciperemus.

6 Fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coram te hodie, nocte & die pro filijs Israel seruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israel quibus peccauerunt tibi: & ego & domus patris mei peccauimus.

7 Vanitate seducti sumus & non custodiuimus mandatum tuum, & ceremonias & iudicia, quæ præcepisti Moysi famulo tuo.

Altera parte precationis huius, quæ est narratio, quid sibi velit, breuiter ostendit. Ac quoniam oportet omnes, qui quidem vount alicuius opem & consilium implorare, duabus rebus maximè studere: vni, vt ipsos grauis & modestæ postulationis neque pudeat neque pigeat: alteri, vt rerum ad propositam causam pertinentium nihil quicquam celent eum, à quo cons[ilium] & auxilium petunt, & rem omnem, vt est acta, totam aperiant: has res Nehemias pro salute suæ patriæ vota faciens ambas seruat, eoq; ipso ad auxilium obtinendum optimam sibi viam sternit. Cum enim homines sic sint comparati, vt nisi rogati, nec opis nec consilij quicquam velint afferre: mirum ni requirat Deus, vt quas res ab ipso volumus accipere, eas iustis ac dignis precibus impetrare contendamus: cumq; minimis etiam in negocijs consilium nobis vtile & sanum nequeat vllum vnquam afferri, nisi ijs, quæ ad propositam causam pertinent, rebus omnibus cognitis ac consideratis: erunt etiam animabus nostris inflicta vulnera è fascijs & inuolucris suis euoluenda, vt ab opt. max. medico penitius inspici curarique melius ac facilius possint. Qua de causa Nehemias etiam ipse sic diuinitus opem & consilium petit, vt omnis dissimulationis integumentis euolutam nudatamque suam suorumque ciuium vitiositatem & miseriam quasi in conspectu Dei deponat. Quò fit, vt hanc orationis suæ partem duobus membris partiatur: ac priore petitionem instituat, confessionem posteriore edat. Ac petitionis quidem verba sunt hæc: Fiant aures tuæ auscultantes, &c. Eiusmodi namque petitionem his ipsis instituit, quæ præsertim in fontibus veritatis Hebraicæ distincta sit & frequentata luminibus verborum & sententiarum. Etenim in verbis תהי נא per aphæresim, א, prima litera dictionis אנא aufertur, eoque י & א duarum vocalium collisio deuitatur: post in קשׁבת participio, מ litera, quæ est index participij, itidem per aphæresim ademta: tum quasi per ἀντονομασίαν aurium & oculorum nomina pro videndi & audiendi sensibus ponuntur. Qua figura fit, vt aures & oculi Deo tribuantur: sed ἀνθρωποπαθῶς, id est more humano. Neque enim est quod corporeum quicquam in illa corporis omnis experte substantia [n]aturaque Dei, nobis imaginemur: sed cum pie ratiocinemur potius: eum qui sit aurium & [o]culorum conditor & moderator, audiendi videndique facultate maximè pollere, res in locis abd[itis]simis reconditas cernere, tam gemitus ac suspiria, quàm verba ac voces exaudire. Quod meatu sanguinis Abeli, Agarræ eiulatu, suspirijs afflictorum in Ægypto Israeliorum, alijsque editis exemplis sæpe testatum fecit, & in animos omnium hominum sic inseruit, vt vulgo dicatur [illegible]. Estq; id magno cum bono nostro factum: quando nihil est aliud, quod vel consolationem maiorem miseris & afflictis afferre queat, vel deterrere citius à scelere & maleficio malos possit: quàm quod creditur Deus, omnia audire & cernere. Accedit autem his luminibus illud etiam, quod penè singulæ particulæ petitionis huius suam peculiarē vim habent. Primum enim hanc orationē suam תפלה appellat, eoque non obscurum fidei in Deum suæ signum præbet: quando hoc nomine significant Hebræi non simplicem modo petitionem, verum eiusmodi quoque expositionem causæ, quali qui in maximis negotijs consilij capiendi gratia prudentes ac præpotentes adeunt viros, vti solent: certa nimirum vel auxilij vel consilij spe & expectatione excitati. Iam cum fides preces faciat efficaces: magnum postulationi suæ robur affert ille tam luculenta fidei suæ professione. Deinceps autem seruum Dei se vocat, eoque nomine declarat, se non sibi ipsi inseruire, non suis affectibus indulgere, non suis commodis inhiare: sed ipsius Dei populique Dei causa magis laborare, quàm sua. Cumque suis in negotijs versantem seruum tueri pariter ac iuuare quisque debeat herus: indicat sibi quoq;, opis diuinæ diuinis præsertim in negotijs affuturæ spem non dubiam esse. Præclara certè & ad confirmandam fidem supra quàm dici queat, efficax ratio: nihil petere aliud à Deo, quàm quo gloria diuina ac salus hominum prouehantur. Nam qui vel malas atque illicitas res, vel falsò visa bona petunt, eos non mirum est id quod petunt non impetrare. Veluti Iacob. 4. dicitur: Petitis & non accipitis: eò quod malè petitis. Quod & Diuus Augustinus abs se animaduersum indicat cùm dicit: Deum aliquando negare propitium, quod iratus concedat: hoc est,

Deum amore nostri ductum sæpe nobis ea negare, quæ in perniciē nostram vergerent impetrata: ac rursus iratum illicitis votis nostris annuere, vt ijs nos quasi pœnis plectat. Ergo tutissima via suam Nehemias postulationem ducit, quando diuinis ac communibus potius, quàm suis ipsius proprijs commodis seruientia petit. Tertiò dicit, coram te: eoque se fatetur agnoscere, quod in oculis Dei versetur, & cum eo, qui sua mentis acie in humanorum cordium recessus intimos penetret, colloquatur: qua de causa nihil aliud mente voluat, quàm quod verbis præ se ferat. orationem suam ab omni simulatione & dissimulatione procul esse remotam ac segregatam. Cum autem, quemadmodum in Ananię & Sapphirę exemplo cernitur, summum & præsentissimum exitium attrahens crimen sit, illum patrem velle fallere: consequens est, huic contrà sese totum aperire, longè esse saluberrimum. Quartò, cum dicit, hodie: ea posita temporis nota, quasi quadam hypotyposi tristissimum illum sui temporis statum ob oculos Dei ponit: quasique dicit: his tam perditis ac miseris temporibus, fieri non potest, quin ad commiserationem permouearis. Quintò dicit: die & nocte. Quod indicium est perseuerantiæ. quæ & ipsa tam ad id quod postulatur, impetrandum, quàm ad augendam atque confirmandam fidem conducit. Cum enim omnis appetitio bonæ planè ex ipso omnis boni fonte existat; sitque motus diuinus: & id quod mouetur sola motus sui continuatione ad spectatum & optatum finem deducatur: certè perseuerans in animis nostris, nosque ad continuandas preces subinde excitans appetitio nos non modò ad expetita bona tandem deducet, sed & antequam his potiamur, eo ipso nos consolabitur, quod Deus nos mouere cessaret, si quidem nollet ad finem præstitutum vsque mouendo deferre. Qua de causa quemadmodum Luc. 18. inquit Dominus, oportet semper orare, & nunquam deficere: & rectè Paulus 1. Thess. 5. monet ἀδιαλείπτως, id est, nulla interposita cessatione orandum. Postremò dicit, orare sese non pro seipso, verum pro filijs Israel seruis Dei, & pro dulcissima patria, & pro populo Dei. In quo videre est duobus nominibus collaudandam pietatem: vno, quod patriam, altero, quod populum Deo fœderatum tantæ sibi semper habeat curæ. Cumq; eo refricet memoriam veteris amicitiæ, non parum etiam spem iuuat. Etsi enim amicitiæ leges violassent: adhuc tamen illi sua Dei seruorum nomen apud vicinas gentes obtinebant, proptereaq; eis inuisi exosiq; erant, & propensissima ad restaurandam amicitiam voluntate. Eius quoq; rei ratione ductum iri Deum ad iuuandum illos confidebat. Atque hoc est narrationis illius membrum prius, quo sua Deo vota atq; desideria aperit, hisque responderi petit. Huic iam posterius illud adiungitur, eoque confessio verbis hisce expressa profertur: Confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccauerunt tibi: & ego & domus patris mei, &c. Id est, Verum illis votis ac desiderijs meis, quaqua me conuertero, magna video impedimenta opposita: quorum mihi depulsio non minus est laboriosa, quàm postulatarum rerum impetratio grauis. Siue enim me supplicantem spectem, sentio me, pro eo ac homo sum peccatis obnoxius, indignum, qui pro alijs orans exaudiar: siue populum eum, pro quo tibi supplex fio, considerem, intelligo tot tantisque peccatis ab eo te læsum & offensum, vt ad gratiam ac culpæ condonationem te per tuam sanctitatem & iustitiam adduci posse vixdum credi queat. Sed quoniam tibi clementissimo patri tantopere semper placuit ingenua sinceraq; confessio, vt hac vna ferè semper ad condonandam culpam mouearis: ego quoque tam me, quàm illos ipsos tibi reos sisto, nosq; multorum peccatorum reos fateor, teque supplex oro, vt neque mea, neque illorum peccata votis meis obstare patiare. Atque sic quidem quod ipsi poterat obijci, indignos scilicet esse, quibus hoc daretur, isthac confessione quasi quadam occupatione præuenit, & ipsemet vltro confitetur, ac ne noceat, deprecatur. Quo exemplo discimus nostra quoq; magnopere referre, vt quam iure suo nobis intentare actionem poterat Deus, hanc nostra ipsorum confessione & deprecatione præueniamus. Præstat enim hanc animaduersionem à nobis ipsis quàm ab illo fieri. Videre est etiam hoc loco, quanti referat, adiunctas esse precationibus nostris confessiones: nimirum vt per has amotis peccatis & placato Deo, nihil deinceps nostris precibus obstet. Credendum est etiam huc apposito confessionis huius exemplo, quæ qualesque confessiones precibus nostris afferant robur, indicari. Et hæc quidem sic est instituta, vt à quibus, in quem, quo modo peccatum sit admissum, conspiciatur ac consideretur. Eos enim, à quibus perpetratum peccatum fuit, partim filiorū Israelis, partim suæ ipsius personæ notatione commonstrauit. Quod autem eorum, quos habebat charissimos, peccata nec dissimulat, nec excusat, sed ingenuè confitetur ac deprecatur: est sinceritatis Deo gratissimæ. Neque enim quisquam nobis est adeo tenere diligendus, vt eius excusandi causa, quę vitiosa sunt ac praua, vllo iure & æquitatis colore pingere & ornare enitamur. Væ dicit Dominus apud Esaiam illis, qui dicunt malum bonū, & bonum malum. Eiusmodi contumacia potius offenderemus, quàm placaremus Deum. Rectè ergo Nehemias hanc offensam confessione sua deuitauit. Quod deinde se quoq; in numerū peccatorum refert, quasiq; per correctionē tollit & emendat, quod antea de peccatis ciuiū dixerat, ego, inquiens,

& domus patris mei peccauimus: id humilitatis est & modestię Christianę, qua adductus sua quoque ipsius peccata agnoscit ac confitetur: ac cauet, ne vel ipsorum peccata solum reprehendere, vel innocentiam suam iactare & prædicare velle videretur. Idque planè rectè, & iure. Cum enim & vitiosi motus in animis nostris crebri fiant, & vix quicquam adeo bene vel dicamus vel faciamus, quod non aliqua vitiositatis ingenitæ labe deformetur, & in peccatis nati conceptique simus: non est quod vlla Pharisaica arrogantia turgeamus. Multæ subeunt animos humanos modo cogitationes prauæ, modo suspiciones iniquæ. Multæ eosdem modo inuadunt, modo incendunt atque inflammant impuræ cupiditates. Quæ vitiositas opinionem innocentiæ & iustitiæ adeo omnem explodit, vt qui sibi integritatis atque sanctimoniæ laudem vllam arrogarint, hi impudentis vanitatis & mendacij magni crimen incurrant. Idque docet Diuus Ioannes inquiens, si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate. Qua ratione spectata Nehemias maluit confessione & deprecatione vitiositatis ingenitæ diuinitus impetrare sanctimoniam, quàm opinione iustitiæ falsa impuritatem innatam & retinere & augere. Sub hæc erit considerandum, quod peccatorũ domus patris meminit, hæcq; etiam peccatis suis quasi includit. Etsi enim minimè decet, vt quemadmodum Chamus verenda patris sui nudauit, sic ipsi maiorum nostrorum vitia in grandem eorum ignominiam protracta exaggeremus: hæc eadem tamen meminerimus nequaquam dissimulanda, multò minus defendenda, minimè gentium assumenda ad imitationem, sed agnoscenda coram Deo, & deprecatione supplici depellenda. Quò nos excitarit, quod sæpe factum constat, vt peccata parentum posteritati quoque dederint damnum. Quod qua ratione fiat, nec Plutarchus ignorauit: vt qui in libro de Sera vindictæ numinis causas eius rei inuestigat & profert. Etsi enim suas quiq; luant culpas pariter ac pœnas: tantum tamen est peccati virus: vt à primis in proxima, & ab his in vltima serpat. Videmus etiam vt maiorũ suorum peccatis infectæ ciuitates, ægrè & propè nunquam deponant inueteratam improbitatem, & antiquos mores modo minus exerant, modo magis. Videmus etiã nostra patrumq; memoria fieri consueuisse, vt auita vitia ad nos haud secus ac priscę vestimentorũ formę reuertantur. Quamobrem ne quod obstans suis votis impedimentũ restaret: populi totius, sua ipsius, maiorum peccata omnia agnoscit, confitetur deprecatur. Eum autem in quem peccatũ commissum erat apertis verbis appellat: tibi, inquit, peccauimus, hoc est te potissimũ offendimus: tu nobis vnus es placandus. In eum enim potissimũ peccatur, cuius leges negliguntur: quando contẽptis ipsis legislator quoq; in contemptum adducitur. At quo modo peccarint, nullam peccati speciẽ reticens dicit: vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum, &c. Quæ verba admissam culpam bifariam augent: primum translatione per [illegible] Hebræis visitatam repertam: dein enumeratione partium ipsa genera scelerum referente. Et primum dicit: חבל חבלנו, id est, rumpendo rupimus, vel, dissipando dissipauimus. Quo loco tamen est obseruandum, quod vulgatæ versionis author in Hebræo verbo videtur, ה he, pro ח chet legisse, quando vertit vanitate seducti sumus: At l x x. Interpretes, quando, διαλύσει διελύσαμεν πρὸς σέ, id est, dissolutione dissoluimus, vertunt, etiam ipsi lectionem Hebraicam nostram videntur habuisse. Sed & illa à funibus aut vinculis ducta metaphora aptissima est ad peccantium ferociam ac petulantiam referẽdam. Quemadmodum enim indomitæ feræ, vel homines furiosi nec vinculis nec compedibus teneri possunt, verum ceu crabrones aranearum telas perrumpunt: sic homines impij, proterui, nefarij nullis legum vinculis teneri, nullis habenis disciplinæ ciuilis frenari, nulla iuris obseruantia, nulla religione cohiberi possunt, quin omnem in malitiam ac libidinem erumpant. Quam libidinem Psal. 2. Psaltes depingit. Euidens est hæc enormis proteruiæ descriptio: sed enumeratione partium ea, quam mandati, ceremoniarum, iudiciorum nomina repręsentent, magis extollit. Etenim mandata, quæ Hebræi המצות, Græci ἐντολὰς appellant, videntur eam diuinarum legum classem, quæ præcepta de vita ac moribus continent, significare. Quod genus preceptiones continent doctrinã cõmunem & omnibus seculis ac hominibus conuenientem: quarum item in philosophicis scriptis expressa vestigia cernuntur. Quas deinde ceremonias vulgatæ versionis author nominat, eas Hebræi החקים, Græci προστάγματα dicunt. His arbitramur ritus sacrorum, quæque de victimis, diebus festis, omnibus ad Dei cultum pertinentibus rebus lege præscripta sunt, comprehendi. Quæ licet in eum finem minimè sint constituta, vt perpetuo seruarentur; ob id tamen illis esse in precio debuere, quod mysteria maxima habuerunt, & vt ait apostolus, instar pædagogi nos ad Christum deduxerunt. Postremo loco iudicia, quæ המשפטים Hebræi, κρίσεις Græci vocant, ponit: quorum nomine videntur dici leges ciuiles, & quæ solent in iudicijs atque in foro obseruari. Quæ licet ipsæ quoque Iudæis latæ fuere: magnam tamen iuris communis partem complexæ sunt, & Hebræis

vtiles

vtiles extitere. His omnibus violatis videre erit, adeo perditam ac corruptam Hebrçorum vitam ac disciplinã fuisse, vt nulla parte officij custodita, nec publicè nec priuatim lege seruata, neque Deo neque hominibus quæ debebantur data fuisse. Quæ mala Nehemias adeo non dissimulat, vt apertè confiteatur. Idque pertinebat ad plenam causæ quam agebat, expositionem.

8 Memento verbi quod mandasti Moysi seruo tuo dicens: Cum
transgreßi fueritis, ego dispergam vos in populos.
9 Et si reuertamini ad me, & custodiatis prçcepta mea, et faciatis ea,
etiam si abducti fueritis ad extrema cœli inde congregabo vos, & reducam in locum quem elegi, vt habitaret nomen meum ibi.
10 Et ipsi serui tui, & populus tuus quos redemisti in fortitudine tua
magna & in manu tua valida.

Iam confirmatione, quæ est tertia pars precationis huius, argumenta ad faciendam fidem duo afferuntur: quorum prius à verbo Dei, posterius ab ecclesia assumitur. Quæ sanè quam efficacia sunt ambo: vt quæ & plurimum valeant apud Deum, & animis humanis certam ac solidã faciant fidem. Nihil enim est verbo diuino firmius: quando vt ipsius scripturæ verbis vtar, cœlum & terra prætereunt, verbum autem Dei manet in æternum. Qua ex re colligimus, quod vt frustra non timentur, quæ minitatur Deus mala: sic quæcunq; is promiserit, minimè frustra expectentur bona. Nihil item est in rebus conditis præter ecclesiam, quod amore maiore Deus cõplectatur: quippe cuius & fouendæ gratia totum hunc mundum quæq; in eo sunt omnia procrearit, & redimendæ tuendæque causa filium vnigenam mori voluerit. Quod est argumento certo & firmo, tanta Deum beneuolentia erga hanc propendere, nihil vt poßit illi quantumuis magnũ denegare. Maximum igitur hæc argumenta ad faciendam fidem pondus habent: idque si penitius inspiciatur, multò magis perspicuum fiet.

Ac prius illud quod à Verbo diuino ducitur, sic exprimit: Memento verbi, quod &c. Quibus verbis comprehendit summam earum promißionum pariter ac minarum, quæ 29. & 30. Deuteronomij capitibus proponuntur. Quæ res eò plus ponderis habet, quod Deus ipse Hebræos in hanc sententiá alloquens per prosopopœiam introducitur: si vos sacrosancti fœderis huius conditionibus ruptis ac violatis, à me defeceritis: ego vt in multas ac varias orbis partes instar pecoris abigamini, faxo: nempe vt qui libertate nescieritis vti, merito vestro seruiatis. Ac rursus vbi ducti pœnitentia, in fœderis officijque vestri viam redieritis: licet in extimas orbis oras disiecti fueritis: ego tamen inde vos in vnum cœtum congregatos in libertatem & dignitatem pristinam vindicabo. His promißis atque minis Dei in memoriam reuocatis Nehemias spem sibi minimè dubiam facit, eiusque etiam ipsum Deum admonet hoc modo. Hæc nos ex Mose primú audiuimus, post experti sumus rectè vereq; dicta: quando malis ijs, quæ minatus eras, omnibus obruti sumus. Iam cum veras viderimus tuas minas: restat vt veras quoque experiamur promißiones. Cumque iam aliquanta parte oneris eius nos leuaris: spes est eo ipso nobis aucta, fore, vt inchoatum beneficium tandem perficiatur. Est hæc, vt apparet in omniũ hominum oculis pulcherrima simul ac firmißima ratio. Ac si membratim inspiciatur, nullum eius membrum vtilibus fidei vitæque Christianæ documentis vacuum deprehendetur. Primum enim, vt habet Hebraica veritas, Deus enunciatione simplici prædicit fore, vt à sui fœderis legibus ac pactis discederent: id illis, cum prædiceretur, incredibile videbatur: nempe vt populus diuinitus electus, tantorum prophetarum, sanctorum angelorum, ipsius Dei verbis eruditus, peculiaribus mysterijs ac sacris, itemque diuinæ legis vsu ad Dei cultum ac fidé assuefactus, tot tantisq; Dei beneficijs auctus & ornatus, tantis miraculis confirmatus, tot pietate & doctrina claris viris abundans, à veri Dei cultu deficeret ad cultum peregrinorum deorum. At qui plus veritati diuinarum prædictionum, quàm humanis viribus tribuebant, his persuaderi potuit, futurum olim quod Deus, qui nec fallit, nec fallitur, prædixisset. Quo profectò exemplo nos admoniti in seruanda nostra statione tanto maiorem curam diligentiamq; adhibeamus: præsertim cũ videamus ipsis etiam apostolis imprimisque Petro, quæ Christus eis de fuga, de abnegatione sui, de proditione, & similibus lapsibus prçdixerat, accidisse. Quin etiam illud apostoli dictum, Qui stat, videat ne cadat, perpetua sit memoria retinendum. Sed & vndecimum epistolæ eius ad Romanos caput penè totum pertinet ad explodendam securitatem. Rursus prædixerat Deus fore, vt qui ab illius lege & cultu secessionem fecissent, pœnitentia ducti ad ipsum tandem conuerterentur. Id præsertim prophetis partim occisis partim profligatis, & amisso templo, & plerisque ciuibus ad peregrinos ritus ac mores iam assuetis, perinde incredibile videbatur. Sed vt veritas ac bonitas Dei tulit, sic euenit; ideoque nunquam est cuiquam, & simul-

læ prorsus supersint reliquiæ veteris disciplinæ & religionis, de eius restitutione desperandum. Quin cernimus vsuuenire, vt qui virtute summa præstabant, hi in tetra scelera prolabantur: ac rursus qui perditissimi fuerant, frugi ciues euadant. Exilium deinceps eis cũ Mosis & veterum prophetarum verbis tum grauissimis sermonibus Hieremiæ comminatus fuerat Deus: sed id non solum Dauide, Solomone, Iosaphato, Ezechia regnantibus, quo tempore eorum regnum florentissimum fuit, verum etiam Iechonia ac Sedechia regnum tenentibus, cum res eorum afflictæ attritæq; essent, planè securè contemnebant. Cum autem euentus diuinæ prædictioni per omnia responderit: quis non videat, quanto cum periculo sit coniuncta, quamque nullo vnquam tempore sit admittenda contemptio diuinarum comminationum? Promiserat contrà futurum Deus, vt res omnes eis in integrum restituerentur. Id illis adeo difficile creditu fuit, vt prophetis à mortuorum resurrectione, à regni Christi incrementis, à spiritus sancti donorum largissima effusione argumenta ad suscitandam spem proferentibus vix, & à quàm paucissimis fides haberetur. At illis memoria fuerat repetendum, quantis ex malis olim, cũ affligerentur in Ægypto, cum in desertis locis oberrarent, cum à vicinis populis factas impressiones ferrent, Deus ipsos eripuisset. Hæc res monet, spem etiamsi illi reluctentur omnia, nunquã tamen deponendam ijs esse, qui diuinis literis mandatas habent promissiones. Idque Nehemias, vt obtineat apud sese, verbis diuinis expressam ἐπίφασιν illam, Si in vltimas orbis oras dispersi fueritis inde vos ego rursus congregabo, sedulo sibi inculcat: nimirum vt ei spes non modo perditi & desperati rerum Iudaicarum status conspectu non infringeretur, verum sapientiæ, potentiæ, veritatis diuinæ consideratione potius augeretur. Quam amplificationẽ omnibus in periculis, inprimisque in vitæ sempiternæ & mortuorum resurrectionis expectatione meminerimus nobis etiam semper adhibendam: nempe vt & si nobis vitalis calor in ignem, halitus in aerem, humor in aquas, ossa ac caro in pulueres abierint, nosque ipsi in nihilum redacti simus: nihilominus fore confidamus, vt virtute Dei inde substantiæ naturæque nostræ partibus omnibus conquisitis inque vnum collectis & coagmentatis in integrum restituamur. Tantum igitur spei præsidijque diuinis in promissis poni potest, vt certissima ac firmissima cum spe diuinitus peti res eæ queant, quæ diuinis in literis promittuntur. Cumque spes ex spiritu, desperatio ex carne, existant: spiritus nobis erit & verbo diuino fouendus, & pijs precibus excitandus, vt repressa carne desperationem omnem excludat, ac verbo Dei patefactas promissiones fide firma amplectatur.

" Huic argumento posterius illud ab ecclesia ductũ adijcitur hoc modo: Et ipsi serui tui, & po-
" pulus tuus &c. Id est, cum tu sis Dominus, nos serui: tu rex, nos populus: tã arcto obligationis nexu nobis inuicẽ deuincti sumus, vt fieri non possit, quin pro regis heríque officio ciues ac seruos tuos serues: præsertim si cogites tanto nos tibi tamque magno precio constitisse. Est hoc argumentum cum per se firmũ, tum alijs etiam ab illo rationibus magis confirmatũ. Ecclesiam enim cum sit sponsa, peculium, vnicũ delicium, corpus Domini, vt deserat Dominus, fieri non potest. Ecclesijs particularibus solicitè cauendum est, ne verbum ab ipsis transferatur: Vniuersa autẽ ecclesia, licet ipsa concuti affligique possit; tamen euerti penitus nunquã potest. Adduntur autem & hæ rationes non parum firmamenti. Prima, quod serui Dei simus, de quibus est dictũ: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei: &, qui vni ex minimis illis potũ dederit non est mercede sua cariturus. Altera, quod populus Dei simus: hoc est, hi ipsi, quibus tuendis ac conseruãdis suo ipsius iuramento, fœdere, verbo sese deuinxit & obstrinxit Deus. Tertia quod per ipsum redempti simus: hoc est, tanto precio, tam cari, vt nos ceu thesaurum maximũ summa sit cura conseruaturus. Quam rationem clarius etiã D. Petrus exponit, cum dicit, nos non auro & argento, verum precioso sanguine Christi redemptos esse. Quamobrem cũ ecclesiam suã Deus & adeo arcto vinculo coniunctionis sibi deuinxerit, & tanto precio redemerit, hocque ipso fieri non possit, vt ab eo deseratur: rectissime inde ex eo, quod ecclesia Dei sumus, colligi potest, nos ab eo conseruatum ac defensum iri.

11 Obsecro Domine sit auris tua attendens ad orationem serui tui, & ad orationem seruorum tuorum, qui volunt timere nomen tuum: & dirige seruum tuum hodie: & da ei misericordiam ante virum hunc. ego enim eram pincerna regis.

Vltima parte precationis huius, quæ est conclusio, redit eò Nehemias, vnde eam fuerat exorsus, ac dicit: Obsecro Domine, sit &c. Quod perinde est ac si dicat: Plura me conantẽ dicere, cũ ex imminenti malo oborta solicitudo, tũ vero maximè fiducia beneuolentiæ erga nos tuæ cohibent. Hæ enim faciunt, vt quoniam mihi nihil in nobis, plurimũ in promissis tuis spei præsidijq; pono, ad te planè confugiam, teq; rogem, vt ad afferenda nobis auxilia tua nunc huius voluntatem viri

flectas

flectas & inclines. Atque sic quidem ardorem sibi suscitat nouum, & in memoriá reuocat argumenta antè commemorata. Quæ res cum & ad motum sint comparatæ, & subseruiant totius orationis partium enumerationi, maximum afferunt perorationi robur. Ac primú eo quòd aurem dei quasi vellicat, id nimirum postulat, vt memoriam suæ causæ perpetua cum misericordia custodiat. Quemadmodú enim genua misericordiæ consecrata putantur: sic aures memoriæ sacratæ existimantur. Quod autem sibi suisque ciuibus id tribuit, quod sint serui Dei, & Deum timere veliot: id videtur idem esse ac si dicat: Hactenus seruorum tuorum nudum nomen habuimus. Iam cú nomine etiam officium coniungemus: hoc est, tui nominis ac legum obseruantia nos ab omni malitiæ genere cohibebimus: vt non ore & verbis solum, verumetiá reipsa tibi debitú officium præstemus. Cum autem timor Dei, sit euidens ac certum ingenuitatis et adoptionis argumentú: non obscuram habet pollicitationem iustæ erga Deum pietatis, quæ confessioni prius editæ respondet, quoad promissam vitæ emendationé. Obseruandæ sunt autem inprimis vltimæ illæ, quæ promissis diuinis sunt conuenientes, ad huius orationis finem appositæ petitiones. Quarú priore postulat sibi dirigi gressus suos: hæc est, suggeri sibi sana consilia, suppeditari præclaras occasiones, commonstrari proximas ad illud opus perficiendum vias. Memorabilis hæc est, & omnibus in negotijs valde necessaria petitio. Nam humanæ mentis & hebetior est acies, quàm vt prospicere & cauere pericula omnia queat: & virtus est infirmior, quàm vt sustinere cuiusque negotij molem possit. Qua ex re multi magni & pudendi virorú maximorum, vt Mosis, Dauidis, Solomonis, Iosiæ, Ezechiæ, Petri, aliorum compluriú lapsus acciderunt, quibus difficultates inexplicabiles & calamitates graues rebus humanis attractas constat. His ergo viri pij preces eas opponút, quibus vires ac vias sibi diuinitus dari petunt. Velut cap. 16. Hieremias ait: scio Domine, quod non est hominis via eius: nec est viri dirigere gressus suos. Et Solomon Prouerb. 10. Cor hominis disponit viá suam: sed domini est dirigere gressus. Quæ sententiæ docent nullos fore conatus nostros, nisi det Deus secundos euentus. Huius auté infirmitatis nostræ conscientiæ paratas habemus consolationes illas: Vos non estis qui loquimini; sed spiritus patris vestri cœlestis, qui in vobis est. Et, Non relinquam vos orphanos. Et, Deus est qui efficit, vt velitis & perficiatis: Et Psal. 36. à domino diriguntur gressus hominis. Quocirca pij viri in magnis præsertim negotijs, vt vires pariter ac voluntates ad hæc conficienda diuinitus impetrent, hoc genus petitionibus contendút. Altera petit vt ei det misericordiá ante virú illum: hoc est, efficiat, quò voluntas regis erga se suaq; cómoda sic propendeat, vt impetrare ab eo quæ desideret, facile posit. Quod autem viri nomine regem dicat, addita deinceps illa clausula, & ego eram pincerna regis, declarat. Cum enim earú, quas tentabat, rerum summa penes vnú regem omnis esset, & alia præter officij sui functionem via commodiore nulla ad conspectum colloquiumque regis peruenire posset: optandum ei nimirum fuit, vt adeo nó modo omnia sua studia atque officia, verum ipsam etiá quam agebat causam regi probare posset, vti ipso benigno & propitio ad institutum opus vteretur. Quorum alterum quidem pietatis atque fidei, rursus alterum prudentiæ fuit. Pietate enim & fide sic animus eius in Deum directus & intentus fuit: vt regis ad patriæ suæ commoda prouehenda voluntatem arcano Dei impulsu permoueri posse existimaret. Quod etiam ante eum Solomon agnouit & prædicauit, cum Prouerb. 21. dicit, cor regis esse in manu Domini, ab eoque modo ad odium modo ad gratiá flecti posse. Extant huius rei in omnibus inprimisq; sacris historijs exempla: estque præ cæteris illustre exemplum Pilati, qui ne Cæsarem offenderet, Christum, quem omni culpa vacare pronunciarat, ad supplicium crucis condemnauit: ac rursus vt mutaret titulum Sanctæ crucis, nullis neque precibus, neque monitis, neq; minis Iudæorum potuit adduci. Quæ res euidenti indicio fuit, Deum eius animi vires ac facultates modo remisisse ad id quod communis salus omnis generis humani postulabat concedendum, modo ad id quod maximo nobis solatio futurum erat, obtinendum intendisse & confirmasse. Eodemque modo Nehemias existimat, se nequaquam gratiosum regi futurum, nisi Deus illi, quam officij sui gnaua administratione captabat beneuolentiam & gratiam regis conciliaret. Atque hæc persuasio quidem sic insedit animo Nehemiæ, vt postea cum ad explicandam causam occasio ab ipso rege præberetur, prius regi verbum hac de re faceret nullum, quàm vt suis dictis fidem & gratiam conciliaret, Deum precatus esset. Idq; etiam animaduersum abs se esse Iosephus attestatur, cum dicit, [illegible] id est, Nehemiam à Deo petijsse, vt suis apud regem dictis fidem faceret & gratiam conciliaret. Præclaro sanè exemplo: vt fusis ad Deum precibus potius apud ipsum Deum quàm vafris ac malis artibus apud homines solos gratiam quæramus. Piæ vero & cum recta fide coniunctæ prudentiæ fuit: quod in officio suo latentia ad conciliandam beneuolentiam regiam adiumenta animaduertit atque apprehendit. Idq; non obscurè significat abs se factum officij sui nomine clarè expresso. Est autem משקה nomen ex participio factum, & deriuatum à verbo שקה, quod emittere liquorem aliquem propriè ve-

req; significat. Cumque & potandis animalibus aquæ per canales emittantur, & ad præbendũ hominibus potum vina reliquaq; genera potionum in pocula è cantaris effundantur: ad officiũ præbendi potus, huius vsus verbi non inepte translatus est. Iam quoniam principibus viris insidiæ multis & varijs modis tenduntur, ac præsertim in cibo & potu venena porriguntur: vetustissima & à primis seculis deducta consuetudo fuit, vt ad eos, qui regibus ac principibus viris propinantur, cibos ac potus prægustandos, spectatissimæ pietatis atque fidei viri deligerentur. Sicut Iupiter Hebes primum, dein Ganymedis operis ad id est vsus. Intelligunt etism reges nonnullam salutis suæ partem in prægustatorũ fide & pietate positam. Idque experti sunt Alexander Magnus, cum ab Iola Antipatri filio prægustatore venenum ei porrigeretur, & Aratus Sicyonius alijque complures veneno extincti. Quò fit vt his hominibus reges haud parum tribuant, indulgeant, largiantur. Qua de causa qui ad dignitatis huius gradum euehuntur, optimis ad amplissima bona acquirenda ansis potiuntur. Ac rursus accidit, vt viri principes, vel cum aduersi molestique aliquid acciderit, vel cum animis in grauia perplexaque negotia sunt intentis, vel aliquo morbo grauati, vel bene poti, vel aliàs malè affecti: ita difficiles, iracũdi, morosi fiant: vt ipsis etiã qui cautissimi, officiosissimi, gratiosissimi sunt, satisfacere nullo modo queât. Hæc Nehemias se, pro sua prudentia vidisse expresso officij nomine significat: cumq; inter spem metũq; suspenso animo esset, Deo supplicasse, vt is & offensas omnes auerteret, & aditum ad gratiam ac beneuolentiã aperiret. Atq; hac quidem ratione vir sanctissimus cũ ad impetrandam opem Dei, tum ad semetipsum excitandum pie prudenterque est vsus, suoque exemplo nos ad eandem, quoties opus est, tenendam instruxit.

CAPVT II.

Propositis primo capite rebus ijs, quæ videbantur ad describendum instaurationis Hierosolymitanæ principem pertinere: iam apparatus & auxilia, quibus is ad opus illud instructus fuit, secundo capite describuntur. Quæ descriptio duabus partibus omnis est distributa: quarum priore quemadmodum auxilia ac priuilegia petita sint à rege & impetrata: posteriore vt hæc eadem sins ad instaurationis opus ipsum adhibita atque accommodata, demonstratur.

FActum est autem in mense Nisan, anno vicesimo Artaxerxis regis &
vinum erat ante eum, & leuaui vinum & dedi regi: & eram quasi lan
guidus ante faciem eius.
2 Dixitque mihi rex quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum
non videam: non est hoc frustra: sed malum nescio quod in corde tuo est:
& timui valde.
3 Et dixi Regi, Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus
meus, quia ciuitas domus sepulchrorũ patris mei deserta est & portę eius
combustæ sunt igni?

PRIMA parte narrationis huius apparatum & impetrata ab rege ad instaurandam vrbem auxilia sic recenset, vt quo tempore, qua occasione, quo modo, quæ & quanta sit auxilia consecutus ostendat.

Ac tempus quidẽ verbis illis exprimit: factũ est in mense Nisan, anno vicesimo &c. Quæ verba duplicem temporis notationem habent: quarum vna mensis, annus altera, demonstrantur. Mensis quem hic Nisan ניסן vocat, alio nomine אביב quasi parens prouentuum apud Hebræos Exod. 13. Leuit. 2. appellatur. Est autem primus anni mensis apud Hebræos: ac propter varium lunæ decursum, modo in Martium, modo in Aprilem incidit, interdum etiam aliquos ex Maio mense sibi vendicat dies: sed quoniam in Aprili plerunque vel initium, vel finis eius, vel totus inest, Aprilis nomine penè rectius appellatur. Hac temporis notatione cum superiore comparata, apparebit insignis in Nehemiæ facto pietatis & prudentiæ nota: qua factũ est, vt inde à mense nono, quo tristissimum illud de Iudaicis miserijs nuncium acceperat, vsque ad mensem primũ, quo demum adeptus est ad auxilia postulanda bonam occasionem, per continuos tres menses & amplius, ieiunijs, precibus, idoneis ad institutum opus ansis captandis & arripiendis intentus esset. Quorum alterũ pietatis, alterũ prudentiæ fuit. Nam vt pietas admonet nihil prius suscipiendum, quàm auxilium diuinum ad id sit pijs precibus acquisitũ: sic prudentia cauet, ne quid prius aggrediamur, quàm necessarijs ad id auxilijs instructi præparatiq; simus. Præclarè enim ille, quan

quam

quam in causa minimè bona, apud Sallustium, ait: antequam facias, consultò: vbi consulueris, maturè facto opus est. Et illud σπεῦδε βραδέως, id est, festina lentè, non sine causa principibus Romanis adeo familiare est: quippe quod eam in gerendis rebus requirat & commendet maturitatem, vt neque præcipiti quadam celeritate legitimũ tempus anteuertas, neque cunctatione segni tempus opportunũ præterire patiare. Ac quanquam mensis hic multis nominibus faustus ac gratus populo Hebræo fuit: vt quod hoc ipso Ægypto educti essent, tabernaculum effectum dedicassent, duce Iosua Iordanem traiecissent, alijs alibi bonis potiti essent: tamen est credendum eum, opportunitatem potius quàm superstitionem in delectu temporum obseruasse. Nam & Christus ea lege nos iubet adhibere in capessenda vocatione sua celeritatem: vt æquè prudenter causam considerемus, ac si bellum periculosum gerere, aut extruere maximam domum constitutum esset. Annum autem Artaxerxis vicesimum dicit. Qua in re frustra se Liranus torquet: quî fiat scilicet, vt, anni vicesimi primo mense factum id dicatur, quod eiusdem anni mense nono susceptũ nondum fuit. Facillimè enim hic nodus soluitur, si numerum annorum, vt proposita fert historia, inde ab eo temporis puncto, quo regnum iniit Artaxerxes apud Persas: non autem vel ab orbe condito, vel à superficie terræ ex aquis inundationis apparente, ductum arbitremur. Cumque fieri potuerit, vt Artaxerxes tam sexto, aut septimo, aut quocunq; alio, quàm primo Hebræorum mense regnum inierit: minimè mirum fuit, in vnum eundemque eius regni annum hos ambos, nonũ scilicet ac primam, menses incidisse. Quamobrem & si mensis nonus posterior sit primo: tamen ideo non est, quòd hæc res in vicesimum primum Artaxerxis annum reijciatur: cum Nehemiæ quadictum est ratione potuerit, vno eodemq; regis huius anno, tũ nunciũ illud afferri, tum ad petẽdum auxilium occasio suppeditari. Perinde est operæprecium considerare, quod ab Nehemia factum in illa duplici notatione temporis elucescit, quanti referat, cum in gerendis pariter ac recensendis rebus ordinem tenere, quem videmus nobis ab ipsa natura quasi traditum & præscriptum esse. Cum enim solis annuam lustrationem menstruo spacio luna compleat: omnes videmus, quod in libris de Re Rust. Varro perhibet, tempora esse duorum generum: vnum annale, quod sol circuitu suo finit: alterum menstruum, quod ambitu suo luna continet. Hæc est omni populo nota temporum ratio. Qua Nehemias obseruata, suam narrationem ad vulgarem popularemque sensum accommodat, eoque magis perspicuam & apertam facit: idem etiam nobis, quoties aliquid vel scribimus, vel dicimus, faciendum exemplo suo quasi præscribit. Cum item solis cursus annalis ferè ternis mensibus in hæc quatuor tempora, ver videlicet, & æstatem, & autumnum, & hyemem, totus sit diuisus: & quæque tempora suis peculiaribus rebus gerendis aptam habeant à natura qualitatem: hac quoq; temporis notatione Nehemias indicat, se, quod viri prudentis est, eam anni partem suo operi inchoando delegisse, quæ ad eius perfectionem aptissima videretur. Ac quoniam vernum tempus hyemi finem imponit, auras & aquas mitigat, incrementa dierum affert, æstatem quodam modo aperit: admirabilis est eius suauitas & commoditas. Igitur hoc ipsum ad aperiendam terram agricolæ, ad per purgationem & instaurationem corporum humanorũ medici, ad ædificationem architecti, ad suscipiendas expeditiones prisci magistri disciplinę militaris eligere cõsueuere. Quò minus est mirandum, quod theologi maximi crediderunt, hoc ipso tempore etiã hanc mundi machinam primum conditã: & quod Euangelistæ perhibent, genus humanũ morte filij Dei redemptum atque in integrum restitutum: quod deniq; prisci quidam theologi mensem illum potius à Domino Iesu cœleste regnum aperiente Dominicum, quàm ab aperienda terra Aprilem nominandum censuerunt. Ex his potest intelligi id tempus ab Nehemia ad vrbis instaurationem delectum esse, quod & futuro operi commodum & operarijs iucundum, & iudicio omnium auspicatum videretur. Quæ eius prudentia hac quoque notatione temporis commendatur. Qua autem occasione potitus sit & vsus Nehemias ad petendũ auxilium regis, ex eo colligi potest, quod deinceps dicit: Et vinum erat ante eum, & leuaui vinum, & dedi regi &c. Istis enim verbis vt quæsita, præbita, arrepta sit occasio, demonstratur. Ac primum eo quæsitam & captatam fuisse docet, quod regi vinum dederit, & coram eo quasi languidus fuerit. In ijs enim verbis inest officij Nehemiæ significatio non obscura, qua ipsa videlicet significat se tanquam proxima ac rectissima via ad captandam occasionem contendisse: quando pro eo ac pincerna regis esset, & ferret eius officium, tantisper regi vinum prægustatum propinauit, dum idonea aliqua ad aperiendam suam regi causam occasio præberetur. Quæ res vt est euidenti indicio, Nehemiam officij sui gnaua constantiq; functione quæsisse ad expediendum negotium suum occasionem: sic optimo atque saluberrimo documento fuerit, occasiones optimas esse eas, quę cuique ex officij sui recta ac fida administratione vel offerantur, vel captantur etiam ac quęruntur: diuina denique bonitate fieri, vt ijs quasi vijs ad maxima atque optatissima bona traducamur. Hoc enim modo Iosephus obediens patri ipsum eius mittenti primum quidem in fratres infidos, atque in tristem seruitutem incidit, postea vero

ad excelsum dignitatis ac potestatis gradum ascendit. Saulus etiam ea via regnum reperit, qua patri suo obediens asinas oberrantes inuestigabat. Pastores Bethlehemij dum, quod erat eorum officij, pasceodis gregibus operam dabant, Messiam oatum audiunt & vident primi. Simeon & Anna prophetis tantisper ingrediuntur templum, dum Christum diu desideratum vident & amplectuotur. Eodemque modo Nehemias tantispet officium prægustatoris facit, dum idoneam conatibus suis horam attingit. Optimas autem occasiones eas esse, quæ cuiq; ex officio suo offeruntur, val ob id arbitrabimur, quod & famam aduersus improborum hominum criminationes, & conscientiam aduersus solicitudines muniunt ac defendunt. Quicquid enim circa fidam ac gnauam admioistrationē officij nostri nobis obueoerit boni, id nobis neq; exprobrare quisquā, neque trahere in vituperationem conscientia potest. Est certe & honesta & pia res propagare doctrinā euangelicam: sed vt fiat ratiooe cuiusque officio coouenieute: nempe vt Petrus coocionando potius quàm gladio pognet: vt ne qui parere debet, seditiosè moueat turbas. Cum polchrum est, tū pium, beneficijs ioopes iuuare: sed non furto, rapina, fraude, alijs illicitis modis ideo suot, vt iuues, opes acquirendæ. Laudabile est & bonum, eum se præbete quibusque, vt quoad posis, omniū gratiam fauoremque mereare: sed non obtrectatione & calumnijs, nec rebos pugnantibus cum officio. Sicut Nehemias etiam ijs solum vsus est ad iuuandum populum suum occasionibus, quas officium ipsius offerebat. Quam gnauus autem ac constans fuerit in officij sui functione, aliter vulgatæ versionis, aliter Hebraicæ veritatis verbis effertur. Ac si vulgatæ versioois verba sequamur, indicat Nehemias se dolotem animo suo obortum non obscurè præse tulisse, eoque regem ad interrogandum de rerum Iudaicarum statu quasi prouocasse: sin Hebræa verba spectemus, innuit Nehemias, hoc operam se dedisse, vt dolorem reprimeret & occultaret. Hanc sententiam etiam LXX. Interpretibus placuisse, id est indicio, quod Hebræa sic vertunt ipsi: [illegible] id est, & non erat alius coram eo: nimirum ab eo qui fuerat sempet. Ex quo colligi potest, Nehemiā, quanto potuit opere mœrorem suum dissimulasse: ne videlicet eius effusione importuna, quod ferè fit, negotium institutum magis impediret, quàm promoueret. Nam qui se cootinent, nec vbiuis angustias & miserias suas mulicbribus lachrymis & qoerelis effundunt, sed eas quantū possunt, reprimunt & occultant: hi videotur adeo modesti continentesq; esse, vt potius omnia perpeti, & extrema experiri malint, quàm cuiquam cteare molestiam & facessete negotium, eoq; tantam plerunque sibi conciliant authoritatem & gratiam, vt ipsis etiam non rogantibus vltro omnes ad afferendam opem promptos sese & paratos præstent. Idque etiam huic accidisse, vel ex eo, quod de præbita atq; arrepta occasione postea dicitur, perspici potest. Eius igitur exemplo docemur, adhibendam io captandis ad petendom & impetrandum beneficiom aliquod occasionibus maximā cautionem & modestiam: ne quod apud Æsopum asino eaoem ineptius imitaturo accidit, studio conciliandæ beneuolentiæ importuno atque ineptu in odia potius incurramus. Quemadmodū autem ei præbita sit occasio, verbis regis declaratur: Quare (inquit) vultus tuus tristis est, cū te ægrotum non videam? &c. Quibus verbis rex, & mœrorem eius animaduersum abs se edicit, & eius ipsius causam sciscitatur, in hanc sententiam nimirum: Scio vultum hominis vel animi vel corporis motu mutari: cumque tibi saluum esse corpus id indieio sit, quod bene valentis hominis munus firmiter obis, animo aliquid acciderit, necesse est. Ac quoniā doloris eius, qui dissimulari non posit, causam grauē esse oportet: ni mihi illam aperias, nefandæ rei, quæ te angat, suspicione te grauabis. Atque hac quidem adeo seuera percontatione rex significat, se pro sua prudentia, mœroris illum agitantis signa deptehendisse: causam mœroris non videri leuem: declinandam sincera confessione suspicionem. Præbere hæc res illustria ac salubria documenta potest. Primum enim est obseruandū, quod hic tex non solom in obseruandis hominum dictis ac factis, animo adeo gnauo, sed etiam ad prospicienda ae iudicanda latentiū cogitationū signa adeo acri, sagaci subtilique iudicio fuit. Vtilis hæc est omnibus hominibus inprimisqoe regibus ac magistratibus prudentia. Vtendum autem ad hanc rem & organis & sensibus, cū huius ipsius, & aliorū complorium exempla significant, tum id admonet maximè, quod qoi vel illa mentis acie, vel ipsis organis sunt destituti, se miserrimos esse conquerantur. Qua ratione etiā Cicero io 2. de Oratote, censet hoc ad oratorum diligentiā referendum: vt aduersarium atteotè audiant, & eius non solum sententias, verumetiā verba omnia excipiant: Vultus denique perspiciaot, qui videantur omnes animi sensus indicare. Io eam autem obseruationem non oratures soli incumbent, verum multò magis iudices, cùm vel actorem accusantem, vel reum se purgantem audiunt: itemque patres familiàs, & omnes educationis puerilis magistri: vt in sermone quæ pugnantia, quæ alicna à vero, quæ friools ac vana videantur: io gestibus quæ leuitatem, impudentiā, malitiam: in vultu qoæ metum, pudorē, conscieotiam sauciam referant, exploretur. Quod Terentianus ille senex abs se factitatū eo ipso ostendabat, quod diceret, saluam rem esse, adolescentem erubuisse. Sed omnibus exemplis illustrius est

Solo-

Solomonis illud de duarum matrum contentione iudicium: quippe in quo naturæ & morum notitia,ad veritatē peruestigandām ei maximo adiumento fuit. Ad id autem vt posfimus rectū ferre iudicium de moribus ac gestibus mortalium,& acie mentis penetrare in ootitiam humanarū cogitationum ac voluntatū:momenti plurimū attulerint, primum sui ipsios obseruatio cognitioq́;: dein & ipsorū affectuum vires & effectus oosse. Nam & ex se coniectnram capere de aliorum voluntate potest,qui diligenter qoo modo quaq; in re ipse fuerit affectus,obseruarit: & qui norit motuum signa,his extrinsecus visis ac cōsideratis,quales intos sint affectus facile deprehendet. Quam facultatem senes, & qui multum in conuentibus ac commercijs hominum versati snnt,vsu,medici & physici arte & doctrina sic per omne tempus ætatis augere possunt , vt ijs,quibus cum negotium habent, vel nondum prorsus auditis,vel vixdum visis, qnid agant,quidue sibi velint,vtcunque posfint scire. Et Galenns egregiam quandam de explorandis aliorum hominū moribus methodum peculiari, quem de cognoscendis & curandis affectibus animi scripsit, libro tradit. Quò fortasfis etiam is eius liber sit referendus , qui motus seu affectus animorum constitutionem corporum seqoi probat. Quæ res & ad prospicienda atque declinanda pericula,& ad indagandam veritatem plurimū prodest, ideoqne nullo modo fuerit negligenda. Sed quoniam actio omois in aliquam rem subiectam agit,& altera videtur cū altera conferenda:nostra quoqoe retulerit,non minus Nehemię vultum & animum,quàm coniecturam & iudicium Artaxerxis considerare. Quod enim Nehemias obortū animo dolorem studuit quidem , non autem potuit adeo omnem occultare, qnin eūm ex signis in eius facie apparentibus rex agnorit: id indicio minimè est obscuro: inesse qnidem in animis humanis voluntatem , & adhiberi nonoonquam etiam stndium ad occultandas interiores hominū cogitationes & voluntates: verum bnic oppositam voluntati tantā naturæ nostræ infirmitatem, vt eas tenere & occultare nequeamus , quin aut oratione & verbis,ant moribus,aut apparentibus in vultu signis ad aliorum hominū cognitionem proferantur. Quę res, quoniam eorū,qui sapientiæ & pietati veræ studenr, hominum consideratione digna sit:etiam nobis erit paulo altius repetenda. Statuendum est igitur omnino, procliue esse & agnatum naturæ nostræ:vt suscitati in animis nostris motus,si non verbis,saltem alijs subitis commutationibus atque corporis motibus aperiantur : idq; nobis multis modis ostendi posse. Primū enim facies apud Hebræos, Græcos & Germanos ex eo nomeo accepit , quòd sic ante oculos hominum posita, vt homines cognoscendi ratio omois soleat ab iospectione faciei proficisci. Et est profecto posita qnasi in arce corporis humani : vt quemadmodum arx in edito loco sita, quaqua parte aduenientium oculis prima statim obijcitur: sic faciem hominis occurreotis primum omnium intueamur. Sed & illa formarum varietas & dissimilitudo,quæ in hominum corporibus cernitur, in facie maximè existit. In facie etiam oatiui caloris plurimum inest : adeo vt seu animis,seu corporibos nimium incaluerimus,ea mutatio vel rubore,vel sudore etiá in facie videatur. In hac præterea quasi io vnum cooueniūt τὰ αἰσθητήρια,id est omnes omniū sensnū sedes,quibus virtus animalis in cerebro locū obtinens officia ac functiones suas obit. Ac quemadmodū ex effectis efficientes causæ cognoscuntur:sic difficile nō est τὰ πάθη,id est,affectus subitis illis corporis mutationibus,quę παθητικαὶ ποιότητες appellantur,aperiri:vt lætitiam plausu,pudoré rubore,pallore & trepidatione metū. Cū enim affectus & perturbationes omnes à quadam vi rationis experte proficisci certū sit , & affectus alij cæcitatem,vt amor:alij insaniæ quandam speciem,vt odium,ira,inuidia: alij stultitiæ nonnihil,vt spes & metus interdum,inducant: & quicquid ratioois expers est,sedatum esse & lene,& æquabile,& moderatum,seq; regere non potest:consequens est tantam esse vim affectuum,vt & si ratione eos frenare velis,tamen se contioere,qnò minus edant aliqua sui ipsorum signa,atque in notitiam hominum erumpant,non posfint. Cumque bæc iodicia in vultu maximè appareant: Cicero vultum modo animæ imaginem , modo sermonem quendam tacitū mentis , vocat: & in libro tertio de Oratore dicit hanc vnam partem corporis,quot animi suot motus, tot significationes & cōmutationes posse efficere. In eandem sententiam videtur etiam D. Augustinus inclinare,cùm in vltimo de Cioit. Dei libro Pauli dictum illud , Hic in ænigmate & per speculum, illic facie ad faciem videbimus,exponit,facie Dei,dicit,manifestatiooē Dei intelligi: quasi ratiocinaretur ad hunc modum:vt hominis animus ex ipsius facie,sic ex rebus & verbis Dei naturá aperientibus Deus agnoscitur. At D. Hieronymus de Viduitate seruanda ad Furiam viduam scribens,apertis verbis significat , existimare sese, quod speculum mentis sit facies , & oculi taciti cordis fateantur arcana. Sed & Iesus Syracides inter Hebræos sapientes haud postremo loco numerandus, Eccles.19. ab occursu faciei cognoscitur seosatus,ait: & Solomoo Prouerb.15. cor lætum,inqnit,reddit faciem iucundam. Quemadmodum igitur Hippocrates, vt Galenus lib.9. de Placit. Hippocrat. & Platonis refert,iospicere faciem ægri, & vtrum similis & dissimilis sit sanis,& vtrum sibi coostet,iobet considerare : nimirum existimans dolorum ac mutatioooum signa apparere in facie:sic præstantissimis

ſapientia doctrinaque viris placuit, habitus ac motus animorũ apparentibus in vultu notis & indicijs ſignificari, ideoque faciem eius, quo cum res ſit, diligenter inſpiciendam. Equidem Chalcidenſem quendam Bruſonius lib.7.cap.20.refert, cum Syllæ vultũ ac corporis eius motum ſepius contemplatus eſſet, dixiſſe, magnum eum futurum virum, ſibique mirum videri, cur nondum omnium ſit primus. Athenæus quoque Stratonicum quendam Muſicũ memorat, cum Pellæ eſſet, de quadam aqua, num eſſet ad potum bona, rogaſſe, & incolis ipſos eã bibiſſe dicentibus, non eſt igitur bona, dixiſſe: ex eo petita coniectura, quod luridas ac pallidas facies haberent, euidens ſcilicet ſignum malæ valetudinis ex huius aquæ potu contractæ. Hęc autem naturarum atque effectuum indicia non philoſophis ſolis, verum ipſis quoque Theologis Chriſtianis obſeruata fuiſſe, vel ex eo colligi poteſt, quod Nicephorus libro decimo capite trigeſimo ſeptimo, de Gregorio Nazianzeno & ipſa de ſe in ſecunda in Iulianum Inuectiua, referunt: Nazianzenum, cum Iulianũ Athenis, antequam Imperator eſſet, primum vidiſſet, ex eius vultu corporisque motu ridiculo mox de eius impietate & malitia coniecturam cæpiſſe: & Deus bone, quantum in Imperio Romano fouetur malum! exclamaſſe. Quamobrem cum & tacitæ cogitationes, & animorum motus omnes, ipſæ denique naturæ noſtræ, etiam nobis ſtudioſè diſsimulantibus, ex vultuum ac corporũ commutatione & motu ſignificentur, hocque modo quaſi per feneſtras minimè paucas inſpici in noſtras cogitationes queat: non eſt, quod vel Momus nullam in hominis pectore feneſtram appoſitam conqueratur, vel ipſi cogitationes & voluntates noſtras perpetuo occultari poſſe cõfidemus. Illud potius eſt enitendum, vt quemadmodũ alij in obſeruandis moribus ac motibus noſtris plurimum operæ ponunt: ſic in his ipſis arte & induſtria gubernandis etiam nos & induſtrij ſimus, eoq; & eorum iudicia fallamus, & naturæ noſtræ vitioſitati medeamur. Quod feciſſe Socratem ſerunt adeo diligenter, vt & hominũ ſapientum iudicia eluderet, & inclinationem naturæ ſuæ ſuperaret. Cum enim Zopyrus quidam phyſiognomon profeſſus ſe ex vultu, corpore, moribus hominum, quæ qualesque eſſent eorum naturæ, ſcire, Socratem quoque libidinoſum & bardum eſſe dixiſſet, idque ægrè ferrent eius diſcipuli: ipſe eos coercuit ac dixit: Zopyri iudicium minimè falſum eſſe, verum indecentes naturæ motus ſe philoſophiæ ſtudio compeſcuiſſe. Quod ſi hic philoſophiæ ſuæ ſtudium ita ad vitæ & morum gubernationem tranſtulit, vt mente in æquabili ſibiq; perpetuo conſtante ſtatu ſeruata, ſemper etiã eundem & ſibi ſimilem vultum ſeruaret: multo magis in Chriſtianæ veræque philoſophiæ ſtudio nobis hoc eſt enitendũ, vt quoniam vultus ac reliqui corporis omnia motus ſecundum vocem plurimũ poſſunt, ab omnibus leuitatis, impudicitię, malitiæ, inuidiæ, improbitatis omnis indicijs abſtineamus. Quam ad rem nos excitare multa poſſunt ac debent: vt quod Dominus in vita ac moribus noſtris tantam lucem requirit, quanta ſpes ſit ipſius Dei nomen illuſtratum iri. Sic, inquit, luceat lux veſtra corã hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrũ, qui eſt in cœlis. Eodẽ quoq; ſpectare videtur illa D. Pauli præceptio, qua ab omni mali ſpecie, id eſt, ijs, quæ vel leuem aliquã improbitatis ſuſpicionẽ præbent, rebus abſtinendum edocemur. In primiſque nos huc adigere debet, quod D. Petrus indicat, Paratum nobis eſſe grauem & impigrum aduerſarium, ſatanam, cõmunem hoſtem generis humani, qui rugientis & prędę inhiantis leonis inſtar circumeat quærens quos circumuentos perditum eat. Et is quidem primum eorum, quos vel ſuperſtitione, vel ſcelere & nequitia vinctos tenet, omnium animos atque oculos, in omnem vitam noſtram dirigit ſicq; excitat, vt ex muſcis, quas viderint in nobis ſedentes, faciant elephantos: dein ipſemet in vultum, inceſſum, corporis motũ omnem, ſermones, amicitias, paſsim intentus eſt, & omnia, in quibus agimus, etiã ſacra loca percurrit: vt quibuſcunque vel negligentiæ, vel libidinis, vel odij, vel alterius vitioſitatis ſignis animaduerſis ad nos ſeducendos ac corrũpendos vtatur. Cũq; ſit natura corporis omnis experte & agili, item acri ſubtiliq; iudicio præditus: facilè poteſt non ſolum in ſinus, in aures, in oculos, deniq; in ipſos animos ſeſe inſinuare, verum etiã ex leuiſsimis quibuſq; rebus capere cõiecturas & arripere ad decipiendum occaſiones. Quamobrem ſi Nehemias corã eo rege, qui vel propter appoſitas epulas & aſtantes ſeruos, vel ob maiores grauioresq; curas, vultum ipſius fortaſsis nunquã obſeruaturus eſſe videbatur, ita cautè ſibi verſandum duxit: longe maiore ſtudio noſtra nobis vita aduerſus adeo gnauum, aſsiduam, acrem cenſurã ſit munienda. Ac ſi hic cauere ſuo ſtudio non potuit, quin animi mutationẽ proderet vultus: meminerimus idem quoq; poſſe nobis accidere, niſi pijs precibus impetratũ auxilium Dei noſtra cũ induſtria atque vigilantia coniungamus. Animaduertendum eſt item, quod Artaxerxes, & ſi diſsimulari dolorem cerneret, ipſe tamen eius deprehenſionẽ, quaſi cũ Cretenſi Cretizandum iudicaret, nullo modo voluit diſsimulare: ſed vrſit eum potius ad patefaciendam triſtitiæ ſuæ cauſam. Quæ res admonet, eſſe virorum bonorum & prudentium, vt animaduerſis mœroris, iræ, odij, vel alterius vitioſi motus ſignis, cauſam motus inquirere, eiq; vel conſolatione, ſi ſit dolor: vel mitigatione, ſi ſit ira: vel caſtigatione, ſi ſit improba ſuſpicio: remedium

dium afferre. Neque enim hęc indicia vel securè negligi, vel superbè despici, vel malignè dissimulari debent: nisi velimus amicitiam & concordiā tandem aperti odij incendio conflagrare. Perinde expedit, argumenta, quibus tristitiæ causas extorquere nititur, considerare. Sunt autem potissimum duo. Quorum prius exprimit hoc modo: Non est hoc frustra: quasi diceret: Vtut dissimules dolorem tuū: tamen ex effectis ego de efficiente causa capio coniecturā: videlicet eam, quæ dissimulari nequiuerit, cōmotationem vultus ex animi non exiguo motu proficisci. Nec leuis est hæc aut inanis ratio, videlicet affectus magnitudinem affectæ qualitatis momento metiri. Videtur autem rex hac aperta notione quasi profiteri plus quàm dimidiam eius, quo premeretur mœroris notitiam: vt portionem reliquam eò citius ac facilius extorqueret. Quæ certe est in explorandis arcanis cogitationibus ac consilijs longè præstantissima ratio: nempe vt earum, quas expiscari velis, rerū partem maximā te iam antè cognouisse præ te feras: quò minus qui rogantur in occultando & inficiando tergiuersentur. Quemadmodum Dionysius rex Siciliæ nonnihil ex hospite, qui professus erat se detecturum insidias, cognouisse, talento dato præ se tulit: & Maximilianū Cæsarem ferunt, quasi magicarū artium præsidio nosset arcana, multa simulasse. Alterum autem argumentū verbis illis effert: sed malum non est, nisi quod in corde tuo est. Hoc est, ni mihi doloris tui causam pandas, grauis & nefandæ rei suspicionem accersis: cum quæ turpia ac mala non sunt, nemō ęgrè confiteatur. Hocque pacto suspicionem prætendit, eaque ceu ariete quodā animi illius claustra effringit. Tantum enim tamque nocens est sospitio malum: vt qui sibi cautum & prospectum bene velit, omnia potius perpeti, quàm hac ipsa debeat se grauare. Quod autem hic tantam præ se fert solicitudinē & curā: id tam larga post ea Nehemię facta concessio facilè euincit, non inde proficisci: quod vel adeo malè suo officio functos sit Nehemias, vt malæ fidei suspicionem in animo regis suscitaret: vel rex tanto metu crudelitatis suos homines premeret, vt eos sibi infensos esse & inimicos posset suspicari. Credendū est igitur hoc potius egisse regem, vt quas res Nehemiæ graues & molestas esse cognouisset, earum onere eum primo quoquo tempore leuaret. Quod vtrique laudabile & bonum fuit. Obseruandum est etiam, quod per metaphoram Hebræis vsitatam, vno eodemque nomine rex & mœrorem & malum appellat. Id enim videtur quodam modo significare, vel vtrunque malorum genere censeri, vel illud alterum mali nonnihil afferre. Et fanè mœror omnis, tum magna mortalibus affert mala, tum ex aliquo vel præterito, vel accepto & incumbente, vel alijs olim illato, vel aliàs mente concepto ac cogitato malo oriri solet. Quemadmodum videre est homines non solum timore & perpessione malorum, verum etiā patratorum scelerum recordatione & conscientia, & auri sacra fame, & inuidia torqueri. Suus enim inuidis dolor & ex mala causa nascitur, & mala non exigua affert: quando, vt ait ille, inuidus alterius rebus marcescit opimis. Et dolor ex profusione patrimonij tam affert malum, quàm est ortus ex mala causa. Quocirca Menander ait: λύπη κακῶν ἐστὶ κακόν. id est, maximū est tristitia malum: idem alibi, νόσον ἐνεγκεῖν ῥᾷόν ἐστιν ἢ λύπην: id est, morbū multò facilius est, quàm tristitiā ferre. Causas huius rei cum is ipse, tum aliàs alij reddunt illas: quòd mala quibus est suscitata tristitia, facit duplo quàm sint, maiora apparere: quòd creet νοσήματα ἀνίατα, id est, incurabiles morbos: quod ipsa sit morbus affinis insaniæ, efficiens scilicet hominem adeo rationis omnis expertem & perplexū, vt salutantes vel non audiat, vel riso prætereat, vel absurdo responso dimittat. Etenim cor ipsum concutit & acri sensu doloris constringit, ac nisi remedio maturo depellatur, virtutem eius absumit, tandemque extinguit. Videre est id in Heli Israelitarum summo sacerdote, quem cladis acceptæ nuncio tantū animo dolorē cepisse testatur historia sacra, vt de sella decidens repente moreretur: itemq; in Homero & Diodoro Crono, quibus id quod propositas quæstiones soluere nequiuissent, tantopere doluit, vt moreretur. Cōstat etiā Iuliam Pompeij cōcepta de mariti sui interitu suspicione, mortem obijsse. Quo minus est mirandum, quod & mali nomine mœror apud Hebræos appellatur, & hęc incōmoda rex ab animo Nehemiæ studuit auertere & declinare, eoque ad doloris sui causam aperiendam ei præbuit occasionem. Ea vero occasione, quo modo Nehemias vsus sit ad petendū auxiliū regis, verbis ipsius indicatur: Timui, inquit, Valde ac nimis. Et dixi regi, Rex in æternū viue. Quæ singula suum peculiare pondus habent. Significat autem adeo acri interrogatione regis, magnum sibi incussum timorē: ne qua videlicet obtrectatorū calumnijs in animo regis esset suscitata de Nehemiæ fide suspicio: ne negaret facultatem postulandi: ne non daret quæ decreuerat postulare: ne, si dare vellet, regni proceres obstarent, ne etiam illo cōcedente, maius suis viribus opus conatus euentum imparem suæ spei sortiretur. Hæc aliaque pertimesceret ille, necesse erat. Quo ipso rursus aliud eius conatibus impedimentū oppositum fuit. Quemadmodum enim ira voluntates & actiones humanæ quasi cote quadam acuuntur, sic timore eædem ita retunduntur & frangunt, vt multò sint debiliores: quando videmus fieri, vt omnia habeant contraria timor & ira. Ira animos pariter ac corpora accendit: timor refrigerat, ac si fuerit inueteratus, à tristitia animos

deijciente nihil habet alienum. In ira propter vindictæ cupiditatẽ pulsus funt alti, magni, celeres, vehementes: vbi vero maior est accipiendi mali timor, quàm spes inferendi: ibi sane parui, humiles, languidi fiant, necesse est. Ac si Galeno, qui nobis hanc collationis partem in libro de symptomatum causis præbet, credimus, in ira neque calor refrigeratur, neque robur dissoluitur, nemoq; ex ira mortuus est: at in subito metu, vt anima debilitata sub valida perturbatione extinguatur ac suffocetur: quãdo affectum ex refrigeratione obortum extinctio: & sanguinis ad principiũ ipsum vniuersi concursum, suffocatio, consequantur, necesse est. Quibus ex rebus colligi potest, timorem omnẽ hominibus impedimento maximo esse, quò minus animis ad resmagnas attentandas, nedum strenuè gloriosèque gerendas assurgant. Idque ex timoris nomine Socrates apud Platonem in Cratylo sapientissimè colligit, dicẽs: [illegible]. Id est, vt ego accipio, Timor ergo seipse validum animæ vinculum esse significat. Nã quicquid [illegible], id est, nimium fuerit, idipsum etiã vehemens ac validum sit, necesse est. Maximũ igitur sit oportet, quasique modum excedens animæ vinculum, timor: quemadmodũ titubatio mentis siue dubitatio, malum quiddã est, & quicquid obstat, quò minus vltra progrediamur. Atque hæc quidem [illegible], id est, timoris notatio pulchrè videtur cũ Hebræis Nehemiæ verbis conuenire: quæ & ipsa, הרבה מאד, id est, multũ valde, significant, hoc incusso timore, maxima animo suo vincula iniecta, quibus voluntas eius, quò minus ad iuuandam patriã queat progredi, constricta teneatur. In quo videre est, vt virorũ sanctorum fides impedimentis alijs atque alijs obiectis exerceatur: nimirũ vt aduersus omnia onera instar palmæ exurgat: & vt sint hæc impedimenta minimè ducenda in loco malorũ ominum, quibus visis, vulgus hominum statim à pulcherrimarũ atque optimarũ quoque rerum susceptione deterretur. Quin fide metũ omnem explodamus, oportet. Idque etiam abs se factum Nehemias hoc ipso ostendit, quod ait: Et dixi regi, &c. Id est, sed & si multis de causis magnus mihi timor obortus esset: sic tamen eum ipsum repressi, vt nec silentio suam regi suspicionem augerem, neq; metu periculi prætermitterẽ veri confessionẽ: quin potius rem, vt erat acta, verbis apertis omnem confiterer. Quæ res ambæ decent & expediunt magnopere: nempe, vt & suspicionem culpæ quoquo modo possumus, à nobis omnem depellamus: & veritatẽ, quantocunque cũ periculo coniuncta sit eius confessio, constanter vbiuis & ingenue profiteamur. illiberalibus sunt naturis, & famæ salutique suæ plurimũ detrahunt, qui vel rei cum sint, inficiatione facti crimen abs se depellunt: vel insontes cum sint, segnitie & metu, quò minus causam bonam innocentiamque suam tueantur, impediri sese patiuntur. Regem autem ipsum Nehemias verbis illis appellat: Rex in æternũ viue &c. Hæc maiestati regis & cõmendationi causæ pariter conueniunt. Primũ enim exordium à beneuolentiæ captatione ducit, quando acclamatione solenni suam pietatem & obseruantiã & studia atque officia regi debita attestatur. Quæ profecto non adulatoris est, sed optimũ suo principi statũ precantis ac fideli seruo digna oratio: quãdo principes apostoli Christianos homines ad id sedulo hortantur, vt etiã alienis à religione recta magistratibus optima quæq; diuinitus precentur. Quocirca salutatio referens obseruantiã magistratui debitam optimũ quenque maximè decet, & significatæ fidei nomine clientes dominis commendat. Cumque Nehemias ad eum modum beneuolentia sibi conciliata causam etiã ipsam cõmendarit: nemo non arbitrabitur, earum, quæ ad causas bonas cõmendandas pertinent, rerũ nihil vnquam prætermittendum. Huic officij fideique testificationi solenni dein narrationem subdit simplicem illam ac breuem, sed & interrogationis forma, & enumeratione quadam rerum tristiũ ad motum planè comparatã. Quare non mœrest, inquit, vultus meus, quia ciuitas &c. Quibus verbis indicat, sibi in maximis quoq; bonis bene esse non posse, cũ dulcissimæ & optatissimæ patriæ suæ sit malè. Quam sententiã si simpliciter enunciasset, nemo negasset esse verã: sed interrogatione videtur rectum de ea iudiciũ ipsi regi remisisse, eoque eum ad commiserationem flectere voluisse. Hæc enim pietas tanti sit omnium hominũ atque gentium iudicio, vt mouere nemine non possit. Magis deinceps animũ regis mouet enumeratione rerũ tristium: quæ & obortũ eius animo dolorem magis prodit, & Iudaicas miserias in conspectũ regis propius adducit. Vrbem autem ipsam primũ deplorat mirabili potentia Dei suscitatam: multis Dei beneficijs auctã: religione, sacerdotio, templo, bonis legibus ac moribus, multis magnis & illustribus viris ornatã: totius orientis miraculum. Nec mirum huius vrbis incommodis illum tantopere commoueri potuisse: cum eiusdem ruinæ præuisione lachrymas filio Dei extortas Euangelistæ scribant. Et adamãtinus sit, quem ista non moueant. Sepulchra patrum queritur violata & eam, qua maiores eius & nati fuerint, & humati, terram redactam in solitudinem. Quam vastitatem Hierem. 4. cap prædixerat imminere. Postremo dicit portas flammis absumptas, sicq; nudatam præsidio pariter & ornamento suo ciuitatem. Tristissimum certè bonis fidisq; ciuibus spectaculum. Quemadmodum miserabile

sit spe-

sit spectaculum, hominem nobilem de gradu deijci, suisque fortunis & beoeficijs & insignibus exutum ad agricolarũ aot mercenariorũ ordinem detrudi: sic io miseriæ & igoominię maximæ loco ducitur, vrbem aliquot regionum ac ciuitatũ dominam, muris, portis, ornatu custodiaque oudatam, in pagum redactam aspicere. Quod malum huic ideo potenti & amplæ, & illustri ciuitati cootigisse Nehemias refert ac deplorat. Notandum est etiam, quod huic querimoniæ conuenientem & implicitam postulationem prætermittit, multoque mauult intelligi, quàm proponi: nempe vt aliquid relinqueret misericordiæ & munificentiæ regis. Quæ res prudentiæ eiscum modestia cooiunctæ, planeque nos admonet: in optimis ac iustissimis causis, ne quid ante conueniens tempus postuletur, cauendum: sisteodom aliquantisper gradum: expectandas pleniores occasiones. Hic enim optimus est occasionum & saluberrimus vsus.

4 Et ait mihi rex, pro qua re postulas? Et oraui Deum cœli:
5 Et dixi ad Regem, Si videtur regi bonum, & si placet seruus tuus
ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam, ad ciuitatem sepulchri patris
mei, & ædificabo eam.

Quo modo auxilium ab rege impetrauerit, partim expressa ea, qua petitionem suã est aggressus ratione, partim exemplo petitionis proposito perspicuũ facit. Et in petendo qoidem eam seruat rationem, vt prius aodiat regem ad petendnm quasi inuitaoté, quàm petat. Oblata deinceps ac cõcessa postolandi potestate, nulla interposita mora petit. Deio prius à Deo, quàm à rege, quod volebat, petit. Oraui, ioquiens, Deum cœli. Etsi enim Deũ antea iooocasset, eique causam suam seque cõmendasset: tamen id etiã in ipso conatu denuo facit. Quæ res nos admonet, actionem omnem, quam quidẽ fœlicem ac faustã nobis esse volumus, oportere semper ab inuocatione Dei proficisci. Ac quemadmodũ olim Ethoici prius nihil auspicati sunt, quàm augures & aruspices consuluisseot, Dijs suis litassent, ater ne an albus dies esset, faustane an infausta sidera orirentur, superstitiose obseruassent: sic qui vera fide sunt & pietate præditi, quique à voluntate & nutu Dei toti pendent, hi Deum optimũ maximũ aotè consulunt atque implorant, quàm rem vllam aggrediantur. Inuocatum autẽ abs se Deom cœli dicit: quo nomine eum oimirũ significat, qui non errore quarundam gentiũ in numerum deorũ relatus est & Dei loco habitus: sed verè est vnus, ęterous, immensus, sapiens, iustus, omoipotens, misericors, fidelis Deus, qui condidit omnia per vnigenam filium, & per eundem ab interitu vindicat credentes, & imboit, fouet ac gubernat spiritu suo sancto genus humanũ. Hanc autem Dei cœli nomine videtur ob id appellare, quod vt D. Aogustinus attestatur Confes. lib. 11. cap. 12. cœli & terræ nomine & totus mundus appellatur, & quicquid Deus coodidit, omne cootinetur. Cumque cœlum & sublimius, & pulchrius, & maius sit terra: intellectione mioimè absurda, minimeq; à natura rerum aliena, partis nomeo posoit pro toto: ac Deum cœli dixit, quem cœli terræque, id est, totius mundi conditorem intellexit. Hic vnus, vt est omnibus colendus & inuocandus, sic solet & potest inuocantibos opem afferre. Reliquis vt olim Achabo regnante, Baali, frustra supplicatur. Ipsius autem postulationis exemplum sic habet: Si videtur regi bonum &c. Quibus verbis tota postulatio comprehenditur: quæ non minus est artificiosè facta, quàm modesta ac pia. Exordium enim partim à re ipsa partim à persona sua docit. Ab ipsa quidem re, cum dicit: si videtur regi booum. Quod perinde est, ac si dicat: Si tibi mea causa probari, tantæque esse curæ potest, quaotæ ego velim. Perprudenter autem propositæ rei decisionem quasi iudicio regis permittit, ne qnid ei præscribere velle videretur, eoque causam redderet inuisam. Quo exemplo moniti statuemus, causas pias ac diuinas, & si minimè sint humanis iudicijs subijciendæ, nihilominus tamen adeo modestè agendas, vt ad eas etiam hominum suffragia ac iodicia quasi quodam modo postulasse videamur. Quantũ enim ioter imperare atque postulare sit discrimen, oemo nescit. Hic igitur spectans personam serui, quam gerebat, quò minus offendat regem, causamqoe impediat, petit: non vrget: multò minus iubet. At à persona sua commendationé causæ petit, eo quod dicit: Si placet seruus tuus ante faciem tuam: id est, si quid vnqnam feci, quod gratum esse potuit tibi, velim eius recordatione grata ad audiendam petitionem meam moueare. Non exprobrat officia pręstita: sed & propensæ erga se regiæ volnntatis fiduciam, & soæ vicissim erga regem obseruaotiæ conscieotiá qnasi qnodam modo iactat. Est igitur ijs, qui intelligunt posse accidere, vt aliorum hominum opera aliquaodo indigeant, summa ope enitendum, vt de quàm plurimis quàm optimè mereantur: nempe vt vbi res temposque tulerint, suorum meritorum fiducia freti, tantò fidentius aodeant postulare. Hac præparata ad petendum via, tandem ad ea quæ postulato opus erant, aecedit. Ac dno petit: Vnum, vt ei liceat in patriam proficisci: alterum, vt dimissus, etiam rebus ad id oecessarijs instruatur. Quorum alterum, nempe vt instauraret patriam,

perpulchrum perque pium & laudabile erat opus: alterum, vt auxilia regis haberet, & pertinentem ad ædificandum materiã, tam erat necessariom, vt hoc vno destitutus à proposito desistere cogeretur. Meminerimus igitur nobis etiã quæ necessaria sunt, quàm modestissimè postulanda: quæ contrà nec honesta sunt nec bona, nunquã à quoquam requirenda. Quæ ratio requiritur ad optimam omnis postulationis formam,

6 Dixitque mihi rex, & regina, quæ sedebat iuxta eum, vsque ad
quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vul-
tum regis & misit me: & constitui ei tempus.
7 Et dixi regi, Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces re-
gionis trans flumen, vt traducant me donec veniam in Iudæam.
8 Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna,
vt tegere possim portas templi, turres domus, & muros ciuitatis, & do-
mum quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bo-
nam mecum.

His de tẽpore, & occasione, & modo auxilij regij postulati iterũ recitatis, quid sit impetratum deinceps ostendit. Quæ res eo ordine & modo memorantur: vt à quo, & qua lege, & quæ qualesque res impetratæ fuerint, intelligatur. Ac primũ à quo res illas impetrarit, eo ipso ostendit, quod regem indicat assidente regina sibi quid quantũque concederetur dixisse. Quod ipsum etiam, præsertim, si cũ ijs, quæ paulo ante retulit, conferatur, indicio manifesto fit, hæc in conuiuio facta fuisse. Nec id est alienum à moribus Persarum: quos Strabo scribit, quoties hilariores essent facti vino, de rebus grauibus ac dubijs consultare consueuisse: fortasse quia vinum modice sumptũ, cum familiare sit alimentum, calorem mitũ in modum auget: calor dein excitat animos, itemque mœrorem, solicitudinem, metum, quæ maxima sunt bonorum consiliorũ impedimenta, prorsus explodit. Aliàs vbi nimio vini potu ratio omnia est obruta atq; impedita, ibi nec consilij, nec pensi quicquã superesse constat. Reginam autem vulgatę versionis author eam appellat, quàm Hebręus scriptor, שגל, LXX. [illegible] vocant. Obscœnã autem Hebræorum doctores afferunt nominis huius interpretationem, idque & pellici, & vxori, qua cum legitimi congressus fiunt, tradunt conuenire. Apud Græcos autem [illegible] vocatas eas tradunt nonnulli, quæ cœlibum concubinæ essent: ac rursus [illegible] illas, quæ etiã maritis sui ipsarum copiam facerent. Quare posito ambiguo nomine, regina ne an pellex assederit, in medio relinqui putatur: præsertim cum Persæ & vxores multas, & pellices plurimas habere consueuerint. Neque tamen improbanda videtur vulgata versio: vt quæ in honestiorem melioremque sententiam inclinat. Quod autem reginam dicit regi, tunc cum hæc concederentur, assedisse, id videtur quasi quoddã rei gestæ signom, aut narrationis veræ notam interposuisse. Quod genus clausulas Germani proferrent hoc modo: vnd zum wortzeichen da saß jm die Küngin an der syten. Etsi vero sit veracis historici veritatem magis quàm verisimilitudinem spectare: iuuat tamen veritatem, & decet eius pręconem, veris narrationibus veritatis notas passim inserere, eoque gratiam & authoritatem conciliare. Vult etiã Nehemię fuit pręsertim ad explodendam omnem falsi suspicionẽ, quod ab ipso rege responsum tulit. Qua deinceps conditione hęc cõcessa fuerint, partim sciscitatione regis, partim promissis Nehemiæ demonstratur: nimirũ vt ad tempus certũ reuerteretur. Quæ conditio Nehemiæ prodesse potuit magis, quàm obesse: nempe vt locum in aula suum retineret. Quo ipso beneficiũ maius ac perfectius fuit. Eæ res autem, quas impetrauit, primûm versus sexti membro vltimo dicuntur regi placuisse, nimirum vt Nehemiæ concederentur: dein septimo & octauo versibus sigillatim singulæ verbis ex Nehemiæ postulatione depromptis memorantur. In quibus primum tenet locum data facultas proficiscendi: non exiguum munus certè, bona gratia missionem ab regibus impetrare. Nam intra sacrum & saxum videntur esse, qui nec retinentur, nec dimittuntur benignè. Et quanto honestior atque melior ea res erat, ad quam expediendam se dimitti postulabat, hoc gratior ei nimirum concessio fuit. Secundo loco regis literæ memorantur: quarũ vsum atque fructum non in Iudæa solum ad retinendos in officio ciues, & ad occludenda aduersariorum ora & ad impetrandã materiam necessariam: verum in ipso quoque itinere, vt per vicinas Iudæis prouincias armis animisq; infestas & inimicas tutè deduceretur, perceperunt. Refert autem earum, quas ab rege consecutus
„ est epistolarum genera duo. De prioris genere versus septimi verba sunt illa: epistolas det mihi ad
„ duces regionis trans flumen. Vt traducant me, &c. Ex his perspici potest, eum hoc ab rege & petijsse & impetrasse, vt fide publica per loca parum tuta deduceretur. Ac quanquã hoc genus literę, nisi bono militum atque equitum pręsidio muniare, parum roboris aduersus iniustã vim habeant,

vt iudicat

vt indicat Abbas in ca. literas. de resti. spol. in fi: tamen vt neque sibi ad plenam sui iuris defensionem deesset quicquam, neque prędonibus aut latronibus ad excusationem improbitatis suæ quicquam subsidij prębererur, quantum potuit suæ causæ & saluti cauit. Secus Esdras, cum in Iudæá ipse proficisceretur: vt qui pręsidium huiusmodi nec postulauit, nec accepit: nempe vt ne eos offenderet, qui alienioribus erant à religione animis. Quæ res est documento, vná eandemque rem modo licere, modo non licere, diuersis scilicet de causis, temporibus, & personis. Vsus est Paulus custodia tutelaque militum, qui illi contra Iudæorum violentam impreßionem erant attributi. Act. 23. Est enim militibus vtendum magis quàm fidendum: sunt tempora quibus aliquid nocet ac dedecet: sunt alia, quibus par est & necessarium, vt id ipsum fiat. Aliud item principes ac nobiles viros, aliud sacerdotes & prophetas decet. Esdras erat sacerdos ac scriba, & quantæ curæ esset deo, quamque in eius fide & tutela spes opesque suas omnes posuisset, ita sepe & multum coram rege & principibus prædicarat, vt ei, nisi de prędicationis suæ fide & existimatione multũ detractũ vellet, hęc externa auxilia petere minimè liceret. Nehemias autem erat pincerna regis: nec minus ad tuendam maiestaté regis, quàm ad ipsius salutem conseruandam pertinebat, vt ne qua parte lęderetur. Est etiam credibile Esdram officij doctrinæque nomine, Magis præsertim ac superstitioni Persicæ valde addictis principibus inuisum: contrà Nehemiam, qui pro eo ac intimus erat regi, de plurimis poterat optimè mereri, charum omnibus ac gratum fuisse. Qua de causa Nehemias hæc auxilia cum petijt rectius, tum facilius impetrauit. Cum autem imperia diuinitus in hoc sint constituta, vt suis quique rebus vti frui, & earum augendarum ac tuendarum causa quaqua velit, tutó proficisci queat: certè publica fides ac tutela peti pariter ac dari iure potest, estque magistratibus optimis quibusque enitendum, vt itinera à latrocinijs ac rapinis, itemque à furto, dolo, quibuscunque periculis ac molestijs tuta seruent. Alterius autem generis epistola qua de re conscripta fuerit, quasque ei debuerit vtilitates afferre, itidem depromptis ex sua postulatione verbis, versu octauo ad hunc modum ostendit: Et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna, &c. Quibus verbis primum eius, ad quem literæ datæ essent, persona: dein res quæ Nehemiæ nomine petebantur: vsus denique in quos eæ essent conuertendæ, demonstrantur. Ac persona quidem eius, ad quem de voluntate & mandato regis scribebatur, partim eius proprio nomine, partim officij notatione indicatur. Proprium eius nomen Asaph dicitur. Cuias ille fuerit, Iudæus ne an alienigena, non indicatur: fuit in collegio cantorum, de tribu Leui celebris quidam Asaphus oriundus, cuius in 1. Par. 6. c. & in nonnullorum Psalmorum inscriptionibus fit mentio: sed eum hic non dici cum temporum tum eius officij, personæque ratio declarant. Officium eius hoc ipso notat, quod eum custodem saltus regis appellat, quem Hebr. veritas, שמר הפרדס, LXX. Interpretes, φύλακα τοῦ παραδείσου, vocant. Conferenda sunt igitur inter se hæc nomina. Hebræum nomen rarius in Biblijs occurrit: vt Eccles. 2. Cant. 4. & hoc loco. Græcum autem frequentius est: licet barbarum Pollux, & à Persis translatum ad Græcos Xenophon & Philostratus, putent. Equidem Philostratus in vita Apollonij paradisorum meminit, in quibus leones, vrsos, pantheras claudere barbari consueuerint. Gellius lib. 2. cap. 20. viuaria dici putat, loca septa videlicet in quibus viuæ feræ pascuntur, quos παραδείσους olim Græci nominarint: saltus autem syluæ non facilè peruiæ Latinis à saltando videntur dici, in quibus pasci pecudes & æstiuare, etsi ferat aer, hyemare etiam posśint. Quarum syluarum custodes saltuarij dicuntur. Verisimile est autem regem syluas eas, in quibus abietes, cedri, pinus, quercus, aliæque ædificijs accommodæ arbores essent, ita septas ac custodia munitas habuisse, vt & ferarum in his, & ad ædificandũ necessariæ materię magna copia, quoties res postularet, haberetur. Aliàs Paulus Iureconsultus in l. sylua Cædua ff. de verb. sign. pascuam syluam eam dicit, quæ est pascuis pecudum destinata: cæduam autem illam, quæ in hoc habetur, vt cęderetur. Ex ea verò petitionis huius parte, qua regem, quas ad res hanc materiam desideret, edocet, colligi potest: voluisse eum ad eius syluæ custodem seu præfectum sibi literas dari, è qua haberi materia ad ædificandum necessaria posset. Ac quemadmodum dubium non est, quin & nemora ad voluptatem & delectationem consepta ac diligenter consita, & viuaria ad conseruandas ac custodiendas feras parata habuerit, vsitato more principum ac regum: sic res ipsa postulabat, vt & cæduas, & pascuas syluas custodia regia muniret ac tueretur. Quorum primum conueniens est maiestati regum, & ad hospites excipiendos necessarium, & cum similes illecebras habeant homines priuati, viro principi id ipsum neutiquam inuidendum: alterum ad alẽdam aulam, quasique ad tuendum victum regum requiritur: tertium ad publicas pariter ac priuatas vtilitates refertur. Siue enim longi tẽporis vsu consumptæ ceciderint, siue incendio conflagrarint pristinæ, siue extruendæ sint publicæ, priuatæ, sacræ, nouę, ædes: seu faciendi pontes: seu quid aliud sit fabricandũ: ad id ex syluis bene custoditis acquiri materia necessaria potest. Summa, quoad nobis in his terris agentibus opus est tectis ac focis, tantisper opus est etiá assidua ac grauia custodia syluarum:

nempe vt ne quis vllas aut auarè, aut imprudenter, aut odiose in publicū pariter ac priuatū suum damnum penitus excindat. Quam rem prisci Romani tantæ sibi curæ esse voluerunt, vt syluarum custodia muniendarum munus consulibus suis demandarint, ne videlicet nauibus compingendis materia vnquam deesset. Cumque earum, quæ consulibus mandabantur, prouinciarum aliæ maiores, minores aliæ dicerentur: hæ minorum numero censebatur. Vnde & Grammaticis placet, ad eum morem allusisse Vergilium, qui in Bucolicis dicit: Si canimus syluas, syluæ sint consule dignæ. Extat etiam eiusdem rei vestigia apud Suetonium in Cæsare, quando scribit optimates id operam dedisse, vt futuris consulibus prouinciæ minimi negotij, id est, syluę collesque decernerentur. Iam si consularem dignitatem sua magnitudine metiamur: facile erit colligere, quanti syluarū custodiam fecerint veteres Romani, quantique eandem curam sibi quoque faciendam prudentes magistratus debeant existimare: presertim cum & Persicis regibus tantæ curæ fuisse eam locus hic ostendat. Quas autem res harum literarum ope comparare velit, non dissimulat, sed vno lignorum nomine declarat. Intelligit autem ligna tam ad alendum in foco suo ignem, quàm ad ædi-
„ ficandum necessaria, sed in quos vsus petat, enumeratione quadam exponit: vt tegere possim por-
„ tas templi, turres domus, & muros ciuitatis, & domum quam ingressus fuero. Hæc enumeratio magis perspicua fiet, si reuocetur ad fontes Hebraicæ veritatis. Igitur dicit primum se petere ligna לקרות, id est ad contignandum. Verbum Hebræum, cum accusatiuum regit, significat trabes ad tectum aptare, seu contignare. Dicit autem portas הבירה id est arcis, aut, vt vertunt alij, palatij: non, vt habet vulgata versio, templi. At הבירה nomine Lyran. turrim dici putat, quæ prope templum fuerit erecta, quò templum magis munitum esset. Et sanè veritas Hebraica addit illam particulam, אשר לבית, quæ est prope ædem, siue domum. Huius autem domus nomine templum significari minimè dubitatur. Vatablus existimat templum quidē extructum fuisse, verum desideratas adhuc sppendices templi. Dein ולחומת העיר id est, & ad murum vrbis, addit. Eum autem ciuitatis murum diei Vatablus intelligit, quo mōs is, in quo templum conditum fuit, cingeretur. Quanquam fieri possit, vt de totius vrbis muro dixerit, quem ipsum inprimis constituerat instaurare. Eius autem, quam ipse esset ingressurus, domus nomine plane videtur ædes habitationi suæ, suisque vsibus parandas significare. Etenim res ipsa postulabat, vt & ipsi priuatæ quædam ædes essent, quibus posset, cum fouere suos familiares, tum hospites vndecunque aduenientes excipere. Hac autem enumeratione quasi quandam spem regi fecit, se & necessarias solum res petiturum, & concessis ijs quàm rectissimè esse vsurum. Sed & earum acquirendarum rectum ac legitimum modum se seruare velle eo ipso ostendit, quod eas se dicit à custode saltus, hoc est, à præfecto regiorum nemorum petiturum. Quæ significatio regem nimirum huc adducebat, vt tanto promptior esset ad dandum. Neque enim quisquam est vel adeo largus, vt quę in res inanes ac malas profusum ac perditū iri suspicetur, elargiri velit: vel adeo ab omni iustitia alienus, vt cuiusquam libidini suas res per fas ac nefas rapiendas sciens prudensq; concedat. Atque hæc quidem ab eo non minus sunt prudenter quàm modeste & piè dicta ac facta.

Illa vero clausula, quam vltimo versus octaui membro comprehendit ad hunc modum: Et de-
„ dit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam: non modo consiliorum & actorum suorum euentum prædicat, verumetiam eorundem causas efficientes suis meritis laudibus effert. Quorum alterum quidem eo quod manum dantis regis eum manu Dei bona quasi quodā modo confert: alterū aūt eo ipso quod illum Deum suū appellat, declarat. Manus enim, quoniā hominibus, vt essent artium & actionum omnium administræ sunt diuinitus datæ: cum in vsu quotidiani sermonis artes, actiones, dandi pariter & accipiendi modum significant, tum etiam in somnis visæ, quemadmodū Artemidoro placuit spe prosperorum successuum consolantur: vnæ denique in omni vitæ parte & vsu plurimum iuuant. Vnde existit consuetudo, vt manuum appellatione & vis, & actio, & ars, itemq; subsidia atque auxilia significentur: itemque nominis huius vsus ad dantes pariter & accipientes transferatur. Veluti Scholiastes Sophoclis in Aiace μεγαλοχειρία, quod poëta τὴν χεῖρα, id est, manum dixit ipse, τὴν ἰσχὺν id est, robur ac vim, exponit. Et vt animi pariter ac corporis vim manus nomine dici constaret, idem in Electra poëtæ eiusdem tracœdia alia, vocabulum idem εὐχερείας, id est, fidentiæ nomine exponit. Actionem vero simul & artem manus nomine Caius Iureconsultus significauit, quando in l. mulieris. § res abesse. ff. de verb. sign. dicit plerunque plus esse in manus pretio, quàm in re. Subsidia deinde & auxilia manus nomine significari, multis indicijs testimonijsque euincitur. Equidem in secundi libri Regum cap. tertio Abner Dauidi, siquidem pacem & amicitiam secum ineat, manum ei, id est, opem suam affuturam pollicetur. In eiusdem etiam libri decimo quarto capite Dauid cum mulierem Thecuitem verbis illis interrogat. Nunquid manus Ioab in omnibus istis tecū est, num isthæc agat opere & consilio & impulsu Ioabi ducis, exquirit. Et psalmo 88. auxilium patris cœlestis Messiæ affuturū verbis illis promittitur: Manus mea auxi-

liabitur

liabitur ei,& brachiũ meũ confortabit eum. Ad largitiones añt & beneficentiã huius vſum nominis inprimis translatũ eſſe,etiã vulgo notæ & tritæ locutiones illæ : manu larga, manu longa,manu breui dari beneficia,atteſtantur Velut Vlpianus in l. licet ſoleat. §. quoties. ff. de iur. dot. manu breui datum dicit,quod eueſtigio præſtitum intelligebat : & Iabolenus in l. ſi pecuniam. ff. de ſolut. & liber.manu longa tradita exiſtimat,quæ ſaltẽ promiſſa & adhuc in ſpe & expectatione eſſe videntur. Hic igitur vt non ſolum magna arte magnoque opere & ſtudio quęſita,verum etiam fœliciter, cito,plenè comparata ſignificet:ſecundum Dei manum bonam,id eſt,ita vt ijs,quos caros habet & opibus & honoribus auctos vult,ſua dona munificus & miſericors deus elargitur,beneuolenter & large & cumulatè pręſtita dicit. Eſt enim Dei manus alia quæ dicitur quodã modo mala,id eſt,extenta ad inferendum malum ijs,qui patratorum ſcelerum pœnas dare debent : alia bona,id eſt,extenta ad eripiendos homines ex malis, aperta ad dandum bona , protenſa ad tuendum ac conſeruandum. Et cum illa ipſa dantis hæc beneficia regis manum quaſi confert ille. Eo vero quod Deum,quem non neſciebat, omnium communem eſſe,Deum ſuum fuiſſe dicit,perinde clarè ſignificat, ipſum hac in re ſic ei ſuam opem attuliſſe, ſibique animum ad audendum, prudentiam ad petendum,fœlicitatem & facilitatem ad impetrandũ addidiſſe,ac ſi ipſius ſolius pręter cęteros mortales Deus peculiaris eſſet. Eſt hoc conſentaneum veræ fidei,cuius nobis & pręcepta, tradidit,& exemplum in ſe præbuit,filius Dei:nempe vt perſuaſum animis habeamus, Deum eſſe & communem omnium patrem,& cuiuſque peculiari cura tangi : qua de cauſa rectè & auſpiceeo res omnes gerendas ſuſcipi,& illarum fœliciter confectarum laudem & gratiam illi vni perbiberi. Quod ipſum Nehemias quoque facit hoc loco , quando ſic euentum conſiliorum & actorum ſuorum prædicat,vt non minus opem & prouidentiam Dei, quam clementiam atque munificentiam regis laudet. Qua ratione etiam abs ſe tanquam ima cauſa,ſupra mediam,quæ erat regis gratia,ad ſupremam,videlicet manum Dei bonam, id eſt,opem diuinam tranſcendat. Eodemque modo nos quoq;,licet,ipſi,quod noſtri ſit officij ſtudioſe prudenterq; executi , & voti compotes facti ſimus , nihil tamen noſtro opere & ſtudio profecturos fuiſſe , niſi nobis opem ſuam Deus attuliſſet,arbitremur. Vnus enim Deus, qui ſua prouidentia mundum adminiſtrat,& conſulit rebus humanis,non ſolum vniuerſis, verum etiam ſingulis ; princeps eſt fortunæ bonæ cauſæ. Atq; eius rei confeſsione & prædicatione ſuam hanc de conſilijs atq; ſtudijs ſuis Nehemias narrationẽ claudit.

9 Et veni ad duces regionis trans flumen, dediq; eis epiſtolas regis.
Miſerat autem rex mecum principes militum & equites.
10 Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias ſeruus Ammonites,& contriſtati ſunt afflictione magna,quod veniſſet homo,qui quęreret proſperitatem Iſrael.
11 Et veni Hieruſalem & eram ibi tribus diebus.

Explicata priore parte Capitis ſecundi,qua Nehemias apparatum & auxilia, quibus inſtructus Hieroſolymas venit , ſane quam diſtinctè & explicatè commemorauit : iam poſterior reſtat conſideranda,qua perinde clarè edocet,vt impetrata ab rege priuilegia pariter atque auxilia ad inſtaurationis opus adhibuerit atque accommodarit. Eius autem narrationis hæc eſt ſumma. His impetratis rebus Nehemias nulla interpoſita mora iter eſt ingreſſus : literas ijs ad quos erant datę tradidit:cum ſufficiente comitatu inuitis & ægerrimè eius aduentum ferentibus inimicis Hieroſolymas venit:ibi clam luſtratis rebus ac locis omnibus,& aſcitis in ſocietatem Iudæis opus aggreditur , & aduerſus inſultantes hoſtes ſtrenuè prudenterq; defendit. Ex his perſpicuum fit , hanc narrationem omnem ſex capitibus conſtare:quorum primo Nehemiæ profectio,ſecundo res eam ipſam conſecutæ, tertio Nehemiæ in vrbẽ aduentus , quarto vt vrbis muros ac munitiones tacitè explorarit , quinto , vt conſilium ciuibus ſuis expoſuerit , eoſque in ſocietatem operis adduxerit, ſexto ,vt ſuſceptum opus aduerſus hoſtium inſultantium minas atq; vires defenderit,indicatur.

Ac profectionẽ quidem verſu capitis huius nono ſic refert,vt indicet illum iter ſtatim ingreſſum,vſum etiã epiſtolis regis & comitatu. Quorũ vtrumque pietatis pariter ac prudentiæ documenta præbet. Eſt enim viuacisſimæ fidei in Deum, quod tantas tamque difficiles ac periculoſas res gerendas ſuſcipit,eaſque adeo ſtrenuè,expeditè,fortiter aggreditur. Eximiæ rurſus eſt prudentiæ , quod & adeo celeriter iter ingreditur , ne quod ei morã trahenti impedimentũ interponi queat. & ad prouehenda cõmoda ſua literis regis, & ad depellendum abs ſe periculum inſidiarum aut qualiumcunque hoſtilium impreſsionũ, equites atque milites à rege conceſſos ſecũ ducit Igitur huius exemplo diſcimus tantum patriæ & pietati tribuere, vt eius inſtaurandæ,prouehendæ, & adiuuandæ cauſa libenter ocium ac voluptates cum laboribus & moleſtijs cõmutemus:vt quo

niam in mora periculum, in celeritate boni plurimū positum constat, conctationem & tarditatem omnem fugiamus: vt licet opis diuinæ fiducia res difficillimas aggrediamur, earū tamen, quibus ad has conficiendas opus est, rerum nihil quicquam prætermittamus, sed instrumentis & auxilijs necessarijs omnibus rectè & prudenter vtamur. Quemadmodū enim ijs, qui mūdanas opes ac delicias cœlestibus bonis anteponunt, eaq; de causa patriæ & ecclesiæ desunt, vsuuenit, vt dū ocium volunt sine pietate retinere, faciant vtriusq; iacturā: sic ijs etiam, qui vel nimis sunt ad honesta negotia tardi, vel neglectis instrumentis & auxilijs necessarijs temere omnia agūt, accidit: vt aut occasiones optimas amittant, aut vna cum sua causa se sociosque perditum eant. Quæ pericula Nehemias hac ratione suscepta profectione euitauit.

Versu decimo, in rebus huius profectionē consecutis refert, quis quantusq; metus hostiū animos, cum ad eorū aures aduentus eius fama peruenisset, occuparit. Quæ res, quoniā indicat hanc Nehemiæ celeritatem & prouidentiam, ad conficiendum hoc negotiū valde fuisse necessariā, ita distribute proponitur & diligenter, vt & considerari & memoria teneri queat. Nam & personæ, & res ipsa, & eius efficiens causa notantur. In personis duo nominantur inprimis, Sanballatus scilicet & Tobias. Qui vero fuerint illi, neque hoc ipso, neque alio vllo, quod sciam, loco explicatur. Sanballati nomine quidam vel rubum in loco abdito, secundum Hebræos, vel inimicum occultū, nomine ex vtraque Syrorum nempe & Hebræorum lingua composito, significari putarunt. Conueniens nomen ei, qui sit hostis ecclesiæ, quique lateat in occulto parans insidias, & expectans idoneum ad eruptionem tempus, eoq; dato ad apertum latrocinium excurrat. Additur ei nomen Horonitis, quo fortassis eius patria significatur. Quanquam dubium sit, vtrum ab Hor Arabiæ Petreę monte, ad quē, vt Iosepho & Hieronymo placuit, Petra princeps eius terræ ciuitas condita fuit, an ab Horonaim ciuitate Moabitica, cuius Esaias, cap. 15. & Hieremias cap. 48. meminerunt, deriuatum putemus. Huic deinde socium fuisse dicit quendam Tobiam, qui seruus Ammanites appellatur. Quis ille fuerit, perinde ignoratur. Videtur autem seruus Ammanites ideo dici, quod vel ex Ammone vrbe Arabiæ, vel ex Ammonitarum gente oriundus fuerit, vel alicui nomen hoc ferenti seruiret. Sed & si qui nam fuerint, ignoretur: tamen quales fuerint, cum res ipsa attestetur, incertum esse non potest. Rem ipsam autem vulgatæ versionis author exprimit hoc modo: contristati sunt & in afflictione magna fuerunt. Hebraica autem veritas sic: וירע להם רעה גדלה, id est, si verbum verbo reddas, & malum fuit eis, malum magnum. Quod perinde est ac si dicat, huius aduentum illis visum malum, aut illos habuisse malè. Quoquo modo exponantur, indicant ægritudinem animi natam ex opinione mali præsentis atque etiam tanti, vt in eo rectè sibi viderentur angi. Cum autem ægritudo omnis habeat adiunctum metum, & hæc ambo sint tabificæ mentis perturbationes, quæ nec in fortem, nec in sapientem virum cadunt, ac neq; corporibus somnum, neque animis serenitatem & tranquillitatem vnquam concedunt: quia perpetua quadam quasi carnificina vitam etiā in maximarum deliciarum abundantia acerbam reddunt: sanè terque quaterque miseri fiant, quibus malum hoc acciderit, necesse est. Atque hoc quidem de illis ipsis etiam statuendum esse hæc illius ægritudinis causa monet, quam verbis illis author effert: quod venisset homo, qui quæreret prosperitatem filiorum Israel. Indicat enim aduentum eius hominis, qui populi Iudæi reliquias vrbemque instauratum appulisset, tantum eorum animis dolorem attulisse. Qua in re magna multiplexque eorum miseria apparet: vt quod ipsis animi deijciuntur & anguntur: quod opinione falsa ac mendaci territantur. quod alterius rebus opimis ipsi marcescunt: quod populi Dei commodis auctis incommoda sua augeri credunt. Illud autem solenne est hostibus populi Dei, vt seu insigni aliquo Dei seruo, seu magna Dei cultorum multitudine, seu ipso Dei filio res religionis instauratum aduentantibus ipsi terrore & metu perculsi in metum ac desperationē conijciantur: partim quia conijciunt actum fore de suis voluntatibus, quibus nihil habent prius: partim quia patratorum scelerū conscientia territi pœnas timent. Ex quo terrore eorū facile colligi potest, quantum eis metū terroremque dies is sit incussurus, quo Dominus est vnà cum angelorum suorum comitatu ad iudicium vltimum aduenturus. Et certe consideranda sunt exempla Cananæorum, quibus etiam ipsis aduentus Mosis & Iosuę & populi Israelij tantum attulit metum, vt animi ipsis instar ceræ liquefieri & diffluere viderentur: item Baalitarum, quibus aduentus Helię cum terrori, tum exitio fuit: denique Herodis & populi Hierosolymitani, qui Christo nato in mœrorem maximum inciderunt. Sed & hæc animorum dissimilitudo, & conuersio rerum est admirabilis: qua fit, vt quæ res Nehemiam suauissimè afficerent, eæ Sanballato & suis dolores & cruciatus maximos afferrent: tumq; vna eademq; re & Nehemiæ mens è mœrore & metu in gaudia ac spes optimas erigeretur, & è gaudijs ac delicijs suis hostes in tristitiam ac solicitudinem maximam detruderentur. Quod vt omnibus seculis accidisse testantur historię, sic ad ipsius vsque mundi interitum semper euenturum Christus & apostoli vaticinantur. Mundus (inquit) gaudebit,

bit, vos plorabitis: mœror vester in gaudium vertetur. Idque etiam tunc factum constat, cum in ara crucis victimam pro peccatis nostris patri cœlesti Christus offerret: quãdo primum crucis eius aspectu miserabili, & illo ipso mortuo & sepulto discipuli, quasi spe & re pariter amissa, deiectissimis animis essent, Iudæi ceu victores & triumpharent & illis tristibus insultarent: post territis & in fugam versis custodibus sepulchri sacri, suscitato ac suis in conspectum reddito Christo, mox in cœlum quoque subuecto, & sonante Euangelij tuba, gaudere discipuli, mœrore & inuidia confici Iudæi cœpissent. Hæc res quoniam lætam ac perpetuis Christianorum hominum votis exoptatam rerum conuersionem pollicetur: vbiuis occurrerit, & diligenter est, vt monuit Beda, consideranda, & vt consoletur, alta mente reponenda.

Aduentum suum in vrbem vndecimo versu refert hoc modo: Et veni Ierusalem & eram ibi tribus diebus. Quæ verba significant, eum, iam & defunctum periculis ac laboribus longi itineris in exoptatam patriam quasi in portum quendam ex longa nauigatione tandẽ appulisse, & ea qualicunque tranquillitate ad se suosque comites reficiendos vsum esse. Quorum alterum maximum attulit animo robur: alterum ad reficiendum corpus necessarium fuit. Animus enim isthic ex aulicò strepitu & ex adiunctis gerendæ rei curis quasi refici, & his tam faustis ac fœlicibus initijs in spem euentus optimi plane erigi poterat. Corporis autem membra laboribus profectionis defessa hac interposita quiete refici perinde potuere. Igitur inde discimus oportere semper interponi laboribus ac molestijs nostris aliquid quietis & ocij: idque esse & naturæ nostræ necessarium, & conueniens voluntati Dei. Quemadmodum enim naturæ nostræ vires sunt imbecilliores, quàm vt labores continuos sustinere queant, nisi quiete alterna restaurentur: sic Deus ociũ sabbati iumentis pariter ac hominibus reficiendis instituit, & noctem, & somnum, & quæ somnum ciere possent remedia, ceu naturæ necessaria refrigeria ordinauit. Quod genus recreationis etiam sibi suisque hominibus Nehemias more sanctorum hominum libenter indulsit. Quanquam minime dubium sit nonnullam quoque temporis huius partem salutandis amicis & priuatim tentandis atque explorandis animis ciuium tributam fuisse.

12 Et surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Dominus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem. & iumentum non erat mecum nisi animal cui sedebam.

13 Et ingressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem Draconis, & ad portã stercoris: & cõsiderabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni.

14 Et transiui ad portam fontis, & ad aquæ ductũ regis, & non erat locus iumento cui sedebam, vt transiret.

15 Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum: & reuersus veni ad portam vallis & redij.

Cæterum vt omnia loca vrbis explorarit, duodecimo & sequentibus versibus sic recenset, vt quo tempore lustrationem illam susceperit, per quos homines hanc confecerit, quem tenuerit in explorando modum, quas res potissimum inspexerit, quo in statu quæque inuenerit, ostendat. Ac tempus quidem huic gerendę rei sanequàm conueniens videtur elegisse, quando intempesta nocte surrexit, & cum paucis ad inspiciendos muros egressus est. Primum enim quia tempus illud quieti plerunque animantium diuinitus est concessum, procliue erat omnes homines quiescere, & non solũ quę Nehemias ageret, non animaduertere, verum illũ ipsum quoq; somno sepultũ existimare. Qua de causa quod agebat facillimè poterat occultare. At si interdiu muros inspexisset, hospites, inquilini, ciues, forsan etiã hostes, ecquid ageret aut moliretur, visum ac quæsitũ cateruatim accurrissent, eoq; vel res omnib. fuisset patefacta, vel suspicione grauiore onerata. Ex quo deinceps hoc fuisset consecutũ, vt socij prius tergiuersationis causas excogitassent, quàm ab eis auxilia ipse petijsset: & hostes ante parassent operi futuro opponenda impedimẽta, quàm Nehemias ipsum aggrederetur. Recte ergo nocte concubia cũ quid ageret, nec videre, nec suspicari quisquã posset, inspectionis opus illud suscepit. Eisdẽ sanè de causis Darius Histaspis filius author & impulsor societati suæ fuit, vt noctu Magi, qui Persarũ regnum per vim inuaserant, opprimerentur. Mithridates etiam cũ à Pompeio obsessus teneretur, in proximas hosti valles pabulatũ excurrendo, colloquia instituendo, plurimis ignibus accensis fugã dissimulauit: sed secũda vigilia noctis pręter hostis copias agmẽ suum eduxit. Eodemq; modo Iosua nocte castra mouit, & in castra Madianitarum Gedeon noctu mãdato Dei impetũ fecit. Communẽ igitur & prudentissimis ac fortissimis quibusq; viris vsitatam rationem seruauit. Dein arbitratus est vir sapiens, noctis tempus in tanta præsertim

trsnquillitate & animantium omnium quiete, quando nec aurium nec oculorum sensus vllis rebus obiectis à proposita causa auocantur, cum rerum cognitarum considerationi, tum inueniendis consilijs oouis admodum aptum & idoneum esse. Quod Phurnutus innuit, quando noctem εὐφρόνην, hoc est, prudentem vocat: & Euripides indicat, noctem dicens alicubi ὦ μῆτερ τῶν καλῶν καὶ ἀρίστων βουλευμάτων, id est parentem pulcberrimorum & oprimorum consiliorum. Quibus etiam Epicharmus suffragatur admooens, ἄν τι ζητῇς σοφόν, τῆς νυκτὸς ἐνθυμητέον: id est, si quid sapiens inuestiges, nocte est ratiocinandum. Simile quiddam psaltes videtur Psal. 18. significare, eo quod dicit, Dies diei eructat verbum: nox nocti indicat scientiam: hoc est, vt ego quidem interpretor: In hoc elucet etiam prouideotia Dei, quod non solum hanc dierum atque noctium vicissitudinem vtilem & gratam hominibus dedit, verum etiam fecit, vt dies dié doceat, & prioris noctis inuenta posterior corrigat & emendet. Hac ratione ducti viri graues & sapientes, vel Deum nocte precati sunt, vel diuinas res contēplatione pia indagarunt, vel vtilia ac necessaria rebuspublicis cōsilia inuestigarūt: vt Moses dum pasceret heri sui greges: vt Dauid in psalmis vigilias suas narrat. vt Daniel ecclesiæ & totius mundi fata considerans: vt ipse filius Dei, qui totam noctē precando consumpsit. Qua de causa piè monet Beda, interesse Ecclesiastarum vigilantium, vt noctu surgant ac considerent Ecclesiæ statum, & quibus hæc sit vitijs inquinata, quibus item modis eadem expurgari possint, animaduertant. Adhibuerunt eam vigilantiam in ciuilibus negotijs multi magni viri: vt Epaminondas Thebanis suis partim epulantibus, partim dormitantibus, arma sibi lustranda, ac circum eundum vrbem, & vigilandum duxit: vt Æneas apud Vergilium vigilans & per noctem plurima voluens introducitur: vt Agamemnon apud Homerum, ne totam noctem dormiat, admonetur. Nec vulgaris est ratio, qua nos Horatius ad vigilantiam excitat à latronum scilicet & prædonum exemplo ducta ad hunc modum:

Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones:
Vt teipsum serues, non expergisceris? atqui
Posses ante diem librum cum lumine si non
Intendas animum studijs & rebus honestis.

Credibile est etiam non ignotum fuisse Nehemiæ morem eum, qui Persarum regibus vsitatus fuit, vt cubicularius aliquis ad thalamum regium accedens, verbis illis regem excitaret: ἀνάστα ὦ βασιλεῦ καὶ φρόντιζε πραγμάτων, ὧν σε φροντίζειν ὁ μεσορομάσδης ἠθέλησεν: id est, surge rex, & in earum rerum curam incumbe, quas tibi curę esse voluit Mesoromasdes. Ex quo coniectura capi non incerta potest, etiā in hac aula Nehemiæ non defuisse exempla & occasiones, quibus ad vigilantiam illam tam assuefieri quam excitari posset. Admonemur autem hoc eius exemplo, vt quicquid vnquam fuerit agendum, semper spectemus ac deligamus ea momenta temporum, quę viderimus & agentium naturę, & ipsi rei maximè conuenire. Eorum autem quos ad inspectionis huius opus adhibuit, personas demonstrat hoc vno, quod dicit: ego & pauci viri mecum. Id enim indicio est, eum hoc onus non cuiusquam alterius humeris imposuisse, vt solent nonnulli facere: sed ipsum met vrbem circumisse, & suis ipsius oculis omnia loca lustrasse. Quod ijs omnibus omnino faciendum esse qui res suas tempestiuè beneque curatas volunt, Æsopica illa cassita sanequàm prudenter & scitè monet. Ad id autem, vt à nullius hominis vel imprudenti, vel malefido consilio pendere cogeretur, sed quid quisque consuleret, ipsemet videre posset: omnino requirebatur, vt ille ipse opus hoc inspexisset. Dein vt aliquos secum haberet comites, partim labor inspectionis, partim periculum noctis & insidiarum admonebant. Quod autem paucos sumpsit, id non minus fortitudinis, quam prudentiæ fuit. Paucos oportere deligi suadebat prudentia: nempe vt sibi duobus à periculis caueret. Vno, ne quod fit in omni multitudine, magni strepitus, & confusio orirentur, & alius alium impediret: altero, vt ne multis adhibitis, minus res celari posset. Hæc pericula prudenter declinauit paucitate sociorum: sed vt insidiarum & periculorum omnium metu represso, rationibus istis obsequeretur, animi fortis & excelsi fuit. Quæ fortitudo magnum prudentiæ subsidiū adduxit. Etsi enim quæ decent, quæq; expediunt, pro prudentia videas, non autem præ periculorum & laborū formidatione audeas: tuum videre & iudicare tibi nil attulerit vtilitatis. Huic autem profuit & vidisse & ausum esse, quod proposita causa postulabat. Porrò modum in explorandis & inspiciendis
„ his locis secutus est eum, qui verbis illis indicatur: & non indicaui cuiquam, quid Deus in corde
„ meo dedisset, &c. Quibus ostendit, se etiam paucis illis, quos secum sumpserat, socijs, nullum consilij sui indiciū fecisse: tum vt ab ijs, quos reliquerat, minus audiretur, vnum tantum iumentum secum sumpsisse. Quę res eò spectabant ambæ: vt omnes homines hæc res tota celari tātisper posset, dum appareret, quo modo cum remoueri impedimenta, tum auxilia acquiri possent. Præclarū sanè exemplum taciturnitatis. Etsi enim dubium non est, quin spectatissimæ fidei viros elegerit, quorum opera ad inspectionem illam vteretur: id tamen etiam eos ipsos celat, quod constituerat occultare.

occultare. Et rectè ſane. Quæ eoim clam habere volumus, ea ſancta ſilentij fide nos primi cuſtodiamus, neceſſe eſt. Quo pertinet etiam, quod eorum, per quos arcana conſilia produntur genera ſunt plura. Sont enim quidam adeo perdita ac deſperata impietate & perfidia, vt plus boni communibus inimicis qoàm ipſi patriæ faueant ac pręſteot. Sunt rurſua in hoc qui ſtultitia magis quã malitia peccent: quibus incautis quæ tacenda fuerant, erumpunt. Sunt deniq; nonnolli adeo futiles ac vani, vt facilius ſit aquas cribro, quàm illorum ore conſilia inita cootinere. Sed & hoc natura ferè fert, vt quæ mala ſunt facilius taceantur, podore ſcilicet & metu: rurſus honeſta & bona quæ ſunt, facilius ac citius pateſiant: nimirom curioſitate & ambitione res gerentium. Qui mala animis voluoot, hi, niſi iuſto iudicio Dei fiat, vt ſorex mus ſeipſe prodat, illa quanto maximo poſſunt opere & ſtudio celant. Qui vero honeſta ac booa animis ſuis propoſita habent, his, ſi curioſos habeant amicos, & ipſi ſibi ſapere videantur, alijſque etiam ſapientes videri velint, etiam inter celandum imprudentibus ac prope iouitis omnia excidunt arcana atque occulta. Prudenter ergo Nehemias ipſe tacere maluit, quàm aliorum taciturnitatem experiri. Nec exiguam laudem etiam hoc meretur, quod vooſaltem iumento contentus fuit, quò minus apparatu magno prodere quod clam habere voluit, neceſſe haberet. Quare cauendum eſt in apparatu, vt ne quid nimis. Quas autem res ioſpexerit, bene longa rerum ipſarum enumeratione docet. Ac primum ſe portam vallis egreſſum dicit. Hanc ex eo dictam nonnulli putant, quod in vallem Ioſaphat hac exiretur. Hebręũ nomen, quod vallẽ ſignificat, L X X. interpretes ipſummet poſuere: in Codice Complotenſi quidem γαί: in cæteris γωνιά, planè detortum incuria librariorum. Qui illam portam ioſtaurarint, ex ijs quæ cap. 3. poſt referuntur, poterit iotelligi. Secundo loco ſontem Dracoois ponit: vbi verba Hebræa ſont אל פני עין התנין, id eſt ad faciem fontis thinnorum ſioe Draconum. LXX. interpretes vertunt hoc modo: πρὸς στόμα πηγῆς τοῦ δράκοντος, id eſt, ad os fontis Draconis. Vnde nomen illud huic inditum ſit loco, nec Ioſephus, nec Liranus docent. Equidem עין Hebræum oomen vt aliàs oculum etiam, ſic fontem ſignificat hoc loco: vt mioimè dubium ſit, aut fontem, aot riuũ inde manantem dici. At תנינים nomine Hebræi cum immani ſpecie & terribiles ſerpeotes, qui Dracones vocantur, tum piſces ac belluas marinas, qui thynni vel cete nominantur, comprehenduot. Velut in ſacris literis legimus hoc ipſo nomine tam piſces & belluas marinas, qoàm ſerpeotes appellatos: vt Pſal. 73. & 147. itemque Eſaiæ 13. & 35 piſces: contrà Ierem. 10. & 51. ſerpentes. Aut igitur portentoſæ magnitudiois piſces, aut ingentes ſerpentes nomen huic ſonti dediſſe credendum eſt. Ac quanquam Plinius perhibet, thynnos, quorum nomen Hebræo admodum eſt affine, procul è mari in continentem frutices depaſtum exilire conſueuiſſe, & Ioppe maritima ciuitas, è qua Andromedam ceto expoſitam Egeſippus & Strabo creditum referuot, noo longius Hieroſolymis, vt alter autumat, abſit, quàm vt vrbs inde cooſpici queat: tameo longe veriſimilius eſt, mea quidem ſententia draconem terreſtrẽ intelligi: ac vel ante conditam vrbem, terribilem aliquem, & immani ſpecie ſerpentem iſthic fuiſſe, qui fontis aditu accolas prohiberet: vel eum in qoo fons is eſſet, locum propter impendentium montium altitudinem, & ſyluas denſas atque aſperas adeo deſertom & incultum fuiſſe, vt idooea draconibus ſedes haberetur, ſicut arces inuenias in altis petris poſitas, quibus ſit à draconibus datum nomeo Trackenfels. Fit autem incolarum impietate & malitia, vt loca ab hominibus olim culta ac habitata in tantam poſtea vaſtitatem & ſolitudinem redigantur, vt draconũ receptacula fiant. Tertio portã ſtercoris attingit, quam Hebræi האשפות שער, Græci πύλην τῆς κοπρίας vocant. Hebræum nomen à שפת verbo, quod ſignificat fimum alicubi reponere, deductum putatur. Exiſtimant autem doctores hac porta ſordes & quiſquilias ex vrbe exportatas fuiſſe, & ex ea re nomen illud datum. Quarto portam fontis nominat. Hæc forſan ex riuo in piſcinam proximam influente nomeo eſt adepta. Nam & הברכה המלך, id eſt, piſcinę regis, quam κολυμβήθραν L X X. id eſt, piſcinam, ſeu ſtagnum, in quo natatur, appellant, paulo poſt mentionem facit. Hieroſolymis autem complures fuiſſe piſcinas moltis vtriuſque teſtamenti locis euioci poteſt. Velut in Ezechiæ hiſtoria ad piſcinam ſuperiorem Rabſaces poſuiſſe caſtra memoratur: & Ioan. 5. & 9. capitibus mentio fit quarundam piſcinarum. Sed & Strabo lib. 16. qoo loco Moſis acta & inſtituta prædicat, illud ipſum, io quo vrbs Hieroſolymitana coodita fuit, ſolum ſcribit, moltis petris refertum aquiſque irriguum fuiſſe: cum finitima circumquaq; regio omnia ſterilis fuerit ac ſicca. Præterea Tacitus lib. 21. ſcribit multas Hieroſolymis piſcinas ciſternaſque fuiſſe, ſactas ſcilicet imbribus excipiendis. Quintò per torrentem dicit ſe aſcendiſſe: non tamen expreſſo nomine torreotis: ſortaſsis enim eum, qui io Euangelijs qooq; celebris eſt, & Cedron dicitur, κατ' ἐξοχὴν, id eſt, per excelleotiam, appellatiuo tantum nomine appellat. Poſtremo dicit ſe per portam vallis redijſſe. Ex quo colligunt Interpretes ipſum ea nocte totam vrbem circumiſſe, oec qoicquam qood non diligenter inſpiceret ac conſideraret, præterijſſe. Quæ res duo nobis vtilia documenta affert. Vnum quæ publicè proponi debeot, ea prius penitus inſpiciamus, quàm propo-

namos: vt ne quid nobis ad eorum siue expositionem, siue commendationem, siue defensionē desit. Alterum, vt opportunis ad res gerendas temporum momentis datis strenuè & constanter vtamur: minimeq. in aliud tempus id reijciamus, quod statim possumus expedire: quando nescimus quid posterior dies ferat. Eodemq; modo Nehemias omnia vrbis loca prius lustrauit, quam suscipiendam eorum instaurationem admoneret: nec earum quæ fieri nocte ea poterant, rerum quicquam in sequentem noctem distulit: verum ab inchoata inspectione prius non desistit, quàm eam totam perfecisset. Quales autem quasque res inuenerit, itidem docet enomeratione: primum murum destructum, dein portas ignibus consumptas, omnia denique adeo plena ruderum, vt iumento, quo vehebatur Nehemias, vix qua transiret, via pateret. Hæc eis euentura prophetæ prædixerant: illi quasi fieri non possent, credere recusarunt. Muri ipsis deiecti fuerant, vt intelligerent indignos se esse vrbis ornamentis & dignitate, quando ciuilis iustitiæ & disciplinæ frena abiecissent. Eisdem de causis etiam portæ eis conflagrarunt: typo non vulgari, quemadmodum Beda monuit: tunc ignibus absumi portas, quando ecclesiæ doctores & pastores, qui vitæ pariter & doctrinæ púritate, quasi portæ quædam homines ad Deum in æternæ vitæ possessionem inducere debebant, vel rerum ab officio suo alienarum cura occupati, vel illecebris voluptatum delibuti, vel tetris flagitijs inquinati, suo officio desunt. Erat deinceps ea vastitas, quam acerui ruderum viam Nehemiæ equo obstruentes representant, oraculis prophetarum prænunciata, & deinceps ob contempta pia monita, iusto iudicio Dei illis inuecta. Atque harum quidem rerum inspectio, quid potissimum, ac quo modo quidq; reparari posset, Nehemiam admonebat.

16 Magistratus autem nesciebant quò abijssem, & quid ego facerē:
sed & Iudeis & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus, & reliquis
qui faciebant opus vsq; ad id loci nihil indicaueram.
17 Et dixi eis vos nostis afflictionem in qua sumus, quia Hierusalē
deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite & ædificemus mu-
ros Hierusalem & non simus vltra opprobrium.
18 Et indicaui eis manum Dei mei, quod esset bona mecum, & ver-
ba regis quæ locutus esset mihi, & aio surgamus & ædificemus, & confor
tatæ sunt manus eorum in bono.

Tribus versibus istis, vt instaurationis patriæ consilium populo Iudæo tandem proposuerit, eosque ad societatem operis secum ineundam solicitarit, breuiter ostendit. Ac quæ tria in caussis grauibus publicè proponendis spectari ferè solent, ea Nehemias indicat in hoc consilio suo proponendo abs se quoque esse obseruata, temporis opportunitatem videlicet, proponendæ rei viam ac rationem rectam, euentum bonum. Et temporis opportunitatem diligenter abs se spectatam eo ipso declarat, quod admodum occultè se negotium hoc egisse, & coram omnibus minimis & maximis tantisper dissimulasse, dum prorsus exploratè cognitum haberet, ac qua quidque parte & & desideraretur, & commodè suppleretur, posset indicare. Exaggerat autem suam taciturnitatem enumeratione singulorum ordinum, quorum nulli indicium eius rei fecisset. Primo loco magistratus nominat, quos סגנים, seganim vocat. Est autem id nomen peregrinum atque à Chaldæis ad Hebræos transsumptum: ac significat eos qui potentes sunt, & nonnullum in alios imperium habent. LXX. Interpretes eos φύλακας, hoc est custodes vertunt: forsan quod iuris ac disciplinæ publicæ custodes esse debent, qui magistratuum officio funguntur. His Iudæos subiungit, eorumque nomine videtur omnes cuiuscunque ordinis ac sortis homines, qui quidem Iudæi essent, indicare. Illis subdit sacerdotes, quorū non vulgaris dignitas fuit. Quarto ordine חורים chorim, nominat: quos vulgatæ versionis author optimates, Munsterus nobiles, alij principes, LXX. ἐντίμους, id est, eos qui in honore sunt & precio, aliter alij nominant. Hebræum nomen Rabi Ionah censet à חור, id est, à colore candido deriuatum, quasi candidatos, qui Ismaelitica lingua לבן id est, albi seu candidi dicuntur, significare. Ex quo perspicuum fit homines nobiles & patricios dici, quibus genus aut nobilitas aditum ad honores prebet, & per eorundem gradus ad imperium extollit. Dein primo loco positum nomen סגנים repetit, idque vulgatæ versionis author eo loco vertit optimates. Num vno eodemq; nomine duos diuersos ordines dicat, an aliqua certa de caussa, & quanam illa, bis eundem ordinem nominet, non facile dixerim. Rabi Solomon in suis ad Nehemiam commentarijs, ad הסגנים id est, seniorum nomen, annotat, eos ex seniorum siue magistratuum numero dici, qui in vrbe non fuerint, & consilium illius ignorarint. Postremo loco facientes opus nominat, qui nimirum operis inchoandi maxima pars futuri fuerant. His consilium hoc aperiendum fuit: vt qui id ope sua prouehere & adiuuare possent. Magistratus enim interposita au-

sita authoritate & potestate sua: optimates collatis auxilijs, & exemplo suo ciuibus reliquis post se tractis: opifices partim operis forma constituta, & ad id commonstrata ac parata materia, partim admota ad id perficiendum manu: sacerdotes cohortationibus ac monitis suis omnes ordines ad officium patriæ debitum præstandum excitando. Studuit autem Nehemias hoc negotium tantisper dissimulare & tegere, dum tempus ferret, vt de eo ad populum referret: tunc autem tempus, vt id faceret, tulit, cum omnia secum bene reputasset, & ad singulas eius partes apta ac conuenientia consilia inuenisset, & res tota quasi prægustata ac præmansa alijs quasi in os præberi posset. Id, que tam sua ipsius, quàm proponendæ rei causa. Ipsi conueniebat, vt re bene cognita secumq; deliberata, tantam eius obtinendæ facultatem consecutus esset, vt posset aduersarias rationes explodere & confutare, sibi necessarias ac conuenientes assumere & proferre & amplificare. Nisi enim potuisset quæ qualisque res esset exponere: qua ratione quæque perfici possent, demonstrare, vt huic efficiendæ suas operas quique nauarent, persuadere: omnibus ciuibus se deridendum propinasset. Res ipsa postulabat, vt aliqui ad inspectionem & deliberationem rerum eligerentur: qui ipsi, quomodo erga rem propositam affecti essent, incertum erat: alij deliberandum amplius censuissent: alij maius suis viribus opus attentari clamitassent: alij potentiam & astutiam hostium, qui repugnaturi viderentur, obiecissent: hostes cognitis his eorum conatibus ac consilijs e uestigio parassent & obiecissent impedimenta. Qua de causa necessarium omnino fuit, vt prius nō proponeretur, quàm iactis idoneis ac bonis initijs, quasi dimidia sui parte iam confecta socijs proponi posset, eoq; desperatio pariter ac recusatio omnis auerteretur. Quo pacto factum est, vt illud esset opportunum ad proponendam causam illam tempus. Quem autem in ea re proponenda sit secutus modum, eius ipsius, quam habuit ad Iudæos orationis exemplo propositum perspicuum facit. Et hęc sunt eius verba: Vos nostis afflictionem, in qua sumus, quia Hierusalem deserta est, &c. Breuis quidem est & plane Laconica, sed accurate tamen elaborata, atq; ad faciendam fidem pulchrè facta oratio. Pertinet enim ad id genus causarū, quod deliberationis appellatur: quando hac ipsa Iudæis vt in huius operis societatem veniant, conatur persuadere. Tribus vero partibus omnis constat: narratione videlicet, propositione, confirmatione: exordium pariter ac conclusionem prętermittit: idque non exiguis de causis. Cum enim causa, quæ per se videbatur optimo cuique maximè plausibilis, nec insinuatione, nec principio, nec vllis artis subsidijs indigeret: præsertim apud eos, qui in patriam esse & videri pij vellent: exordium rectius ac melius prætermittit. Ac rursus cum adductæ rationes sanis & sapientibus satis essent ad permouendos animos efficaces, & triste spectaculum dulcissimæ patriæ ruderum ob oculos omnium quotidie versaretur: nec enumeratione recitatarum rationum memoria refricanda, nec amplificatione & rebus pariter ac verbis ad motum comperatis affectus concitandi viderentur: perinde rectè conclusionem prætermisit. Quo exemplo discimus cauendum, ne vel nos ipsos, vel susceptas à nobis causas arte & industria nimia in aliquam fraudis aut ad quæstum, aut ad errorem, cogitatæ suspicionem adducamus. Neq; enim quisquam est adeo vafer ac malitiosus, quin licet ipsi solenne sit alijs imponere, tamen sibi fucum fieri nolit. Multò acrius omnem fraudem & fallaciam explodent hi nimirum, qui sinceris sunt & alienis à vafritie & fallacia animis. Quocirca sic sunt omnes homines mali pariter ac boni comparati, vt eruditum artificio simulationis & fucatum nihil omnino sibi proponi velint: ac si quid eius generis afferri sibi senserint, e uestigio resiliant, & assensum ab ea re cohibeant suum, ad quàm aliàs nonnulla ex parte propendebant. Quæ cum ita sint, vt sunt certissimè: quicunq; rectè studentid quod molinntur obtinere: hi non solum simpliciter & candidè & sincerè causas agunt pariter ac proponunt omnes, verum etiam omnem fraudis & fallaciæ suspicionem declinant ac depellunt. At quoniam fraudis suspicionem afferre ferè solent illi, qui causas honestas ac bonas perinde laboriosè & solicitè, & præsertim arte factis exordijs agunt, ac si turpes essent & malæ. Nehemias, vt ostenderet se bonitate causæ suæ sola niti, prudenter & piè exordium simul ac conclusionem prętermisit. Igitur omisso principio, causam ipsam initiō statim proponit hoc modō: Vos nostis afflictionem, in qua sumus, &c. Id est, Quàm deperdito ac misero in statu simus, vel ex eo vobis esse notum potest, quod maximo cum dedecore & detrimento nostro, nostra nobis patria, quæ totius Orientis decus & miraculum olim fuit, nunc redacta sit in tantam vastitatem & solitudinem: nosque, & si illam colere & habitare nobis tam liceat quàm libet, ferarum nedum hominum improborum impressionibus obijceremus, portis scilicet exustis, & vrbe prorsus aperta. Atque hac quidem narratione quasi quadam hypotyposi tristissimam ac miserrimam rerum Iudaicarum faciem ob oculos eis ponit: nempe vt moueret animos ad succurrendum. Eiusmodi enim hæc res est, vt vel hostes mouere queat ad commiserationem: sicut Scipionem Africanum Carthaginis, & Lacedemonias vrbis Aticæ destructio permouerunt. Quò minus mirandum est Hieremiæ, Christo, apostolis Hierosolymarum vrbis ruinam lachrymas extorsisse. Et illos si res hæc mouere nequi-

uisset, indignos, qui in huius operis societaté susciperentur, & hostibus ipsis deteriores iudicasset. Propositione deinde quid facto opus esse existimet, breuiter exponit, dicens: Venite ædificemus muros Hierusalem. Videtur autem peculiaris vis senteotiæ, quam γνώμην Græci vocant, esse in huius orationis forma recondita, quæ deliberationem & moram omnem excludit. Sic enim instituit orationis formam, ac si diceret: Non opus est pluribus verbis vos, vel quo in loco sint res nostræ edoceri, vel vt operam vestram afflictæ patriæ præstetis, rogari: quin potius adeste, & ad opus ipsum actutum accingimini. Sed & talis hæc fuit causa, vt eum, qui ad hanc tuendam auxiliū implorarent, deserere ciuis sine scelere non posset. Nam post Deum & parentes plurimum omnium patriæ debemus. Sed ipse confirmatione duo ad faciendam fidem argumenta affert: vnum ab honesto, alterum à facili. Honestum erat futurum, vt vrbem magno cum dedecore suo destructam, è ruderibus suscitatam instaurarent, hocque ipso auerterent abs se maledicta ac probra, quibus ob destructam vastatamq; patriam vexabantur. Ideo dicit, ne simus amplius opprobrium: hoc est, instaurata patria fiet, vt non modo nullum nobis amplius probrum objiciatur, verum potius laus auita restituatur. Sic enim sunt iudicia mortalium comparata, vt crescentibus opibus, & aura secundæ fortunæ suauiter afflante, simul authoritas & existimatio crescant: ac rursus eum diminutione facultatum dignitas & authoritas nominis minuatur. Idq; accidit & priuatis hominibus, & populis potentibus ac gloriosis: vt Troianis, Atheniensibus, Thebanis, Carthaginiensibus: quibus victis & redactis ad inopiam nihil nisi tristis amissæ dignitatis recordatio relinquitur: item vt illas querelas fundant, fortes quondam Milesij, fuimus Troes. Id igitur Nehemias agit, vt & illud quo modo vexabantur, probrum auerteretur, & auitam gloriam laudemque recuperarent. Ac quoniã, vt præclarè dixit Cicero, laudis studio optimus quisq; maximè ducitur: hac ratione etiam ille poterat optimum quenq; maximè excitare. Nam si constet hoc melius ac præstantius quidque esse, quò plures habeant ac maiores laudes: quoniam in eo, ad quod Nehemias ipsos hortabatur, suscitandæ & instaurandæ patriæ conatu multa ac varia laus erat: qui non essent omni virtute vacui, non poterant non id quod petebatur, optimum iudicare, & aliqua saltem causa ad obsequendum excitari. Etenim patriam esse in dedecore & probro, & eius turpitudinis labe fœdari ipsos etiam ciues, qui intelligebant sapientiæ laudem merebantur. Quin huius depellendę causa laborum omne genus in se suscipere, & adire, pericula volebant: hi cum pietatis erga patriam, tum fortitudinis præconio ornabantur. Qui rebus ad eluendam patriæ labem necessarijs non minus vsurpandis quàm excogitandis operam dabant, hi prudentiæ & industriæ laudem acquirebant. Inerat igitur in hac ratione, qua proponitur honestas loco finis, & petitur ignominiæ depulsio, multiplex & varium incitamentum. A facili verò bifariam argumentatur: primum eo, quod dicit: Indicaui eis manum Dei mei, quod esset bona mecũ: dein eo quod addit: & verba regis quæ locutus est mihi. Priore enim ratione diuinam, posteriore vero humanam opem pollicetur. At inertis fit & prorsus ignauæ naturæ, id vel nolle suscipere, vel non posse perficere, ad quod efficiendum diuina pariter ac humana exempla suppeditantur. Hac prærogatiua quæ facilia factu non fiunt: ea vix vnquam eò redigi possunt, vt facilè perficiantur. Est sanè confitendum, quod Aristoteles in Rhetoricis ad Theodectem, & eundem secutus in libris de Inuentione Cicero, tradunt, facilia videri, quę sine labore & molestia, & quam breuissimo tempore perficiuntur: quia sumptus & labores diuturni & magni, sunt euidentia argumenta difficultatis. Illis autem Nehemias difficultatem operis huius, vt erat ante oculos omnium posita, nec occultat, nec dissimulat, nec extenuat, sed remittit, vt velint, æstimandam: ac potius rem proponit ita, vt erat præstans, illis vtilis & necessaria, inimicis obfutura, digna maiorum gloria, conueniens ipsorum existimationi, pijs, fortibus, bonis, viris citra controuersiam suscipienda, habens à Deo pariter ac rege sufficientia auxilia, quibus difficultatem omnem superaret. Ac si quis excepisset, vel his pollicitis nulla dum auxilia præberi, sed solummodo animos suspendi quadam obscura ac cæca expectatione: vel si iactet maximè iam impetrata auxilia, tamen incertum esse, num eis hæc ad perfectionem operis vsque sint affutura, mox ex ipsis Nehemiæ verbis, quibus iam ad opus illud accepta Dei simul ac regis beneficia atq; auxilia prædicat, colligi responsum poterat: vtriusq; videlicet voluntatem his datis plenius ac melius approbatam esse, quàm vt posset de ea dubitari. Et sane solet Deus pro sua perpetua veritate & inconstantia, nec ab inchoatis operibus suis, priusquam eis fastigium imposuerit, discedere, nec quos aut in fidem tutelamque suam semel susceperit, aut ad opus aliquod efficiendum accersiuerit atq; accinxerit, deserere. Quamobrem cum Deus his rei illius adeo lætis ac faustis initijs testetur, se conatibus illis aspiraturum, & rex non solum promissis verumetiam magna sui parte præstitis auxilijs amplissimis suam quoque beneuolentiam eis comprobarit: non dubium esse debere Nehemias hic ostendit, quin illud opus, modo manum ipsi quoque admoueant facilè perficiatur. His propositis argumentis finem dicendi facit, ratus si his nondum sint excitati, nihil aliud restare, quo moueantur.

mouerentur. Sed quoniam hæ rationes, vt euentus indicat, ad permouendos animos eorum fuere satis efficaces: vtile est principibus viris, & ijs omnino omnibus qui magnis & vtilibus de rebus orationes ad populum habent, inde ex his eas sibi quoque decerpere causas, quibus homines excitari possunt ad honestas præclarasque actiones, inprimisque ad officia Deo, patriæ, amicis debitæ pietatis. In quibus hæc est prima, vt in tristem ac lamentabilem afflictorum hominum statum oculos figant, secumque reputent magnitudinem ærumnarum. Eius enim aspectu procliue est ipsos, siquidem ab hominum natura non degenerarint, ad commiserationem flecti: quando vt ira ceu coticula animi magnas ad res audendum acuuntur: sic ijdem etiam ad misericordiam aspectu calamitatum percelluntur ac permouentur. Altera, vt ne qua interposita mora, vel ad excogitanda impedimenta aduersarijs, vel ad concipiendum metum socijs, spacij quidquam præbeatur, summa ope sibi cauendum ducant: sed dum res ipsa à solis adhuc socijs scitur, & eorundem animi studio maximè feruent, rectà ad opus ipsum accedant. Tertia, vt vel suæ ipsorum dignitatis ac salutis, cuius in omnium ac præsertim patriæ communis incolumitate atque gloria cardo vertitur, rationem spectent. Ciuium enim res agitur, cum patriæ parietes arserint. Quarta, quæcunque in promptu fuerint vel ab hominibus, vel à rebus ipsis, vel à natura, vel à Deo obiecta aut saltem expectata adiumenta rerum gerendarum: ea diligenter commonstrentur, quasique in manus tradantur, ijsque apprehensis homines vti queant. Atque his rationibus vsus Nehemias, quod postulabat, obtinuit: eademque formula si qui sint, qui simile quiddam consequi cupiant, etiam sibi ipsis vtendum arbitrentur. Euentum autem huiusce rei id declarat, quod dicit: Et aio, surgamus & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. Quibus verbis exprimi spei illius plane respondentem euentum nemo non videt. Quæ enim duæ res in negotijs maximis conficiendis plurimum valent, eas sibi nunc ambas affuisse declarat: videlicet propensas ad rem gerendam suorum hominum voluntates, & facultates his efficiendis pares. In significanda voluntate verba alia atque ab Hebraica veritate discrepantia habet versio Latina. Cum enim Latinè legatur: & aio, surgamus, & ædificemus: Hebraica veritas habet: & dixerunt, surgamus & ędificemus. Quod argumento est, non Nehemiam illos ad opus iamiam aggrediendum verbis illis cohortatum esse: verum illos ipsos suismet ei verbis suas voluntates attestatos esse: vt qui sic oratione & verbis eius essent permoti, vt eius postulatis iam annuere sese tam liberaliter indicarent. Vires autem ac facultates eis tantas fuisse, quantas hæc res requirebat: eo quod ipsorum manus diuinitus corroboratas dicit, satis luculenter ostendit. Quantum enim ad res necessarias conficiendas virium requiritur, tantum ad eas is, qui vocat & mandat Deus, impertit. Estque diuinitus hoc petendum inprimis, vt quoniam arduis in negotijs, & voluisse laudem, & potuisse, coniuncta cum laude præmia parit: ipse primum in nobis creet præclaras voluntates: tum ad id quod volumus efficiendum suppeditet vires ac facultates. Cumq; res illas ambas eis Deus dederit: videre est, ope & gratia Dei fieri, vt præclaris virorum principum conatibus & piæ prædicationi verbi diuini fausti semper euentus obtingant. Quam tamen ad rem cum opportunitas temporis, tum recta negotij proponendi ratio, quas res ambas abs se seruatas Nehemias indicauit, multum conducunt.

19 Audierunt autem Sanaballat Horonites & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs: & subsannauerunt nos & despexerunt, dixeruntque, quæ est hæc res quam facitis? nunquid contra regem vos rebellatis?

20 Et reddidi eis sermonem dixique ad eos: Deus cœli ipse nos iuuat: & nos serui eius sumus: surgamus & ædificemus: vobis autem non est pars & iustitia & memoria in Hierusalem.

Quemadmodum omnia opera præclara cum Zoilos ac Momos, tum acres aduersarios semper habuere: sic instaurationis Hierosolymitanæ pulcherrimum opus illud non solum repręhensores graues, verum etiam diros ac pertinaces hostes habuisse, huius memoratur. Aduersus eos pulcherrimum illud opus ipsi quoq; Nehemię defendendum fuit. Igitur ex his rebus, quas ab eo tempore, quo iter est ingressus, vsque ad operis huius susceptionem sustinuit ac gessit, Nehemias, extremo loco prudens hæc & constans operis suscepti defensio, proponitur. Cumq; expediat, & amicos & hostes ecclesiæ nosse: qualem ecclesiæ se Nehemias amicum præbuerit, quales item fuerint eius hostes, docet hoc loco. Ac quales quidem fuerint hostes, partim editis proprijs nominibus eorũ, partim proposito eo, quem in oppugnando & impediendo opere tenuerunt, modo, perspicuũ facit. Etenim tres primarios hostes nominat: duos, quorum antea meminerat: tertium illis deinceps Arabem quendam addit. Verisimile est fuisse præfectos vicinarum prouinciarum; aut aliàs cum

aliquo imperio. Hi fuerint ijs annnmerandi, qui suis opibus & honoribus ad impediendam & obruendam ecclesiam abutuntur. Eum autẽ in oppugnando obseruaruot modum, vt derisione primum, & contemptione sanèquàm mordaci Iudæos ipsos conareotur in fastidium operis inducere: dein adhibita calumnia premere eos, & iniusta ac fraudulenta facti ioterpretatione in odium regis atque procerum retrahere satagereot. Derisionem verbo לעג representat: quod significat aliquem externo còrporis gestu deridere. Quare LXX. Interpretes hic quidem Hebræum verbũ, κατεγέλασαν, id est, deridendi verbo: at in Ezechiæ regis historia, verbo μυκτηρίζειν, quod quasi oasu suspendere, aut aliquo motu narium deridere significat, expresserunt. Contemptionem vero בזה verbo notat: quod significat aliquam in rem ceu se longè inferiorem, velut è sublimi despicere, quasiq; nullam putare. Interpretes LXX. hic quidem καταφρονεῖν, id est, despiciendi, in Ezechia vero vita ἐξουθενοῦν, id est, pro nihilo ducendi, verbis exponunt. Quæ verba satis superbam, insolentẽ, malignam represeotant contemptionem. Calumniam autem ad premendos ac vexandos illos excogitatam eotum ipsorum verbis patefacit: Quæ est (inquiunt) hæc res, quam facitis? ouuquid contra regem vos rebellatis? Rerum nouarum & viulatæ obedientiæ atque fidei crimeo obijciunt. Quæ calumnia grauis est, & ad conciliandum odium efficax: quando vt magistratibus obediatur, sic interest umnium hominum, vt qui se magistratibus opponunt, pto publicæ tranquillitatis hostibus ac perduellibus habeantur. Verum hæ duæ machinæ iam iode ab orbe condito vsque ad nostra tempora sempet admotæ sunt ad impediendam ecclesiæ restaorationem. Ac multos presertim his vltimis temporibus futuros derisores, & Dauid in psalmis, & apostoli præcipui prædixere. Fuerunt etiam hoc nomine iam olim infames Lucianus, Porphyrius, Iuliaous. Sed & Christus ab Herode primom, cum io eius aulam deductus esset, deinceps à Pilato, cum is eum iniusta flagellatione deformatum io conspectum Iudæorum produceret, &, vt D. Augustinus li. 3. de Doctrina Christiana cap. 29 bene exponit, per ironiam diceret, ecce regem vestrum: &, an ne regem vestrum crucifigam? demom & in cruce pendens, ab Iudæis, ipse est derisus. Est autem hæc ætas nostra talium religionis ac pietatis omnis irrisorum adeo ferax, vt nusquam nulli sint, qui Christi dicta atqoe facta, itemque totum ordinem eius ministrorum contemnunt. Ac quemadmudum Helias olim & Daniel, & Christus & apostoli defectionis, rebellionis, læsæ maiestatis, turbatæ publicæ pacis accusati sunt: sic eiusdem generis calumniæ passim hodieq; iactantur. Quemadmodum autem expedit eas nobis cognitas esse rationes, qoas seruare in oppugnanda ecclesia aduersatij solent: sic longe est vtilissimum maximeq; necessarium, eas etiam oosse, quas in propugnanda veritate & ecclesia viri sancti semper obseruarunt: nimirum vt hostes cauere, amicos imitari melius ac facilius queamus. Qua de causa Nehemias exemplar defensionis suæ promit. Et reddidi (inquit) eis sermonem, dixique ad eos, &c. Quæ verba cum personam defendentis, tum ipsius defensionis formam representant. Etenim suo ipsius nomine posito, declarat se, qui principem in Iudæo populo teneat locum, operis publici defensionem suscepisse: præclaro sane exemplo proposito magistratibus, in quo sibi quoque videant pro religiooe & ecclesia, & salute publica pugoandum. Sunt enim quasi quidam pastores in hoc præfecti gregibus populi Dei, vt ab eorum septis arceant lupos: in hoc geruot nomen Deorum, vt quicquid est diuinum tueantur: in hoc gladium diuinitus traditum tenent, vt iniurias propulsent. Extant autem idem admonentia, Mosis, Iosuæ, Iudicum, Dauidis, Ezechiæ, Constantini, complurium aliorum exempla. Defensionis autẽ huius formam partim eo quod responsum eis abs se redditũ dicit, partim exemplo responsi redditi proposito monstrat. Ac quod eorum calumnijs responsum opposuit; id documento fuerit, hominibus pijs nequaquam committendum, vt vel existimationem & dignitatem verbi diuini, vel piorum eius asseclarum innocentiam, vel ecclesiæ famam fictis rumoribus & comminationibus grauibus offendi, in graues ac ooxias suspiciones trahi patiantur: silentio videlicet & ignaua dissimulatione: verũ hoc genus calumnijs pias ac graues defensiones opponant. Idq; Helias olim aduersus Achabum, Dauid contra Saulis adulatores, Christus & apostoli contra Iudæos, Tertullianus, Irenæus, Iustinus, Athanasius contra ambos factitarunt. Extant etiam eiusmodi defensiooum exempla in psalmis Dauidis, in responsis Christi, in multis veterum theologorum editis libris. Cuiusmodi est, quod Athanasios edito scripto fugam suam excusauit: Gregorius Nazianzenus ac Chrysostomus affectatæ sedis Constantinopolitanæ crimen pro concionibus publicis abs se depulerunt. Eodemque modo Nehemias horum hominum calumnijs hanc opposuit defensionem. Exemplum autem eius, vt in simili casu nos iuuaret, apponit: Deus cœli (inquit) ipse nos iuuat, &c. Id est, oos ædificationem illam nec temere, nec nostra sponte suscepimus: sed ad eam nos vocauit Deus, & animos nostros spiritus eius sanctus inclinauit. Significat autem afflatu, instincto, impulsu Dei ipsos ad opus hoc animos appulisse: Deum in ipsis motus ac conatus hosce suscitasse, eosque etiamnum prouehere, regere, gubernare.

Nam

Nam Hebræū verbum צלח significat aliquā perrumpere, vim ingentem exerere, magnū quiddam peragere. Ac quanquā illud verbum sit μέσον, vt quod in bonā ac malam partem æquè vsurpetur: solet tamen ferè spiritus sancti actionibus tribui. Vt videre est in historijs Iudicum, Samsonis, Saulis, aliorū, qui vi diuini spiritus excitati maiores naturæ suæ viribus res gesserunt. Quemadmodum igitur Ouidius, vt ostendat poeticos motus diuinitus cieri, dicit: Est Deus in nobis: agitante calescimus illo: Sedibus æthereis spiritus ille venit: sic Nehemias, vt ostendat, ædificationis huius consilium non humanū sed diuinum esse, dicit Deum has res in illis agere: illorū naturę vires infirmiores, seque imbecillitatis suæ magis conscios esse, quàm vt tantas tamque difficiles res citra numinis impulsum aggrederentur. Hæc responsi pars docet in ijs, quę pro veritate varbi Dei proque ecclesia suscipiuntur, defensionibus, primum locū professioni diuinæ vocationis & conscientiæ deberi, nempe vt nos nihil aliod agere, quàm quod in mandatis nobis sit diuinitus datū, profiteamur. Quod apostoli quoque tunc fecerunt, cū dicerent, se non posse quod viderant & audiuerant non loqui: & Deo ne potius an hominibus sit obediendum sibi non obscurū videri. Eodemque modo Christus à patre se missum passim attestatur. Habet autem hæc diuinæ vocationis professio adiunctam fidei confessionem, in eo videlicet elucentem, quod dicit Deum cæli, id est, verum Deum, rerum omnium conditorem. Quæ perinde poterat hostibus terrorem incutere, ac seruis Dei consolationē afferre. Qua de causa nunquā est omittenda. Dein dicit: Et nos serui eius sumus: hoc est, non nostræ vel vtilitati, vel gloriæ prouehendæ studemus: sed ipsius Dei gloriā & salutem publicam promouere conamur. Et hæc pars apologiæ docet, adeo pijs omnibus à priuati commodi studio cauendū & abstinendum esse, vt in suis defensionibus verè testari possint, se non quæ sua sunt, verum Dei gloriam & salutem hominū quæsisse. Tertio surgamus (ait) & ædificemus: quasi repulsis aduersarijs oratione per apostropham conuersa ad socios, diceret: vos autem illorum insultationē nil morati nihilominus operi instare. Quo monet, ijs qui semel ædificationis ecclesiasticæ munus susceperint, omnino cauendum, ne qua malorum hominum vel irrisione, vel criminatione, vel comminatione, vel oppugnatione violenta, ab inchoato opere depelli & auelli sese patiantur, verum his contemptis strenuè pergant. Postremo rursus oratione conuersa ad hostes, dicit: Vobis autem nec pars, nec &c. Significat autē hac particula, hostes illos eodem insidiarum genere contra Iudæos vsos esse, quo paucis ante annis eorum maiores aduersus Esdram fuerant vsi: nimirū vt ad prouehendam vrbis instaurationem sua quoque studia atque auxilia eis offerrent: nempe vt suscepti in societatem operis atque in consiliorū ac conatuum omniū communicationem, tantò facilius possent opus ipsum impedire. Cui dolo, quoniā admodū erat malus ac nocens, responsum sane quàm rotundum iam opponit: quo omnem, quæ cum illis etiam extra religionis veræ professionem, iniri poterat, amicitiā repudiat & explodit. Estque mirū & obseruandum, vt omnes societatis gradus, summū, medium, imum exprimat: nec vllo horum illos admittat. Primum חלק portiooem hæreditatis dicit, alludens ad promissæ terræ portiones, quæ in singulas gentis huius tribus fuerant distributæ. Ad hanc non vult eas admitti, ne fratrum loco haberentur. Qui summus est & proximus in familia gradus. Nec vllus est amoris aut coniunctionis nexus arctior. Vnde & Grāmatici censent, à ferè, quod parum abesse significat, fratrem, quasi ferè alterum dici. Eademque de causa Iureconsulti iustas manumissionis causas ijs esse, qui fratres sororesque manumittunt: quod seruitus eorum ad dolorem nostrum iniuriamque nostram porrigatur: vt inquit Caius l. ij. ff. de liber. causa. Commendantur in fabulis Castor & Pollux quod sint, vt Homeri verbo vtar, ἑτερήμεροι, id est, alterna morte vitā sibi inuicem rediment. Inprimis autem celebris est fraternus amor in ecclesia, propter cōmunem patrem cœlestem, & hæreditatem, & viam vnam eandemq; omnibos ad hanc apertā. In tam arctam cū impijs & à religione vera alienis hominibus societatem coire pij Dei serui non possunt, ideoque Nehemias illos non admittit. Secundo loco צדקה, id est, iustitiā dicit: nimirū ius ciuitatis intelligēs. Qui gradus à priore, si fratrū nomine etiā agnatos ac propinquos omnes intelligas, est proximus: quando qui regionē eandem incolunt, eademque sint natione oriundi se mutuū nomine fratrum alicubi appellant: & vnum omnes habent propositū sibi finem, videlicet communē suæ gentis salutem, dignitatem, gloriā, fœlicitatē. Iam quoniā inter Samaritanos & Iudęos tantæ essent inimicitiæ: vt nec Iudæi Samaritanorum opes & honores augere sine sui Incommodi metu possent: nec Samaritani Iudæorū commodis fauerent, prudenter Nehemias existimat suspectam & periculosam omnē, quæ cū illis inire-tur, societatem. Tertio loco memoriā quoque excludit: quasi diceret, ne nomen quidem vestrum in nostrorū ciomm album inscribi volumus: vt ne transmittatur hoc modo ad memoriā posteritatis. Quemadmodū ergo Romani quondā nec ius Latij primū, in quo præter militiæ dignitatem, nihil excellens fuit: nec ius Latij secondū, quod honorū vrbanorum omniū perinde vt ciues eum qui admitteretur, participem faciebat: ijs concedebant, quos nec de repub. benemeritos iudicabāt,

nec bene erga ciuitatẽ affectis animis explorarant: sic Nehemias eos omni iure & aditu, & genere amicitiæ dedignatur, quos & auitum in rempub. odium fouere, & illorũ commodis ac saluti insidiari non nesciebat. Hæc res Christianis hominibus etiam ipsis est documento: & si sit speciosum nomen pacis & concordiæ, nullam tamen omnino concordiã cum ijs ineundam, qui vel aperti sunt hostes ecclesiæ Dei, vel amicitiæ simulatione grauissimas ac nocentissimas inimicitias gerunt. Quod ipsum D. Paulus quoque 2. Corint. 6. monet, dicens: Ne ducatis iugum cum incredulis: additis non exiguis causis, ac videlicet ijs: quid iustitiæ cum iniustitia? quid luci cum tenebris? quid Christo cum Belial? Quibus causis erit etiã hæc addenda, quod qui volunt coire in verã atque integram amicitiã, eos oportet eisdem legibus regi, & eundem habere propositũ finem: cumque ecclesiæ Dei leges dissimiles sint, imò pugnent cum impiorũ legibus, & vtrarũque partium sint diuersi fines: nulla concordiæ solidæ ratio vel cogitari potest. Cum etiã ecclesia duobus sit compacta nexibus: vno, qui Christus est, caput videlicet nostrũ, à quo nobis spiritus ac vis vitalis omnis instillatur: altero, qui sit amor, quo se membra singula mutuũ amplectuntur: neutrum horum ad ineundam cũ impijs amicitiã valet. Cogitandum est etiã, quod quæ maximã coniunctionis & societatis vim habent: vt quod vnus est Deus, vnus Christus, vnũ baptisma, vna fides, vna hæreditas: ea planè ab impijs repudiantur & exploduntur. Recte ergo horũ societatem Nehemias etiam ipsam explodit. Atque hæc quidem omnia sunt earum rerum, quæ diuinum illud instaurationis opus antecesserunt.

LIBRI PRIMI IN NEHEMIAM COMMENTARIORUM IOANNIS VVOLPHII FINIS.

IOAN-

IOANNIS VVOLPHII TIGVRINI IN NEHEMIAM COMMENTARIORVM LIBER II.

EXPLICATA prima parte libri Nehemiæ, qua res ad authorem & apparatú instaurationis vrbanæ pertinentes referuntur: iam secunda pars libri sequitur, qua totum hoc ædificationis opus periude conciono rerum & temporum ordine descriptum proponitur. Quemadmodō enim capitibos duobus primis, vt Nehemias cognito illo misero ac deplorato rerum Iudaicarū statu, confestim ad afferendam eis opem suam animum appulerit, & auxilijs à Deo pariter ac rege impetratis, Hierosolymas profectus, Iudæus ad opus hoc suscipiendum adduxerit, idque aduersus insultautes Samaritanos defenderit, indicatur: sic 3.4.5.6. capitibus proximis, quemadmodum opus illud inchoatum, per impedimenta ac pericula varia prouectum, & tandem omnibus suis numeris atque partibus perfectū sit & absolutum, recitatur. Est autem hæc ædificationis huius descriptio tribus partibus omnis distributa: quarum prima, quæ cap. 3. continetur, quo modo hoc opus inchoatum, & operæ sint in familias certas quæque distributæ: secunda vero, quæ cap. 4. & 5. & aliquanta capitis sexti parte cōprehenditur, quibus quamq; multis ac varijs modis idem opus sit ab hostibus populi Dei petitū & oppugnatum: tertia, eaque sexti capitis extremo membro comprehensa, quàm fœliciter tandem egregium illud opus sit perfectum, memoratur. Antequā autem ad verborum ac sententiarum descriptionis huius expositionem singularē veniamus: primū causas & vtilitates harum descriptiouum paulò altius repetendas, dein vrbis huius descriptionem quandam generalem proponendam arbitramur. Quemadmodum enim expositis harum descriptionū vtilitatibus ac causis, ad industriam ac gnauam rerum omnium considerationem auditores excitantur: sic ob oculos posita quadā vrbis huius imagine, multò facilius erit ad authoris verborum intelligentiam penetrare.

Intelligendum est igitur ijs, qui inuestigare & scire volunt harum descriptionū causas & vti-
litates, esse quosdam & in his nonnullos etiam literatos & eruditos viros, qui minus operæ pouen
dum censcant in hoc genus deseriptiouibus: idque certis de causis. Quas ne præclaram & vtilem
consideratiouem impediant: operæprecium est scire & examiuare. Hæc est autem prima: ea narra 1.
tione, quæ præter uoda nomina vel homiuum minimè celebrium, vel locorum iam olim destru-
ctorum ferè nihil habeat magnopere cousiderandom, plus fastidij quàm vtilitatis adferri. Secun- 2.
da, obscuram admudū esse, & adeo densis tenebris ac difficultatibus inuolutā hanc præsertim ædi-
ficationis illius descriptionem, vt erui inde in lucem atque explicari tota maximis etiam doctissi-
morum hominū ingenij viribus non possit. Tertia, & si tota penitus perspecta teneatur: afferri ta- 3.
men ex ea aut uullas aut per exiguas vtilitates: cum uec hominum & locorū illorum vllus nobis
sit relictus vsus: uec architecturæ plena ac solida vlla præceptio proponatur. Quarta, si quas more 4.
theologorum veterū allegorias iode eruamus: etiam ipsas, cum nec probandis nostræ fidei capiti-
bus vllis siut pares, nec vllum rebus & sententijs ipsis afferāt lumen, plane futuras frigidas & ocio
sas. Quocirca hac præsertim de vrbis muris ac portis iustauratis narratione prætermissa ad alia pro
perandum. Atque hæ rationes, præsertim si rhetorico modo quodam dilatatæ & amplificatæ pro-
ponantur ijs, qui in literis sacris aliàs uegligenter & fastidiose versantur, non nihil ponderis habe-
re videbuntur: at penitius iuspectæ & meliore trutina libratæ, facilè explodentur. Etenim ad pri- 1.
mam dicimus, mirum esse tales descriptiones, cum in scriptura sacra occurrerint, offensionem fa-
stidiumque afferre: cum in alijs Græcorum & Latinorum authorum libris, pro ornamentis, insi-
gnibus, luminibus orationis habeantur, maximaque cum voluptate & delectatione accipiantur.
Extat apud Hesiodum Theogonia mediocriter longa, cuius parte maxima deorum dearumq; nomina continentur: & tamen eruditi viri illam faciunt maximi, traduntque ea [illegible], id est, physicam qoandam rerum naturæ commemorationem dictari. Extat item apud Homerum eorum, quibus in Asiam Græci recuperaturi Helenam vecti sunt, nauimm catalogus: quem non modo lectione diligenti plerique dignum, verum etiam fusissimis commentarijs illustrandum magni viri iudicarunt. Extant præterea apud vtrunq; Plinium theatri Nicensiū, aquæductuom Nicomediensiū & Synopensium, horti pensilis Dianæ Ephesiæ descriptiones, quarū lectione suauiter affieimur, & delectamur. Sed & sepulchrū illud magnificū ac sumptuosum, quod Mausolo marito mortuo Artemisia Cariæ regina quondam ædificauit, admiramur, eiusque videndi delectatione ducimur: itemque pyramidum & colossorum, & eorum quę Semiramis, Nitocris,

Necus, principes Romani magnificè extruxerunt, operum descriptiones suspicimus ac commendamus. Ergo illas, quæ extant in sacris literis extructionum imagines solas fastidimus: iure dixerit aliquis, nos Atheniensium similes euasisse, qui Demosthenem recitantem fabulam de vmbra asini libentius, quàm cum reip. salubria consilia afferret, concionantem audiuerunt. Est igitur hoc fastidium non diuinis illis descriptionibus, sed naturæ nostræ vitiositati imputandum. Ad secundam autem obiectionem, qua dicitur, hanc narrationem esse obscuram, & habere difficiles explicatus, dicimus, id tam omnibus constare, vt negari nequaquam posit. Perpaucæ enim præter sacra Biblia extant mandatæ literis eorum temporum historiæ: & in ijs quę extant nullus propè est Hebraicis rebus datus locus. Herodotus suauis est & elegans illius ætatis historiarum recitator: verum Persicorum regum, qui longè lateque ea tempestate dominabantur, res gestas ac laudes penè solas celebrat. Eum secutus Thucydides Græcarum ciuitatũ actis referendis intentus fuit. Quod ipsum etiam Xenophon fecit in rerum Græcarum commentarijs. Idem de Iustino quoque & Diodoro siculo dici posset. Vnus Iosephus homo Hebræus, tametsi gentis suæ laudibus amplificandis maximè studuerit: in huius tamen vrbis descriptione perparum elaborauit: ac descriptionẽ eius partim modo non attingit, modo vixdum inchoatam prætermittit: nonnullis etiam in locis parum sibi constat. Estque mirandum, ipsum in tam ampla tamque gloriosa atque ad extollendã patriæ suæ maiestatem & amplitudinem accõmoda materia, patriæ laudis cupiditati non magis indulsisse. Sed quoniam in consignandis his rebus ipse minus diligens & copiosus fuit: minus etiam materiæ est ad eas illustrandas relictum non solum Egesippo, qui circiter sexaginta annis post Iosephum Adriani Cæsaris ætate floruisse creditur, verum etiam sacrarum literarum interpretibus & doctoribus Christianis. Quorũ alij pręcipuis doctrinę Christianæ capitibus vel aduersus Ethnicos, vel contra Iudęos & hæreticos defendendis intenti, alij concionando ad populum & ecclesiarum gubernationis negotijs occupati, alij laboribus scholasticis onerati, ne attingere quidem rerum harum tractationem potuere. Accedit eodem, quod crebris eisdemque grauibus ac cruentis bellis, euersionibus clarissimarum vrbium ac scholarũ, populatis vexatisque prouincijs, combustis bibliothecis, è medio sublatis eruditissimis viris, si quid huius generis tractationum extabat, vt cum alijs virorum illustriũ operibus & monumentis vetustatis interiret, necesse fuit. His alijsq; de causis non modo nobis in has res, verum alijs etiam in alias artes ac disciplinas ingens est obscuritas inuecta. Ac si difficultas & obscuritas debeat esse loco iustæ causæ, propter quam alicuius præclaræ rei studium deponatur: certè bonarum literarum & liberalium artium omnium, itemq; iuris ciuilis & medicinæ studia deponantur, necesse erit. Quod nemo sanus cuiquam concesserit: quando & difficilia quę pulchra: & aliquid est prodire tenus, si non detur vltra: denique in magnis & voluisse sat est. Sed in Iuris ciuilis commentarijs quàm multæ sunt res etiamnum controuersę? in Hippocratis Coi placitis, quàm multa sunt eiusmodi verborũ ac locutionum inuolucris tecta, vt perinde sint abstrusa, ac si vel ænigmata, vel oracula essent? in Aristotelis & Platonis libris, quàm multæ res adhuc ita penitus abditæ latent, vt acutissimorũ hominum omni diligentia inuestigari non possint? Quis propterea vel hæc omnia, vel illarum doctrinarũ atque artium vllam negligi & fastidiri debere contenderit? Ciceronem autem & si sint in eo sententiarum pariter ac verborum hiatus magni, multique difficiles & nondum satis explicati loci, adeo nemo ob id de manibus deponendum censet: vt eum vnum sibi, quem potissimum imitentur, multi propositum velint. Iam si illi in minoribus hisce studijs tantopere sibi laborandum, tantasque difficultates superandas ducunt: multò minus nobis in his nostris, quæ maiores grauioresque sunt, rebus, fugiendum laborem arbitremur. Et in hanc præsertim vrbis Hierosolymitanæ descriptionem plane videtur, cum diligenti locorũ omnium collatione, tum pijs precibus, quousque Dominus dederit, penetrandum. Ad tertiam autem obiectionem dicimus: eos, qui putant hac tractatione vel nihil omnino, vel perparum vtilitatis afferre, cum opinione sua falli, tum iustas ac meritas negligentiæ suæ pœnas dare. Nam si quantum in alijs rebus percipiendis operæ ponunt, tantum etiã ad Scripturæ sacræ notitiam comparandam diligentiæ adhiberẽt: vel ipso diuinarum literarũ vsu cognoscerent, etiam ex hac illius vrbis exædificatione considerata ac cognita percipi multas & varias vtilitates. Primum enim hæc descriptio conducit ad intelligentiam historiæ pariter ac scripturæ sacræ: quando non solum in Iudæorum regum historijs crebra fit huius vrbis partium mentio, verum etiam eius imagines ac descriptiones in diuinorum vatum visionibus offeruntur. Ad hæc etiam pertinet, quod vrbis huius partium nonnullarum monimenta in ipsis etiam Euangelicis atque apostolicis literis extant. Qui loci profecto citra aliquam saltem animo conceptam huius vrbis effictionem, intelligi vix possunt. Dein ad vsum vitæ & disciplinæ ciuilis, quæ iusta & æqua tam operarum quàm præmiorum & pœnarum distributione, itemque communicatione & commutatione rerum recta regitur ac conseruatur, hæc descriptio ob id prodest, quod gubernationis

ciuilis

ciuilis, & iustitiæ distribuentis quasi quoddam simulachrum ob oculos ponit. Nec nihil vtilitatis ad rei familiaris administrandæ scientiam hoc attulerit, quod Nehemias operas illas in familias ac personas quasque adeo prudenter est partitus, ceu herili potestate fungeretur. Ad architecturam autem, quæ & operum atque opificum, & gerendæ rei rationem rectam seruat, hoc ipso conducet hæc descriptio, quod rerum illarũ omnium non obscura indicia atque documenta præbet. Ac licet hæc ars non exactè tradatur hoc loco: neque enim id est institutæ narrationis: aliqua tamen hic habentur, quæ fortassis in alijs multis ædificiorum descriptionibus omittuntur. Neque enim in vlla historia extare existimo plenam & ad omnes artis præceptiones factam cuiusquam ædificij descriptionem. Quamobrem vt aliæ secum ipsæ conferuntur, & ex alia aliquid ad explendam aliam transfertur: sic etiam huius partes cum aliarum descriptionum partibus alijs coniunctæ & comparatæ, suam ipsæ etiam vtilitatis portionem dabunt. Ad ecclesiasticam autem siue spiritualem architecturam, quæ est vniuersis & singulis mortalibus demandata, quantum hæc descriptio prosit, ex singulis eius partibus ac verbis perspici potest. Sed nemo singula recenseat: plura maioraque colligere per se quisque potest. Ad obiectionem vltimam, qua allegoriæ, eæque frigidæ & ociosæ prætenduntur, non difficile est responsum inuenire. Ac primum quidem illud opponi potest: nobis quoque videri nec temerè, nec vbiuis, nec citra authoritatem sacrarum literarũ proferendas allegorias: ne & sacrarũ historiarum veritas in dubium vocetur, & diuinarum legum pondus eleuetur: tandemque sacrosancta scriptura pro ficta quadam ac fabulosa narratione habeatur. Quemadmodum ex Philonis Hebræi & aliorum qui ipsius exemplum secuti sunt, etiã Christianorum doctorum allegorijs, ansam ad eleuandam scripturæ sacræ fidem Porphyrius & Iulianus arripuerunt: & ob nimium quendam allegoriarum vsum Origenes olim malè audiuit. Qua de causa valde probo iudicium Diui Augustini, qui libro decimoseptimo de Ciuit. Dei cap. 3. scribit, eos grauiter errare, qui historias sacras putant nihil aliud præter id quod eo modo gestæ sunt, „ significare: rursus autem videri sibi temerarios eos, qui scripturas oẽs allegoricis significationibus „ inuoluunt: minimeque reprehendendos eos, qui possint ex quacunque re gesta spiritualẽ senten- „ tiam eruere, seruata prius historiæ veritate. Animaduertendum deinceps dicimus: ab ijs, qui histo- „ rias ac descriptiones sacras allegoriarum nomine repudiant, nec quid sit allegoria, nec quid inter hanc & typum intersit, nec quo loco sint adhibendæ, nec quas afferant vtilitates, rectè considerari. Etsi enim D. Augustinus lib. 19 de Trinitate, cap. 9. cum tropi cuiusdam aliud ex alio colligentis nomen allegoriæ tribuit: & D. Hieronymus, eum per allegoriam aliud in verbis prætendi, aliud in sensu significari dicit, allegoriam latius extendant: ipsa tamen restringi in angustiores fines potest: si dicatur esse expositio scripturæ sacræ longius quidem petita, vel vtilitatis, vel necessitatis causa adhibita grammaticæ & morali interpretationi: sed retinens tamen rerũ inter se collatarum aptam similitudinem, seque referens ad doctrinam fidei & institutionem morum. Inter ipsam autem & typum id interest: quòd typus aliquid de veteri Testamento sumptum, indicat vmbram alterius cuiuspiam rei fuisse, quæ vel facta sit, vel futura in nouo: allegoria contrà aliquid ex vtrouis assumptum trahit ad doctrinam atque ad vitæ & morum disciplinam. Cumque typus consistat in factorũ collatione: allegoria tam verba cũ verbis, quàm facta cum factis confert. Sed & typi Christum & ecclesiã tantummodo representant: allegoriæ vero quascunque ad res effunduntur. Quò fit, vt vna eademque re, & typi & allegoriæ contineantur, velut illud Dauidis & Goliathi duellum, per typum ad id quod Christo cum satana fuit, certamen: per allegoriam autem ad illam quæ est in hominibus, spiritus ac carnis luctam transfertur. Et hæc vrbis huius instauratio, per typum quidem ecclesiæ restaurationem significat: per allegoriam autem ad cuiusque nostrum emendationem, itemque ad restitutionem disciplinæ ciuilis ac legum transferri potest. Considerandũ est item, allegorias alijs in locis vtiles, in alijs rursus necessarias esse. Ac necessariò tribus de causis adhibentur: vna, quando scripturæ verba quandam falsi speciem præ se ferunt, nisi per allegoriã exponantur: vt illa in psal. Super aspidem & basiliscũ ambolabis, verè de Christo dicta nõ inuenientur, nisi per allegoriam ad satanam, mundum, peccata à Christo superata transferantur. Quæ allegoria vaticinio alio Gen. 3. comprehenso, semen mulieris caput serpentis conculcabit, astruitur. Altera, cum Scripturæ verba absurdum quiddam præ se tulerint, nisi per allegoriam explicentur: vt cum Rom. 12. iubemur alimenta præbere etiam inimico, quò carbones ignis super caput eius congeramus: per allegoriam dicimus, carbonum appellatione gemitus vrentes pœnitentis eius, qui inimici loco habuerit eum, à quo beneficijs affectus fuit. Eodemq. modo Paulus illam legem, os boui trituranti non obligabis, ad ministrum ecclesiæ seruientem, per allegoriam transfert. Tertia, quando sensus Grammaticus vel cum doctrina sana, vel cum bonis moribus pugnat, nisi ad allegoriam reuertatur. Cuiusmodi est quod Matth. 5. eruere oculos, amputare manus ac pedes iubemur. Id est omnino transferendum ad coercitionem cupiditatum, & ad euitandas eis obiectas oc

casiones. Hic nemo negat esse necessarias allegorias. Docet hoc pluribus verbis D. Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana cap. 16. & 23. Vtiles autem sunt allegoriæ tunc maximè, cum historia ipsa perparum vel ad institutionem vitæ & morum, vel ad astruenda fidei documenta subsidij propinat, è duro cortice suauissimus spiritualis intelligentię nucleus eruitur. Quo modo Philo Hebræus, Origenes, Cirillus, alijque præcepta de ceremonijs explicarunt. Ac quanquam probationum loco haberi non possunt: clarum tamen diuinis rebus, quæ sunt aliàs ab hominum sensu intelligentiaque remotæ, & maximum quoddam afferunt lumen. Quemadmodum igitur similitudines ob id quod propositas res illustrent magis quàm probent, neque ab oratoribus neque à philosophis repudiantur: sic allegoriæ propterea non sunt repudiandæ, quòd ad asserendam doctrinæ Christianæ veritatem parum roboris ac firmamenti videantur afferre. Quin etiam constat allegorias, si commode & suo loco adhibeantur, animos humanos suauiter afficere, & ad contemplationem rerum cœlestium mirum in modum excitare. Quamobrem eas, si minus ad probandum valere videantur, saltem ad mouendos atque excitandos animus hominum referamus. Hæc autem vrbis illius instauratio tanto maiore diligentia ac religione est cognoscenda, quantò magis potest in omnem partem considerari. Siue enim ex ea typum & allegorias elicias, ad Christum & ecclesiam, itemque ad cœlestem patriam referetur: siue ipsorum verborum nudam ac simplicē significationem retineamus, ad omnem ciuilem ædificationem conducet.

Hierosolymae descriptio. Iam quoniam ex his quæ dicta sunt, & illarum descriptionum vsus, & eæ propter quas proponuntur, causæ, pariter cognoscuntur: illud restat, vt vrbis huius imago qualiscunque proponatur. Quæ tametsi plena ac suis partibus omnibus absoluta haberi non potest: tamen qualiscunque fuerit, aliquantum lucis afferet ad authoris nostri mentem & sententiam percipiendam. Quemadmodum igitur cœlestis huius, quæ perpetuis plenisque gaudijs est referta, ciuitatis recordatio, non ideo negligenda ducitur, quod eius cognitio solida ac plena hauriri in his terris nulla potest: sic illius terrestris, quę sacrosanctum & illustrem eius typum gerit, vrbis contemplatio, non propterea negligi debet, quod nulla in tabula perfecta atque integra eius imago depicta habeatur. Satis sit, eius nomen, conditores, situm, figuram ac partes, fortunam ac fata quoquo modo didicisse.

i. Nomina. Ac nomina quidem huic vrbi multa eaque varijs de causis tributa fuisse graues authores, & ipsæ literæ sacræ testantur. Etenim D. Hieronymus ad Marcellam scribens tria refert: Salem, Iebus, Hierusalem: quorum primo pacem, secondo calcatā, tertio visionem pacis significari, vniuersis sacrosanctum mysterium trinitatis repræsentari tradit. De Salem autem diuersę sunt authorum

Salem. veterum opiniones. Et sane D. Hieronymus secum ipse pugnare videbitur: siquidem alias eius hac de re sententias aliunde collectas cum ipsius dictis conferamus. Nam quod Iosephus & omnes nostri putant Hierosolymas eam vrbem esse, quæ Salem olim appellata fuit, id in Epistola ad Euagrium ipsemet primum negat, & aliud quoddam Schythopoli vicinum oppidum hoc nomine appellatum fuisse contendit, quod hodieque Salem appelletur: in quo & Melchisedecci palatium magnitudine ruderum veteris ędificij magnificentiam referens ostendatur. Quam ad opinionem affirmandam duas etiam causas eodem loco affert: vnam, quod absurdum sit Hebrææ ciuitati nomen ex peregrina videlicet Græca, & vernacula, nempe Hebræa mixtum atque compositum assignare: alteram quòd Abrahamus, qui quidem hostes suos vsque Dan, quæ postea Paneas appellata fuit, persecutus, in reditu non per Hierosolymas, verum per Salem Sichimorum oppidum iter habuerit. Eam rursus opinionem suam in Epitaphio Paulæ matris ad Eustochiū virginem, itemque in Epistola ad Dardanum, denique in Quæstionibus ad Genesim ipsemet oppugnat: ac Salem esse eam tradit, quæ postea Hierosolyma nominata fuit. Quanquam eius rationes minimè magnum pondus habent: quando nec necesse est Hebraicugræcū nomen fingi, nec quod aliquo ante vrbis mœnia proximo loco Melchisedeccus sit cum Abrahamo collocutus, existimandū. Etenim si libeat certare coniecturis, verisimile est, Melchisedeccum ecclesiæ nomine maximum ex Abrahami victoria gaudium cæpisse, eique in proxima, per quæ proficisci putabatur, loca, de victoria gratulatum occurrisse. Nomen autem vel merum Hebræum, vel Gręcum totum potius, quàm ex duabus diuersis linguis mixtum existimarim. Siue enim eam primum Solymá, post extructo templo, Hierosolymam, velut ἱερὸν Σολύμων, id est, templum Solymarum à Græcis appellatam demus, totum Gręcum erit nomē: siue partim à Salem oppido veteri, partim à Moria monte, quem Abrahamus יהוה יראה, id est, Dominus videbit, appellarat, ירא הוא שלם nominatam arbitremur, merum erit Hebræum. Quorum alterum Egesippus lib. 5. cap. 9. & Euseb. Præpar. Euangel. lib. 9. alterum idem Eusebius alibi, tradunt. Apud Hebræos vbiuis ירושלים pluralis numeri forma, vt Psal. 122. & alibi: inde & apud Græcos τὰ ἱεροσόλυμα, ἡ ἱερουσαλήμ. vt apud Strabonem libro decimosexto: denique apud Latinos etiam in neutro genere & numero plurali, Hierosolyma, Hierosolymorum, vt apud Cornel. Tacitum lib. 21. Annalium, & apud Plinió lib. 5. cap. 14. & 16. Quanquam

apud

apud eosdem authores, vt Plinij quidem lib.7.cap.34. & Taciti libro eo, qui modo citatus est, nomen idem in numeri singularis & fœminini generis forma positum legatur. Extat vtroque modo expressum eius vrbis nomen in oratione Ciceronis ea, quam is habuit pro Lucio Flacco. Quod argumento est Hierosolymæ, & Hierusolymorum nomina trita Latinis populis fuisse. Iebus autem nomen ab Iebusæis incolis, quibus à Iebuso Chami nepote nomen erat, accepit. Hi illam olim tenuerunt, nec inde eijci potuerunt vsq; ad tempora Dauidis. Qua de re Ios.18. Iud.1.& 19. scriptum extat. Iebusæorum autem nomine conculcantes & contemptores significari, eosque typum esse eorum, qui vineam Domini vastant, & à leone de tribu Iuda solo, vero Dauide Mesia inde eijciuntur. Postquam autem Dauid eiectis Iebuseis hac potitus est, vrbem constat Hierosolymam appellatam: primum, vt quidam existimant, ex Iebus & Salem nomine composito, quasi Iebusalem, tandem Hierusalem paucis literis mutatis. Mihi magis placet ex monte Moria & Salem oppido veteri, qui loci Christum ambo representant, nomen conflatum יראה הוא שלם, Iir hu salem, id est, videbit Dominus Salem. Quod nomen Hebræum est totum, & ecclesiæ Christique typo proximum, & rei in illo monte gestæ maximè conueniens. Credidit enim Abrahamus pater credentium, Dominum prouisurum, vt præstò esset hostia, qua pater opt. max. placaretur: credit etiamnum ecclesia Christiana, vera Abrahami soboles, prouidentia Dei procuratam victimam, qua interueniente patri cœlesti reconciliemur. Ac quanquam nō negarim hanc Abrahami temporibus, vt Iosephus indicat, nominatam fuisse Solymam; falsum tamen crediderim & minimè admittendum, seu quod Stephanus autumat hanc à Solymis montibus nomen consecutam, seu quod Tacitus scribit huic à Solymis gente carminibus Homeri celebrata nomen datum. Nam vt Solymi illi montes non Iudææ, sed Pisidiæ sunt regionis: sic Solymorum gens, vt Eustathius autumat Homeri sententiæ maximè esse conueniens, Lyciæ partem quandam videntur tenuisse. His nominibus aliud accessit, quando Elius Adrianus Imperator, euersa illa, quam è cineribus vrbis pristinæ Iudæi suscitarant, noua Hierosolyma, in proximo colle nouum oppidum extruxit, idque Eliam de prænomine suo nominauit. Qua de causa Ptolemeus eam Capitolinam, alij rursus Eliam Capitolinam, appellarunt. Habuit alia præterea præclara nomina per antonomasiam & metaphoram accepta. Cuius generis est, quod Esa. 29. Ariel, id est, leo Dei vocatur: propter altare templi Hierosolymitani, cui binæ victimæ quotidie debebantur: ac quemadmodum leoni ei, quem princeps aliquis alit, cuiusq; diei vespere & diluculo vitulus, sic huic aræ mane & vespere agnus offerebantur. Quod Hieronymus in caput tricesimum quartū Ezechielis scribens refert. Sed & ciuitas sancta in Euangelijs appellatur: quod præ reliquis totius orbis terrarum oppidis omnibus hæc vrbs esset maximè Deo consecrata: quod templum & in eo depositas res sacrosanctas contineret: quod denique multarum diuinarum atque cœlestium rerum typum præseferret. Sepe etiam Sion, & ciuitas Dauid per Synecdocham appellatur: parte videlicet eius posita pro tota vrbe. Eodem etiā, si libet, referemus, quod Agrippa rex dicit apud Iosephū in Oratione ea, quā ad Iudæos tumultuantes habuit olim: hanc videlicet vrbem matrem omnium Iudææ regionis vrbium nominari consueuisse. Cui sententiæ suffragatur Strabo, cum lib.16. τὰ Ἱεροσόλυμα τῶν Ἰουδαίων μητρόπολιν, id est, Hierosolyma Iudaicarum ciuitatum matrem vocat. Astipulantur his duobus Cicero, Plinius, Cornelius Tacitus, celeberrimi testes: quorum tertius eam Iudææ gentis caput, secundus non Iudææ modo, verum etiam omnium Orientis, vrbium clarissimam, primus Orientis totius lumen, appellant. Quæ testimonia atque preconia non parum momenti possunt ad declarandam eius maiestatem afferre. Quacunque vero parte nomen eius aspiciatur, facilè videre est, eo ipso quasi quodam symbolo ciuitatis huius fata significari: quando & sacrificia quæ vocantur pacifica, & doctrina de pace inter Deum & humanum genus constituenda, & leges ad pacem & tranquillitatem vitæ ciuilis vtiles hic maximè floruere: & in huius vrbis salutem & publicam pacem prouehendam simul ac tuendam, Deū singulari quodam modo propendisse res omnis attestatur. Quo magis sunt damnandi Pepuziani, qui diuinum huius vrbis nomen suæ ciuitati impudenter admodū arrogarunt.

Conditores autem eius alios atque alios fuisse, veteres historiæ testantur. Ac primū Iosephus lib.7.cap. 18. de bello Ind.& Egesippus lib.5.cap.9. ambo scribunt: vrbem Hierosolymam à quodam Cananæo viro præpotenti, qui sua lingua rex iustus appellaretur, & Solymam primùm appellarit, extructam esse. Quis autem is fuerit, de eo sunt diuersæ veterum scriptorū opiniones. Etenim Hebræi putarunt Semū Nohæ filium eum fuisse, qui Melchisedeccus aliàs appellatur: quod in ipsorum Chronicis scriptum extet, Semo regi Solymorum Iacobum seruiuisse. Idque etiam refert D.Hieronymus in Epistola ad Euagrium. Quam opinionē D. Epiphanius libro secundo contra hæreses tit.1. Samaritis assignat, & proposita Semi & Abrahami temporū collatione falsam declarat. Hierax autem, qui Melchisedeccum ausus est spiritum sanctum dicere, eo quod Paulus tradiderit eum filio Dei assimilatum fuisse, apud Epiphanium eodem loco, vel eo ipso confutatur,

quod nusquam legimus spiritum sanctum carnem induisse, proptereaque dici nequit eũ in Salem vel regis vel sacerdotis officio functũ esse. Cumq; nemo secum ipse comparetur, etiam horũ proditur error, qui ipsum natura filium Dei in humana specie tunc Abrahamo apparuisse censuerũt. Perinde est absurda eorum opinio, qui ipsum angelum esse putarunt: quando nusquã legimus angelum tamdiu inter homines humana omnia agentem vitam egisse. Et quemadmodum illi nimia viri illius virtutum admiratione, in has de eo tam falsas tamque absurdas opiniones detrusi sunt: sic Iudæi suapte cæcitate & inscitia lapsi, putarunt, hunc ex scorto natum, ideoque neutrius parentis nomen sacris literis expressum haberi: quemadmodum tradit Epiphanius lib. 2. tit. 1. hæres. 55. Nobis satisfaciunt sacræ literæ & sanorum doctorum authoritas, vt credamus hunc sacerdotem & regem, & si non conditorem, saltem Dominum siue Salem siue Solymorum vrbis fuisse. Conditoribus huius vrbis deinceps etiam annumerari possunt Iebusæi, Dauid, Solomon, Esdras, Nehemias, Herodes, Agrippa rex, Ælius Adrianus Imperator, Iulianus Apostata, Vrbanus Secundus papa, & quicunque illam ante & post exilium Babylonicum magnificis ædificijs, itemque turribus atque propugnaculis ornarunt, munierunt, auxerunt. Etenim post Melchisedecci tempora, cum Israelij terram sibi diuinitus promissam occupassent, Iebusæi, gens ex Iebuso Chami nepote nata, Hierosolymam vrbem tenuerunt, ac sine dubio multis ædificijs atq; opibus auxerunt. Quod ex Iudic. 1. 19. Ios. 18. cap. colligi potest. Dauid autem cum rex totius Israelis in Hebrone Iudææ ciuitate creatus esset, Sionem arcem cæpit eiectis Iebuseis, & circumquaq; à Mellone intus ædificauit, ac ciuitatem Dauidis nominauit. Qua de re 2. Reg. 5. & apud Ioseph. Antiq. lib. 7. cã. 3. scriptum extat. Solomonẽ item templi, regiæ, & aliorũ ædificiorum complurium extructio conditoribus vrbis huius annumerandum monet. Esdras deinceps & Nehemias hanc antè à Babylonijs euersam, ope regum Persicorum denuo suscitatã multis modis ornarunt: velut eorum libri testantur. Quantos sumptus Herodes in ornanda templi structura, & Agrippa rex in muris vrbis latius ducendis fecerint, Ioseph. Antiq. lib. 15. cap. 14. & lib. 19. cap. 7. scribit, nec nulla parte sacræ literæ testantur. Etsi illam etiam, quam abs se conditã de suo nomine Eliam Adrianus Imp. appellauit, Hierosolymam malimus, quàm Eliam esse: is etiam imperator in vrbis huius conditorum numerum videbitur fortasse referendus. In eam classem etiã ingerere sese Iulianus Apostata Cæsar eo ipso conatus est, quod odio populi Christiani Iudæos ad instaurandam ciuitatem suam & monitis, & pollicitis, & auxilijs præstitis excitauit atq; adduxit. His omnibus etiam, si placet, addi potest Vrbanus Secundus is, qui cũ pontifex Romanus esset, ac Petri cuiusdam eremitæ querelis excitaretur, habito in Gallia concilio, principibus Christianis, vt vrbis huius repetendæ causa bellum, quod sacrum vocant, susciperent, author & impulsor fuit. Quanquam nouum id regnum Hierosolymitanum, cum plus minus 200. annis durasset, iterum collapsum est. Atque hæc quidem, si penitius inspiciantur, vrbis huius laudes duobus modis augent atque extollunt. Vno, quod eius initia adeò longè sunt propter vetustatem à memoria nostra remota, vt de ijs cèrti nihil inueniatur, sintque ciuitatum aliarũ initijs incrementa huius antiquiora: altero, quod huic vrbi, cum vbi constituta fuisset augendæ & ornandæ, & muniendæ tum postquam esset euersa, rursus è cineribus suscitandæ & instaurandæ maximi pietate, sapientia, fortitudine, potentia, magnificentia viri suam operam impenderunt.

3. Situs. Situm autem eius insignem, amœnũ, salubrem, opportunũ fuisse multis argumentis viri graues ac sapientes nobis attestantur ac probant. Et insignem quidem hi significant fuisse, quorũ alij illam in Palestina media, alij in totius orbis terrarum meditullio conditam scribunt. Iosephus in libro de bell. Iud. tertio, & Egesippus libro tertio capite sexto, scribunt: eam in Iudææ totius medio ceu Vmbilicum conditã fuisse. At D. Hieronymus in totius orbis terrarum meditullio positam fuisse censet, & nonnullis argumentis nititur astruere & confirmare. Ac primum quidem locum illum ex psalmo 73. quod Deus salutem operatus sit in medio terræ, citat: dein rationẽ quandam mathematicã affert: à partibus Orientis, inquit, cingitur plaga, quæ appellatur Asia: à partibus occidentalibus, ea quæ vocatur Europa: à meridie & Austro Lybia & Aphrica: à Septentrione Schythis, Armenia, Perside, & cunctis Ponti nationibus. Ac quanquam D. Hieronymi sententia ad exactam dimensionis normam tota nequit constare: minimè tamen est repudianda: quod & Ezechiel eiusmodi quandam earum, quæ Palestinæ circumfunduntur gentium faciat mentionem: ac vix alius locus dari possit, è quo commodior & expeditior sit in omnes gentes via. Ad situs huius excellentiam referendum etiam hoc videtur, quòd in editissimo terræ loco positã hanc fuisse vel ob id existimarur, quod vndecunque eam adierint homines, omnes ascendere dicerentur. Quemadmodum Ezechiæ legatis Rabsaces dicit, num ego sine Deo ascendi in terram hanc: & Matt. 20. Dominus dicit, Ecce ascendimus Hierosolymã: & Luc. 10. is qui in latrones inciderat, descendisse dicebatur; & Act. 8. qui ab vrbe Hierosolymitana Gazam versus eunt, descendere dicuntur.

tantur. Commendaret autem vrbis huius situ͂ id inprimis, siquidem certò constaret, quod hanc existimant aliqui in eo positam loco, in quo paradisus olim fuit: idque fluminu͂ inde emanantium enumeratione demonstrare contendunt. Amœnum certè eius faciunt situm, cum montes, quibus vrbs partim est imposita, partim adiuncta: tum amplæ valles, per quas ex vrbe est prospectus iucundissimus ad lacum Asphaltitem, ad oppida maritima, ad magnam partem Arabiæ. Veluti psal. 86. fundamenta eius in montibus sanctis posita perhibentur. Nec parum suauitatis & delectationis afferunt fontes & nemora, quibus homines potissimu͂ oblectantur. Salubrem præterea situm eius id indicare potest, quod Strabo lib. 16. scribit, solum vrbis huius petrosum & aquis abundans esse, cum circumiacens regio omnis sicca ac sterilis existat. Hoc ipso nimirum fiebat, vt minus esset earum, quæ pestilentem aerem reddunt, exhalationum: & è montibus emanantes aquæ meliores suauioresque essent. His addendum est quod Petrus Bellonius in ijs quos Gallica lingua scripsit, obseruationum singularium libris indicat, in Hierosolymitanis montibus illis arboru͂ & herbarum omnis generis esse copiam maximam ac tantam non solum amœnitatem locorum, verum etiam suauitatem odorum qui afflantur è floribus ac herbis isthic prouenientibus, vt cu͂ Ida Cretæ monte celeberrimo certare videatur. Similem etiam aeris temperationem idem eodem loco refert. Quod cum aer cœli puritate & calore temperatus vitalem & salutarem spiritum afferat animantibus, ad bonam corporum temperationem & valetudinem plurimum prodest. Multa vero sunt, quibus colligitur, eam vrbem pacis studijs, vsibus belli, negotio salutis humanæ cultuique diuini per opportuno atque accommodo loco positam fuisse. Ac primu͂ vsibus belli prorsus accommodum fuit, quod Cornelius Tacitus lib. 21. scribit, in hanc sententiam: Vrbem arduam situ opera molesque firmauerant, quis vel plana satis munirentur. Nam duos colles immensum editos claudebant muri per artem obliqui, aut introrsus sinuati, vt latera oppugnantium ad ictus patescerēt. Difficilem etiam hostibus aditum faciebat, quod aquas eripere eis obsessi possent: quemadmodum Ezechias obsessus copijs Sanheribi dicitur fecisse. Pacis autem studijs ob id opportunus vrbis huius situs fuisse videtur, quod Egesippus lib. 3. cap. 6. & Cassiodorus, & Canthes, in primisq; D. Hieronymus eam in vmbilico terræ sitam existimarunt. Cum enim ea ratione fieret, vt quoniam & importandis necessarijs ad victum rebus, & exportandis ijs, quæ eorum arte & opera elaborarentur, oportunam sedem haberent: omnibus quæ terra marique afferri possent rebus & pecunijs in primis abundarent, necesse fuit. Fiebat etiam eisdem de causis, vt ad reddendum ius diuinum pariter ac humanum, itemque ad cultum Dei seruandum ex hoc vrbis illius situ maxima commoditas esset. Qua de causa Dauid admonitus oraculo delegit hanc ciuitatem ad cultum nominis diuini, & hoc ad festos solennesque dies in templum Hierosolymitanum tanquam in quandam religionis omnis officinam vndeuis magnæ turbæ mortalium quotannis, & interea crebro conuenerāt. Sed & capiendi consilia, & iuris sui comparandi causa ad aulam omnes incolæ regni quotidie confluebant. Inprimisque est obseruandum, quod singulari consilio prouidentiaque Dei, cum prophetæ vaticinati sunt fore, tum Christo placuit & apostolis, vt suauissimus ille prædicationis Euangelicæ sonus inde ex Hierosolymis quasi è medio terræ loco in omnes regiones ederetur. Memorabile est etiam quod D. Hieronymus ad Marcellam scribit, hoc loco Adamum & habitasse & mortē obijsse: & vbi caluaria Adami veteris recondita fuerit, ibi sint Adami secundi sanguine peccata mortalium abstersa atque sublata.

Porro si figuram ac quantitatem itemque singulas huius vrbis partes spectare libeat ac considerare: erit ante omnia cogitandum, pro diuersa ratione temporum ac fortunarum, aliam atque aliam eius formam fuisse. Equidem existimant aliqui, illam vrbem, qua tempestate Christus in his terris vitam humanā egit, omniu͂ florentissimā fuisse. Idque vel ob id verisimile videtur esse, quod non solum Herodes huic ornandæ & augendæ tantopere studuit, vt neque sumptibus neque laboribus parcendum iudicaret: verum pontifices ipsi quoque, pro eo ac luxu fastuque turgebant, atria sua ad principum Romanoru͂ imitationem maximis impensis extruxisse, & ornasse putātur. Ac quanquā Solomon & eum consecuti reges vrbem pariter atque ædem sacrā supra modum ornarint: & Esdras iudicet posterius ab ipso ac socijs ædificatum templum, Iudæis senibus, cu͂ præ veteri illo, ad cuius magnificentiā par nihil haberet, planè displicuisse: tamen omnibus cognitum est, quod idipsum seculum quo Christus in has terras venit, omnium florentissimu͂ ac cultissimorum ingenioru͂ atque operum feracissimum fuit. Quibus illud etiā accedit, quod ad luxum ac fastum homines tunc maximè procedunt, cu͂ eorum res ad interitum vergunt: vt mirum non sit, Iudæos quoq; temporibus exitio suo adeo vicinis, se suosq; maiores luxu fastuque superasse. Quare factum credi potest, vt hæc vrbs eo tempore cumprimis ornata, splendida, sumptuosa, magnifica esset. Aliàs aliam Melchisedecei, aliam Iebuseoru͂, aliam Dauidis & Solomonis, aliā item posteris temporibus eius formā fuisse, nemo sit fortasse, qui censeat ambigendu͂. Qualis autem Dauidis

& Solomonis temporibus fuerit, aliquot eius partium descriptionibus hinc inde positis vtcunq; significatur: qoalem Esdras & Nehemias hac instauratione sua effecerint, in his eorũ libris indicatur: qualem & quantá effecerint Herodes & pontifices Iudæorũ, itemq; Romani præsides alijq; principes viri circa tempora Christi, multis turribus atque arcibus extructis, nonnullis etiam additis propugnaculis ac muris, maximis sumptibus ædificato atque ornato templo, hinc inde ædificatis amplissimis palatijs, ac regalibus aulis: ex Iosephi, Egesippi, Cornelij Taciti, & aliorũ ætatis eius scriptorum libris, atque etiã ex Euangelicis scriptis sciri potest. Existimant autem formam eius pro ratione quatuor montiũ, quibus imposita fuit, itemque pro suis incrementis, quibus est quasi tetrapolis quædam facta, quadratã fuisse. Et primus quidem mons erat Sion, in quo arx & omnis ciuitas Dauidis ædificata: è quo in partem vrbis inferiorẽ longis gradibus descendebatur: extra vrbem totus rupes erat instar muri. Meminit huius lib. 6. de bell. Iud. cap. 6. Iosephus. Secundus mons huic à Septentrione oppositus, ipse etiam altus, Acra, apud Iosephum Antiquit. lib 12. cap. 7. & de bell. Iud. lib. 6. cap. 6. & 2. Machab. 15 6. 9. appellatur. In eo Antiochus Epiphanes Syriæ rex arcem Acropolim nominatã ædificauit. Moria tertius mons erat intra vrbem, versus orientem ex eo descensus erat: aliàs vndiquaque instar muri: valle, quæ Tiropeon vocabatur à Sione monte seiunctus. In hoc monte extructum fuit templum. Meminit eius lib 6. cap 6. de bell. Iud. Iosephus. Besetha quartus mons erat, tunc muro cinctus ac iunctus vrbi, cũ ciuium & incolarũ multitudo multum increuisset: quod Iosephus paulo antè citato loco scribit. Quemadmodũ igitur Syracusæ Siciliæ metropolis, vt in Verrina sexta Cicero perhibet, olim quatuor oppidis, nẽpe Tyche, Acradina, Insula, Neapoli constabat: itemque Roma, apud Fabium Pictorem in libro de Origine vrbis Romæ, & apud Varronẽ libro primo de lingua Latina, quatuor ex vrbibus, scilicet ipsa Roma, Velleia, Germallia, Foro, quasi composita fuit: sic vrbs Hierosolymitana quasi quatuor ex partibus vt Salem, Iebus, Sion, Moria, conflata putatur. Ambitum autem totius vrbis alij triginta trium, alij quinquaginta stadiorum fuisse putant: vt Iosephus ex Hecatęo Abderita eo, qui apud Ptolemeum Lagi filium fuit, libro contra Apionem scribit. Quod spacium si metiamur, satis amplum inueniemus. Nam si stadium CXXV. passus continet, & M. passus vnum milliare efficiunt: stadiorum L. spacio milliaria VI. & stadia II. efficientur. Porro tribus muris clausam fuisse Iosephus & alij nonnulli tradunt: quorũ intimus ac vetustissimus turres LX. habuerit, & olim à Dauide, Solomone, Ozia, Ezechia firmatus fuerit, sitq; templum ac sacerdotũ ædes ambitu suo complexus. Medius murus XIIII turres dicitur habuisse & Scholam Mishe, & Leuitarum, Prophetarum, Doctorum, Holdæ prophetissæ, & optimatũ ædes comprehendisse. Extimum autem ferũt turres XC. habuisse, & omnis generis atque ordinis ciuium domicilia continuisse. Vrbem totam fossa XL. pedes alta CCL. pedes lata cinctam tradunt. Multas autem habuit portas, quarũ aliæ à tribubus, ad quas tendebatur, vt porta Ephraimia, porta Beniaminia: aliæ contra [illegible], qui ij fas ædificarũt, vt porta Dauidea: aliæ rursus à negotijs ibi fieri soliti, aut mercibus quæ ibidẽ venundari consueuissent, vt porta piscium, porta equorum, porta furnorum: aliæ à vicinis locis, vt porta fontis, porta vallis, porta templi, nominabantur. Pleræque nominantur hoc loco. Intus autẽ multa loca celebria fuere: vt templum, primũ à Solomone extructum, dein ab Esdra instauratum, tandem ab Herode impensis maximis elaboratũ: & vt Iosephus ac Cornelius Tacitus referunt, in modum arcis extructum: quod porticus, quibus ambiebatur, quinque habebat: ac videbatur esse propugnaculum excellens. Atrium Herodis adeo fuisse magnificum & pulchrum, vt eius ruinæ recordatio sibi lachrymas extorqueret, Iosephus scribit. Arces etiam erant ab Herode extructæ magnificæ & munitæ complures: quas Tacitus turres appellat, Iosephus arcium munitissimarum similia propugnacula fuisse scribit. In quibus præcipuæ erant: Antonia, in Marci Antonij gratiam erecta: Hippicus amici Hippici monumentũ: Phaselus fratris sui nomine vocata, Phari turris Alexandriæ similis: Mariamne, de reginæ coniugis nomine appellata. Eximia vero Psephina turris, pone quam Titus castra posuerat, fuit: erecta videlicet in vrbis angulo eo, qui Septentrionem pariter & Occidentem spectabat: septuaginta cubitos alta, & edito rupi imposita: è qua sole splendente non difficilis in Arabiam, & vsque ad mare & ad vltimos Iudeæ fines prospectus erat. His Tiropeon vallis, Ophel, Pontificum atria, presidum palatia, quæ prætoria dicebantur, itemque fora, & alia clara loca possent adnumerari. Vberiores huius vrbis descriptiones videre est apud Iosephum in libris Antiquitatum, & de bello Iudaico, & contra Apionem: apud Cornelium Tacitum libro 21. apud Hieronymum & Eusebium nonnullis in locis: denique apud aliquos recentiores authores: vt Liranum, Vadianum, Zieglerum, Reisnerum, & Calistum Placentinum in descriptione Palestinæ.

Porro fortunas ac fata ciuitatis huius recensere & considerare, multi laboris & longi temporis esset. Breuem earum rerum comprehensionem Iosephus de bello Iud. lib. 7. cap. 18. proposuit.

Equi-

Equidem amplissimum eius nomen semper fuit: & ipsa quemadmodũ Plinius indicat, omnium Orientis vrbium clarissima iodicata. Populosam admodũ fuisse complurium authorum testimonijs probari potest. Tacitus indicat initio obsidionis in ea ducentena millia mortaliom fuisse. Egesippus ait, indigenarũ pariter & eorũ qui ad diem festum venerant, decies centena millia per omne tempus obsidionis cæsa: Iosephus vicies centena septingenta millia eorum saltem qui ad sacrificia admitti possent, exceptis leprosis & alijs immundis, refert. Tantam autem hominũ multitudinem capere, nisi commodis ædificijs, & cõmeatu, & rebus ad tuendam vitã necessarijs instructa fuisset, nullo modo potuisset. Tantam quoque turbam hominum, pecorum, iomentorũ, ea loca sustentare minimè valerent, quæ solum habent fœtidum & aerem pestilentem. Neque vero volgarium solum hominũ, quasi perditissima quædam atq; infima fex populi isthæc multitudo fuit: sed & excelleotiũ virtute & illustrium mulierũ pariter ac virorum hæc vrbs feracissima semper fuit. Sioe enim prophetas, sioe reges, sioe duces, siue etiam artifices & industrios ac sapientes viros spectes: hæc vrbs & Romã, & Spartam, & Athenas longè soperauit. Somma rerum eius potestas primum penes reges, qooad eius libertas esset saloa: post stante imperio Parsarũ, penes duces & pontifices: inde ad Herodis vsque tempora penes Asamoneos fuit. Varia vero ac volubili fortuna fuit. Nam cum Dauid regnaret, peste: cũ Amasias, bello: cũ Ochozias, seditionibus: cum Ezechias, bello, peste, fame: cũ alij regoarent, alijs malis afflicta ac pressa fuit. Ac quanquã Cyrus rerum summa potitus huius instauratioñe valde promooisset: tamen inde ab eo tempore vsque ad Herodis regnum moltis est & varijs modis agitata. Et antè, vt Iosephus perhibet, quinqoies capta fuit, quàm à Romanis funditus euerteretur. Cumque Elio Adriano impetatore, Iudęi, doce quodam Cochabo, vrbem illam euersam denuo suscitare nitereotur, & eò multæ seditiosorum hominom turbæ confluxissent, seqoe Romaois magistratibus opponereot, à Rufo præside soperati sont. Sed & Iulius Seoerus non ita multò post ab Imperatore missus quinquagiota castella & oongentos, octoginta vicos destruxit, & quinquagiota millia Iudæorum occidit, omnemque eorum terram longe lateque vastauit. Adeo quoq; his iniurijs eorum offensus Imperatot fuit, vt omnes vrbis reliquias deleret, eoq; efficeret, vt quẽadmodũ Christus futurũ prædixerat oullus alij impositus lapis relinqueretur. Ac ne nomen eius reliquũ esset, in Gione monte oppidũ aliud extruxit: idq; sicut Dion scribit, de prænomine suo Eliam Capitolioam, quasi Capitolini Iouis vrbem nominauit. In saxis etiam ijs, qoæ supra portas erant posita, porcorũ imagines incidi fecit: oimirum vt earum aspectu Iudæos arceret. Præterea quoque pœna capitis decreta Iudæis omnibus aditu huius vrbis ioterdixit. Posteris temporibus, cum odio nominis ac populi Christiani, Iulianus Imperator amphiteatrum in ipsa Elia extruxisset, io quo bestijs obijcere Christianos constituerat, siquidem incolumis ex Persia reuerteretur, itemque Iudæis erigendi templi copiam fecisset, datõ duce Alipio quodam Antiocheno, & sumptibus suppeditatis: Deus Ipse mirabiliter opus illud impedioit, videlicet imperatore sublato, rebos ad ædificium pertinentibus terræmotu euersis, operarijs & instrumentis terræ hiatu absorptis. Quod Eusebius lib. 10. cap. 38. 39. Chrysostomus homilia in Matthæom quarta recenseot. Ac licet instante Vrbano Secundo, regnum Hierosolymitanum iterum fuerit erectum: rursus tamen est euersum, & is in quo Christus sepultus fuit locus regibus Turcarum tributarius euasit. Quo factum est, vt amplissima ciuitas horrendo iudicio Dei, cum ob Christũ & apostolos, & alios eius asseclas nefariè & crudeliter occisos, hoc est, paternam Dei visitatiooem repudiatam, & fuoditus sit euersa, & penè etiam ex homioum memoria soblata: quando rudera eius effossa ac cootrita: eaque prorsus omnia amota, per quæ vel eius memoria posit in hominũ animis refricari: & vrbs loco pristino mota: & oouum vrbi inditum oomeo: & Iudæis tam planctu veteris, quàm aditu oouæ plane interdictum. Nam quemadmodũ io Sophon cap. I. Hieronymus scribit, ea tempestate Iudæi quotannis illuc commeabant, vrbis suæ exitium defleturi: ideoque ne nouam vrbem ingrederentur, edicto Cæsarum vetitũ fuit. Comque precio hoc faciendi facultatem à Romanorũ magistratibus redimerent: etiam in eo iudiciũ Dei siogulare eluxit, quòd vt Christi sanguinem olim emerant, sic suas ipsorum lachrymas miserè mercari cogerentur. Quam seueritatem Deus ideo nimirũ adhibuit, vt omni posteritati constaret: Messia misso Mosaici sacerdotij statum omnem abrogandum, & nouam alijs ex gentibus colligendã ciuitatem, quæ Euangelio spirituque Dei regeretur. Eam autem iudicij Dei ootam nõo minus testimonia Christi simul & apostolorum, quàm diuinitus edita signa propooont ac monent coosiderandam. Cuiusmodi sanè est, quod Ioanoes Baptista extra templum, etiam cũ noodũ esset euersum, baptizauit pariter ac prędicauit: quodque Christus etiam ante euersam vrbem apostolos in orbem vniuersum prędicatum Eoangelium emisit. Et Paolus I. Corinth. 10. omnia vetera ad nos transfert: quãdo ait, Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis: scripta vero sunt propter admonitionem oostrã. Quod æquè valet ac si dixisset: Hæc illis perinde vt peracta memorantur acciderant, estque certa ac vera gestæ rei

narratio; sic enim vrbem illam extruxerunt, instaurarũt, amiserunt. Verũ hæc eadem non ob eam tantum causam sunt mandata monumentis literarũ, vt illis ipsis accidisse cogitemus: sed vt hasce res nostrarum rerũ vmbras ac figuras esse iudicaremus, in hisq; tanquam in speculis, quid nostra referat fieri, cerneremus. Vnde D. Augustinus li. 17. de Ciuit. Dei ca. 3. Hęc (ait) & in terrena Hierusalem secundũ historiam contigerunt, & cœlestis Hierusalem figuræ fuerunt. Eodemq; loco paulo post D. Augustinus rursus dicit, in ea sententia fuisse nonnullos, vt existimarent, nihil in sacris literis scriptum esse, seu prædictum sit & factum, seu factum & non prædictum, quod non significationem aliquam rerum ad cœlestem Dei ciuitatem pertinentiũ proponat. Quo loco Viues addit, quosdam dicere, ideo iam multas res in Regum libris prætermitti, quæ in libris Regum Israel & Iuda scriptæ monstrentur: quòd hæc ipsa quæ prætermissa, atque in hos libros relata non sunt, momenti nil afferre ad rem Christianam publicam viderentur: ac rursus quæcunque extant in his libris scripta, ea omnia habenda pro necessarijs fidei vitæque documentis. Quod cum ita sit, etiam hanc vrbis instauratæ descriptionem in earum quæ cognitu necessariæ sunt rerum numerũ transferemus. Idque facit Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 48. cum Hierosolymæ terrenæ res omnes ad ecclesiam transfert, idq; facto opus esse deprompto ex Haggei vaticinijs oraculo declarat. Idem etiam alio loco duplicem Hierosolymam facit: vnam videlicet liberam, alteram seruam: rursus aliam Caini, aliam Abeli: item alibi triplicem: terrenam scilicet, & cœlestem, & ex vtraque mistam. Et cõmode sanè triplex statui potest: terrena Hierosolyma, quæ Iudæorũ propria fuit, cuius historia ad omnem ciuitatem transferri potest; Spiritualis Hierosolyma, qua nobis Ecclesia militans repręsentatur, quam præsertim copiosè depingit author Epistolæ scriptæ ad Hebræos: cœlestis denique Hierosolyma, quæ Ecclesiam triumphantem repręsentat, de qua ad Gal. 4. cap. Paul. scribit. Quæ sursum est Hierusalem, libera est. Et Hebr. 12. Accessistis ad montem Sion, & ad ciuitatem Domini Dei cœlestem Hierusalem, & ad innumerabilium angelorũ cœtum. Iam quemadmodum certo ordine portarum primũ in extimam, in qua promiscuum hominum vulgus erat: deinceps in mediam, quàm prophetæ & optimates habitabant: deniq; in intimam, ad regiam atq; ad ipsum regem, itemque ad templum & summũ sacerdotem veniebatur: sic ex massa perditi generis humani in ecclesiam extimá, quæ promiscuam electorum & reproborum multitudinem complectitur: inde in ecclesiam militantem, hoc est, electorũ Dei seruorum atq; martyrũ societatem: demum in cœlestem illam ac sempiternam ciuitatem, siue in cœtum triumphantiũ, ac non solum in templum, sed in ipsum sanctũ sanctorum, quod vt sanguine ceruino aperitur adamas, sic ipsum aperuit sanguine suo filius Dei. In hac cœlesti ciuitate, inquit Ambrosius libro tertio de Virginibus, est vita: & vna est via, quæ ducit ad vitam ipse Iesus Christus.

His paratis ad Capitis huius expositioné quasi fundamentis, sequitur vt ad ipsius Nehemiæ verba, quibus vrbis instauratio describitur, tandem veniamus. Qua in descriptione quæ loca quique ciues atque proceres instaurarint, notatis personarum ac locorũ nominibus ostendit. Cũque tribus muris fuerit hęc vrbs communita: Liranus existimat Nehemiam secundũ ordinem murorum progredi in describendo: ita vt primũ extimi, secundò medij, tertiò muri intimi instaurationem describat. Sed si descriptionis ordo penitius inspiciatur, non difficile erit animaduertere, modo earum quæ versus Orientem sunt, modo illarum quæ in Occidentem spectant, mox aliarũ vrbis partium ædificationem referri, magisque personarũ, quàm partium ordinem teneri, & inchoatam partium seriem aliarũ rerum narratione interrumpi. Etsi enim eæ portæ, quæ primo loco recensentur, in extimo lateris vtriusque muro fuerint omnes: tamen à summi pontificis opere exordium descriptionis ducitur, & porta gregis in eo quod Orientem spectat latere fuit: & ab ea ad nullam proximam, verum ad piscariam, quæ in occiduo vrbis latere fuit, transit: & recitata portæ veteris, quæ & ipsa in eodem latere fuit, extructione, rursus in Orientem ad portam vallis venit. Consultissimum igitur erit, authoris ipsius verborum vestigijs insistere, & ordinem eum sequi in exponendo, quem is ipse in describendo secutus est & obseruauit.

CAPVT III.

ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes: & ædificauerunt portam gregis, & sanctificauerunt eam & statuerunt valuas eius, & vsq; ad turrim centum cubitorum sanctificauerunt eam, vsque ad turrim Hananeel.

2 Et iuxta eum ædificauerunt viri Iericho, & iuxta eos ædificauit Zachur filius Amri.

DVOBVS versibus illis, eius, quæ ab ortu fuit, atque ab ouium gregibus appellata, portæ extructionem describit: eo videlicet ordine & modo, vt quid, à quibus, quo modo fuerit instauratum, videamus. Et vt appareat, quid extructum fuerit, cum portam gregis, tum quæcunque inter hanc & Hananeel media fuere loca dicit omnia instaurata fuisse. Portam autem eam, quæ porta gregis hoc quidem loco appellatur, alij portam ouis, L X X. Interpretes προβατικὴ πύλη, πάρα τῶν προβάτων, id est, si ita Latinè dici queat, ouillam portam ab ouibus, Hebræi שער הצאן, à dictione, צאן, quæ & ouem, & totum ouium gregem significat, appellarunt. Eandem nimirum omnes rationem spectarunt: quod videlicet hac porta vel oues, vel greges ouium ad sacrificia destinati ducerentur. Aliàs hæc eadem etiam, vt Liranus annotat, porta mercatorum, ex eo quod mercatores isthic stationes suas haberent, appellata fuit. Porro turrim centum cubitorum, Hebræi מגדל המאה, id est, turrim Mea, vel, si nomen Hebræum appellatiuè accipiatur, turrim centum: LXX. interpretes πύργον τῶν ἑκατὸν, id est, centum virorum aut centurionum turrim vocant. Et videtur non solum ad Hebraicam veritatem propius, quàm vulgata versio accedere, verum etiam esse verisimilior ac rectior hæc eorum translatio. Nam & cubitorum nomen in veritatis Hebraicæ verbis nusquam apparet: & valde verisimile est centum nomine centuriones aut centum virorum præsidium intelligi: quando Mosis instituto centuriones olim in Israelijs fuere, ijdemque magistratus à Dauide quoq; & alijs regibus creati memorantur, & in propugnaculo, portæ adeo celebri multorumq; hominum, vt mercatorum & sacrificantium turbis subinde frequentatę, vicino, præsidium locatum minimè mirũ videatur. Centurionum quidem Ex.18. Num.31. Deut.1. 1. Par.27. 2. Par.6 4. Reg. 11. scriptores sancti meminerunt. Existimant autem interpretes vel nomen centurionum principibus viris & ijs omnibus omnino, qui præfecti sunt aliquibus documento esse debere, vt quoniá centenarius numerus perfectionis symbolum habet, ipsi meminerint esse sui officij, vt centuplo fructu fidei præluceant inferioribus eosque exemplo suo ad virtutum studium trahant. Porro turris Hananeel celebre est in sacris literis nomen. Etenim author Paralipomenon lib.2. cap.26. & Iosephus Antiquit. lib.9. ca.11. nonnullas turres scribunt extructas ab Ozia rege circa vallis & anguli portas fuisse: in quibus etiã hæc videtur numerari posse. Meminit autem eius Hieremias cap.31: Ecce (ait) venient dies, dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas ipsi Domino à turre Hananeel vsq; ad portam anguli. Quo loco Hieronymus eos reprehendit, qui Hananeel filium Sallum patruelem Hieremiæ legunt: cum illud nomen per נ Nun, non per ם Mem in veritate Hebraica scriptum habeatur. Dein Zachar. 14. scriptum extat: Et exaltabitur & habitabitur in loco suo à porta Beniamin vsquè ad locum portę prioris & vsque ad portam angulorum: & à turre Hananeel vsque ad torcularia regis. Vbi Hieronymus iterum emendat lapsum Græcorum & Latinorum librariorum, qui Hanameel, pro, Hananeel legunt. Cum autem huius turris nomen Hebræum gratiam, misericordiam, donum Dei, si interpreteris, significet: non alienum est à vero, Christum filium Dei, in quo cum cœlestis pater nobis reconciliatur, tum quasi in tuto perfugio atque propugnaculo credentes securè conquiescunt, hac ipsa repręsentari. Atque hæc quidem loca ab Eliasibo summo pontifice & fratribus eius ædificata memorantur. Is fuit eius, qui proximè ante eum hoc officio functus est, Ioachimi filius: Iesu illius, qui cum Zorobabele primum Babylone egressus erat, nepos. Huius fratrũ nomine partim agnatos, partim collegas ipsius dici rectè putatur: quando more Hebræorum, vt aliàs est dictũ, agnati, collegæ, eadem terra oriundi fratres dicebantur. Eliasibus ille, si nomen eius exponatur, Deum sedentem significat: propterea q; nomine pariter & officio Christum filium Dei repręsentat, qui verè est sedens Deus, & acceptum à patre regnum administrat. Is portã illam tunc instaurauit, cũ pro nobis in perpetuas miserias lapsis ouibus, agnus Dei ipse in ara crucis mactatus fuit. Qua in ædificatione fratres eius, hoc est, non solum apostoli & ecclesiastæ, verum etiam omnes homines Christiani, qui sunt, vt ait Petrus apostolus, regale sacerdotium, præclaram & vtilé operam ei nauant, quoad officium faciunt suum, & exemplum ipsius præeuntis strenuè sequuntur. Quomodo vero Iudęi illi in eo negotio versati fuerint, vno sanctificandi verbo declaratur. Id enim, quoniam studium quoddam singulare significat: indicat eos huic vrbis parti firmandæ pariter & ornandę quanto maximo potuerint opere studuisse. Quę res etiam nos admonet, vt ne in opere Dei negligentes simus: sed id operam demus, quo sic luceat lux nostra coram hominibus, vt visis bonis operibus nostris ad colendum & laudandum patrem cœlestem magis excitentur. Atq; huius extructione portæ Nehemias & Eliasibus & socij reliqui videntur id egisse, quod Hieremias & Zacharias locis paulo antè citatis futurum prædixere, quodque spirituali quodam modo à Christo & Christianis eum præstitum est olim, tum quotidie præstatur. Quocirca Iudæos ac Christianos Iudaizantes, qui illa vaticinia ad aliam quampiã in his terris adhuc erigendam Hierosolymã perperam trahunt, iure D. Hieronymus in suis ad Hieremiam commentarijs reprehendit. Illud nobis

potius erat cogitandum, quod Christus Iesus, qui quidem est nostrum Pasca, & agnus Dei tollens peccatum mundi, & purus is qui nobis apud Ezechielē depingitur aries, inde ex eo horto, in quo proditus est & captus, per illam portam in vrbem introductus pro nobis condemnatus & mactatus, hanc nobis aperuit, imò sesa præbet ipse portam, qua in cœlestem ciuitatem oues errantes inducerentur.

Hæc autem secundo versu compræhensa appendix, qua alij quoque nonnulli, vt viri Hiericho, & Zachur filius Imri suam in ædificando opem Eliasibo attulisse memorantur, indicio fuerit haud obscuro: non vrbanos solos vrbis instaurationi suam operam impendisse, verum etiam ex vniuersa Iudæa ac Galilæa plurimos alios ad illud opus perficiendum confluxisse. Qua in re profecto præclara nobis sunt recondita documenta. Eorum primum in ipso Nehemia cernitur. Is quoniam in huius operis societatem non ciues solos, verum alios etiam aliarum Iudææ ciuitatum incolas suscipit, non obscurè significat, se nec adeo superbum esse & arrogantem, vt quasi pares huic operi perficiendo vires habeat solus, sic aliorum omnium operas repudiet: nec ita laudis auidum atq; inuidum, vt tantæ tamq; præclaræ rei confectæ gloriam alijs præreptam, sibi soli partam velit: verum adeo addictum publicæ gloriæ & vtilitati, vt quorumuis studia atque officia gratissimo animo arripiat atque amplectatur. Quæ res docet, contemnendum esse neminem, nec vllius quantumuis abiecti ciuis operam repudiandam, siquidem animo bono offeratur. Nam vt vulgo Germani dicunt, duo plus vident ac præstare possunt, quàm vnus: nec vni sunt omnia data. Sed & odium & inuidiam attrahit arrogantia, quando hominem sic effert, vt posthabitis amicorum aut sociorum operis ac consilijs res communes solus gerat. Quare etiam Petrus defensionem pro missione spiritus sancti nisi reliquis apostolis in societatem actionis eius ascitis non suscepit. Alterum documentum in Hierichuntinis ciuibus elucescit: qui specimen eximiæ pietatis edunt, quando se pontifici & sacerdotibus cæteris in ædificando proximos sistunt. Hierichus enim illa amœno & fertili loco sita, & aquas nacta dulces ac fœcundas, quæ nocentes & amaræ fuerant antea, & è cineribus veteris Hierichuntis, quam Iosua solo æquarat, suscitata, ac veteri illa multo clarior celebriorque fuerat. In quo tria Dei beneficia maxima huic oppido præstita lucent. Quorum primum est situs, qui velut apud Iosephum de bello Iud. lib. 5. cap. 4. describitur, excellens fuit. Etenim sita ad latus ardui & benelongi montis fuit: in amplissima planicie, quæ campus magnus appellatur, à Gennabara ad lacum Asphaltitem protensa, habens CCXXX. stadiorum longitudinem, & CXX. latitudinem, Iordane amne mediam perfluente. Ac licet is mons adeo sterilis sit & incultus, vt habitari nequeat: in eius decliuio tamen balsamus seritur, humilis arbuscola viti similis, quæ æstate aliquoties incisa, suaueolentem liquorem, quem opobalsamum vocant, effundit. Quod beneficiū huic ciuitati soli datum Plinius & Iustinus scribunt. Estque propterea credendum, quæ in Ægypto & Cælesyria quoq; prouenire Strabo & Dioscorides tradunt, non esse tantę præstantię, ideoq; præ Hierichuntinis illis nulla putari. Illud beneficium adeo fertilis & salubris & amœni situs quoniam diuinæ promissioni terram lacte & melle manantem offerenti pulchrè conuenit, gratissimis animis erat accipiendum, & omnia pietatis officia requirebat. Alterum beneficium illo non inferius fuit, quod Helisæus ope diuina pristinas eis aquas, quę pestilentes fuerant, perpurgarat, tamq; dulces ac salubres effecerat, vt Iosephus testis sit eius fontis aquas ab accolis mirum in modum commendari. Qui ipse etiam indicat hanc à propheta gratiam ciuibus illis redditam pro eo, quod ipsum humanius ac liberalius excepissent. Extat hæc historia in 4. lib. Reg. 2. capite Sed & hoc nomine beneficium illud magnifaciendum fuit, quod & corpora salubri potu reficeret, & animas miraculi præstantia adiuuaret. Quocirca minimè sit mirandum, si illis ad sanctam ciuitatem, quæ religionis & sapientiæ diuinæ schola futura fuerat, suscitandam maximo incitamento fuit. Duobus his beneficijs Dei tertium illud accedebat, quod veteris anathematis onere esset leuata, sicq; in integrum restituta, vt illam priorem opibus, gloria, celebritate nominis superaret. Nam Iustinus, Plinius, Strabo, Tacitus, alijque graues Scriptores eius rerū meminerunt. Quod nemo non in beneficij maximi loco ducendum censet. His addendū etiam esset, qood primum Helisæi, post ipsius Christi sermonibus & miraculis ad veri Dei notitiam, atque in beatæ vitæ viam introduci potuere. Pro tantis Dei in ipsos beneficijs par erat, vt erigendæ ei, quæ ecclesiæ Dei sedes erat futura, ciuitati suam operam etiam ipsi locarent. Cumq; id præstiterint præ cæteris egregiè: exemplū gratitudinis eximium præbent: quam præsertim erga Deum meminerimus obseruandam. Porro Zachur, filius Amri dicitur, ad constituendam differentiam inter hunc & eum, qui filius Masma fuit: cuius in Genealogia Simeonis, 1. Para. 4. v. 24. fit mentio. Nomen ipsum, si interpretemur, significat memorem, vel, memorantem. Nec parum conducit ad suscitandam in animis humanis gratitudinem, diuinitus accepta beneficia cum tenere memoria, tum honoratè & cum quadam gratiarum actione commemorare. Est autem & alius Num. 13. eodem vocatus nomine, qui pater Samuę fuit.

fuit. Quis hic fuerit, ignoratur: verisimile est, virum illustrem, & vel Hierichuntinum fuisse ciuem, vel vicinis in locis habitasse.

3 Portam autē piscium ædificauerunt filij Asnaa: ipsi texerunt eam,
& statuerunt valuas eius, & seras, & vectes.
4 Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Vriæ, filij Vriæ, filij Ac-
cus: & iuxta eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, filij Mesezebel:
& iuxta eos ædificauit Sadoc filius Baana:
5 Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: optimates autem eorū non
supposuerunt colla sua in opere domini Dei sui.

Explicata structura portæ gregis, qua ad montem Oliuarum, & in omnes Orientis partes iter erat: iam tertio, quarto, quinto, versibus portę piscium, & eius qui ab Occidente claudebat vrbem muri partium structuram perstringit. Qua in re eum ipsum, quem prius erat secutus, ordinem seruat: nempe vt quid, quo modo, à quibus, quidq. sit extructum, ostendat. Ac quid extructum fuerit, portæ piscium nomine positio declarat. Hæc erat in eo muro, qui, quemadmodum modo diximus, ab occidua parte vrbem muniebat: Versus mare videlicet. qua Lyddam, Ioppen, & alia ad maritima loca iter erat. Docet id author Paralipomenon lib. 2. cap. 33. Post hæc (inquiens) ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad Occidentem Gion, in conualle ab introitu portæ piscium, per circuitum vsque ad Ophel, & exaltauit illum vehementer. Piscaria autem hæc vocatur porta, quia pisces & merces ex maritimis oris aduectæ per illam in vrbem inferrentur. Sed & porta Dauidea vocabatur, quod è regione ciuitatis Dauideæ & Sionis montis esset. Hac parte Beda putat vrbem amplius ab Ezechia rege tunc munitam fuisse, cum Senacheribus ei bellum inferret: idque ex 2. Par. 32. capite colligendum dicit. Meminit huius portæ Sophonias primo capite. Vox clamoris (inquit) à porta piscium & vlulatus à Secunda. Earundem autem rerum typum in piscibus Beda monstrat, quarum significationem in ouibus antè commonstrarat. Nam vt Petro dictum est, Pasce oues meas: sic omnibus, faciam vos piscatores hominum, Dominus dixit. Et Christum, qui se esse viam, ostium, & eum omnino, per quem vnum aditus sit ad patrem, dixit, hæc porta pulchrè repræsentat: ita vt quemadmodū per hanc in terrenam illam Hierosolymá pisces, sic in illam cœlestem ciuitatem Dei per Christum homines importentur. Ceterum in hac instauranda quo modo sint versati, docet eo quod dicit; texerunt eam: hoc est, vt Hebraica veritas clarius exprimit, tigna aut trabes imposuerunt: vel tignis aut trabibus eam texerunt. Dein ait: statuerunt valuas eius: hoc est, appenderunt valuas seu ostia. admouerunt item seras & vectes. Ex his colligi potest, earū, quæ cum ad vrbem muniendam, tum etiam ad claudendam & tuendam portam pertinebant, rerum nihil planè prætermissum fuisse: valuis enim & repagulis vrbs, trabibus autem ac tecto porta, muniebantur. Sic in ædificatione ecclesiastica non solum omnia sunt instauranda, verum est, vt omnia sarta tecta conseruentur, enitendum: hoc est, non solum est proponenda atque explicanda sana doctrina, verumetiam hæc eadem rationibus & argumentis aduersus hæreticos confirmanda: nec tantum bonæ leges sunt ferendæ, verum etiam seuera quadam custodia ac vindicatione erunt eædem aduersus improborum hominum petulantiam & libidinem tuendæ & integræ conseruandæ. Personæ ædificantes etiam ipsæ recitantur: vt filij Asnaa, qui apud Hebræos Senaa nominantur: vt Marimuth filius Vriæ, non illius Hetæi, sed eius, qui filius Accus fuit: vt Thecueni, qui nimirum Thecuæ ciuitatis incolę fuerunt. Ea circiter duodecim millium passuum spacio ab vrbe sita fuit. Quin eam admodum vrbi vicinam fuisse id argumento esse potest, quod Hierosolymis fugientium clamorem ac strepitum isthic auditum iri D. Hieremias cap. 6. vaticinatus est olim. Quanquam D. Hieronymus indicat, ætate sua quendam vicum Thecuæ nomine appellatū vicinum admodum ei, quæ Helia vocabatur, nouæ Hierosolymæ fuisse. Fieri vero continuis illis eisdemque grauissimis bellis potuit, vt quæ pulcherrima quondam ciuitas fuisset, in pagum postea redigeretur. Amosi prophetæ patria Thecua vetus fuit. Ex hac etiam sapientem mulierem Ioabus dux accersiuit, quæ apud Dauidem regem pro Absolone est vsus internuncia. Quam ad narrationem annotant Hebræorum doctores, hoc oppidū optima ingenia tulisse. Præclarè ergo Thecueni illi suo officio respondent, cum ad ecclesiæ commoda promouenda solertiæ suæ fructum omnem conuertunt. Secus autem eorum optimates, de quibus hic dicit, non supposuisse eos colla sua ad opus domini Dei sui. Quę verba in veritate Hebraica non habentur omnia: quando nomen Dei in his est prætermissum. Rectius ea Vatablus exponit: Qui ditiores & nobiliores inter eos erant, hi noluerunt colla sua submittere in opere instaurationis sub iugum præfecti sui. Erant sine dubio sui quibusque ædificantium turmis certi præfecti: & suo præfecto has aut illas operas im-

porta piscium

peranti Thecueni proceres obedire recusarunt. Est autem hæc à bobus, quorum ceruicibus iuga imponuntur, tracta metaphora: vt quemadmodum boues, quorum ceruices ad iugum factæ sunt, si id repellant ac refugiant, peccant: sic qui patriæ reique publicæ prouehendæ diuinitus sunt conditi, & opibus, viribus, honoribus aucti, si iuuare eam nolint, grauiter peccant. Quotquot autem in restauranda porta piscaria laborarunt, hi typum Christi, apostolorum, Euangelicorum præconum omnium typum præ se ferunt: quippe quos hominum piscatores Christus fecit: quorumq; magnam olim futuram copiam multis est oraculis prænunciatum. Velut Hierem. 16. Ecce ego mitto multos piscatores. Et Ezechiel. 47. Erit magna piscatio. Matth. 13. Simile est regnum cœlorum verriculo iacto in mare, & ex omni genere contrahenti, &c. Thecuenorum autem optimates seruum eum repræsentant, qui talentum suum linteo obuolutum humi defodit: eum item qui manu admota aratro, quid retro atque à tergo fieret, respexit atque curauit. Nec frustra notatur eorum ignauia: nimirum vt ipsorum, qui suam operam patriæ negarunt: vt Ionæ, qui refugit onus prædicationis sibi diuinitus commissæ: vt Demadis, qui præsens seculum amplexus est, & similium vestigia deuitemus.

6 Et portam veterem ædificauerunt Ioiada filius Phasea, & Mosol-
lam filius Besodia: ipsi texerunt eam, & statuerunt valuas eius, & seras
& vectes:
7 Et iuxta eos ædificauerunt Meltias Gabaonites, & Iaron Moro-
nathites, viri de Gabaon & Maspha, pro duce qui erat in regione trans
flumen:
8 Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia aurifex: & iuxta eum
ædificauit Ananias filius pigmentarij: & dimiserunt Hierusalem vsque ad
murum plateæ latioris.
9 Et iuxta eum ædificauit Raphaia filius Hur, princeps vici Hie-
rusalem.
10 Et iuxta eum ædificauit Iedaia filius Haromaph contra domum
suam: & iuxta eum ædificauit Hatus filius Haseboniæ.
11 Mediam partem vici ædificauit Meschias filius Herem & Hasub
filius Phahatmoab, & turrim furnorum.
12 Et iuxta eos ædificauit Sellum filius Alohes princeps mediæ par-
tis vici Hierusalem, ipse & filiæ eius.

Sexto & reliquis ad decimum tertium vsque versibus omnibus portæ veteris & vicinarum vrbis partium ædificatio eodem quo superiores ordine & modo describitur: nempe vt quid, quo modo, à quibus sit ædificatum, videatur. Ac quid ædificatum fuerit, portæ veteris appellatione declaratur. Ea, quemadmodum Lyranus indicat, etiam alio nomine Iudiciaria, nimirum à subsellijs iudicum ad cuiusque oppidi portas positis appellata. Velut in Absolonis historia videre est, 2. Reg. 15. Absolonem circa portam eos, qui ius suum requirerent, appellasse, & cap. 19. Dauidem in porta consedisse. Huius portæ nomen apud Hebræos significat aliquam mutationem, seu ea in vetustatem, seu in somnum fiat. Per hanc portam Christus in eum, qui Golgatha appellatur, locum, ad supplicium eductus est. Beda putat eum, qui 1. Ioan. 2 extat, de mandato veteri locũ ad illam portam referri posse: ac portam veterem Hierosolymis tunc ædificari, cum verbum fidei ac dilectionis, quod ab initio sanctæ ecclesiæ traditum est, vel recuperari in errantibus, vel in recens credentibus cœperit institui. Hinc fortasse etiam hoc est colligendum: quod vt Adamus primus creditur in hoc loco obdormiuisse atque ex eius latere Heua mater viuentium exempta est: sic Adamus Secundus nempe Christus eodem loco obdormiuit, atque ex eius latere vita credentium, sanguis & aqua promanarunt. Quæ res etiam nos ipsos, qui in peccatis nostris obdormiuimus, admonet, vt in vitam nouam euigilemus, & deposito homine veteri nouum hominem induamus. Quam in sententiam multa Rom. 6 Ephes. 4. Coloss. 3. 1. Pet. 4. præclarè scripta extant. Verum, vt redeamus ad historiam, ipsorum ædificantium multitudo non obscurè significat, alia quoque præter hanc portam complura loca restituta in integrum fuisse. Si modum in ædificando obseruatum libeat inuestigare: eum Nehemias refert, quem in superioribus seruatum commemorauit: videlicet impositum tectum, appensa ostia, affixas seras, admota repagula. Ad eundem omnino modum Doctores arbitrantur, eam, quæ est de fide Christiana doctrinam sic esse inchoandam, & eo vsque producendam, dum in tectum perfectionis vsque erigatur: integram etiam proponendam, protra-

ctis sci-

ctis scilicet quasi in apricum peccatis, proposito iudicio Dei, promissa gratia ac remissione peccatorum, & vitæ æternæ possessione. Quemadmodum item valuæ seu ostia intruducendis & emittendis, itemq; vel occludendis vel arcendis hominibus seruiunt: sic ad instructionem & consolationem, ad coërcitionem & confutationẽ doctrina sana adhibetur. Et vt seræ obstant insidijs, sic vectes aduersus vim apertã valent. Docet etiam Dominus quàm bene munita sit ecclesia Matth. 16. & quo modo muniatur, Matth. 7. Quæ res omnis huc est referenda. In eorum qui ædificarunt numero primus Ioiada filius Phasea nominatur: alius ab eo scilicet, qui filius pontificis Eliasibi fuisse infra cap. 12. dicitur. Mosollam deinde filius Besodiæ: alius ab eo, qui supra v. 4. Barachiæ filius appellatur. Sed & alij duo de Gabaone & Maspha ciuitatibus vers. 7. nominantur. Ac Gibeon quidem siue Gabaon Hiuæorũ olim princeps ciuitas fuit, quinquaginta stadijs Hierosolyma distans, vt Egesippus tradit: Beniaminitæ tribus propria ac postea filijs Aharonis assignata Ios. 9. & 10. 18. 21. 3. Reg. 3. 1. Par. 9. 15. 22. 2. Par. 1. Maspha autem siue Mizpa non videtur ea ciuitas dici, quæ in regione extra Iordanem sita in duarum & dimidiæ tribuum ditione, quam olim transijt Iephtes: sed illa in Iudæa vicina admodum Hierosolymæ: celeberrima quondam ob frequentes isthic habitos cõuentus: veluti cum Iephtes dux crearetur: cum Samuelis temporibus bellum Philistæis inferendum decerneretur: cum Saulus rex crearetur: cum vrbe euersa Nabuchodonozor Godoliã Iudææ præfecisset, & ad eum populus omnis in illam ciuitatem confluxisset: cum metu Macedonum omnes Iudæi inde ex vrbe ad Iudam Machabæum se conferrent. Iam vtriusque ciuitatis incolæ gratos sese exhibent Deo, quando pro tantis in ipsorum maiores collatis beneficijs hanc Deo gratiam reddunt, quod vrbis eius, quæ sedes esset ecclesiæ Dei, instaurationem suo quoque studio suaq; opera iuuant. Quin & eo ipso laudem merentur, quod adeo beneficos se se & fideles Hierosolymitanis vicinos præstant. Illa vero clausula, pro duce, qui erat in regione trans flumen, quę sub finem septimi versus ponitur, quodã modo videtur innuere: quod isti Gabaonij & Masphani vel iussu, vel sumptibus, vel etiam vice TransEuphratęi ducis alicuius in hoc opere laborarint. Quam sententiam Lyranus quidem recipit ac sequitur: quando scribit hominem illum, & si esset Ethnicus, tamen Iudæorũ conatibus sic fauisse, vt in nonnullos Iudæos isthic laborantes maximus non grauatè fecerit sumptus. At LXX. Interpretes sententiam aliam, eamq; vt ego quidem existimo, probabiliorem sequuntur: quando Hebræa verba illa, לכסא פחת עבר הנהר reddunt hoc modo: ἕως τοῦ θρόνου τοῦ ἄρχοντος τοῦ πέραν τοῦ ποταμοῦ: id est, vsque ad thronum principis eius, qui trans fluuium erat. Qua versione videntur indicare locum aliquem Hierosolymis fuisse, & eum ipsum fortassis extra vrbis mœnia, in quo solium præsidi, & subsellis assessoribus ius dicentibus posita essent: ad quod tribunal vsque murus ab his deductus esse videatur. Atque hanc sententiam Gallicæ pariter & Italicæ versionum authores sequuntur. Quæ sententia multis rationibus astrui potest. Nam & verisimile est in vrbe ea, quę caput gentis huius esset, atq; à vicinis populis quamplurimum frequentabatur, complures principes viros sua palatia, solia, subsellia, in quibus, quoties res postularet commorari, causas cognoscere, ius dicere, commodè & cum dignitate possent, isthic habuisse: & contrà sit alienum à vero, quenquam inter Samaritanos proceres fuisse, cui impunè liceret Iudaicis rebus non solum apertè fauere, verum etiam opem suam afferre. Adhæc accedit id etiam quod Hebræa verba, si propriè vereq; exponantur, eundem planè exprimunt sensum.

Octauo deinde versu plures, qui in hoc opere laborarunt, nominantur. Vt Eziel quidam aurifex. Vbi Nomen Hebræum צרפים eos significat, qui probare & purgare metalla à fece & sordibus possunt: LXX. πυρωτὰς quasi illos, qui in igne operantur, vertunt: quemadmodum & ipsum verbum צרף adurere & igne excoquere non vt שרף, penitus comburere & flammis absumere, significat. Huic annumeratur & Ananias filius pigmentarij. Significat autem רקחים pigmentarios: quos LXX. interpretes μυρεψὸς, id est, eos qui vnguenta vendunt, vertunt. Italicæ & Gallicæ & quarundam Latinarum versionum authores ipsum nomen Hebræum, quasi proprium esset, apponunt non explicatum. Quod autem eodem versu scribitur: dimiserunt Hierusalem vsque ad murum plateæ latioris: id sic est accipiendũ: vt עזב, id est, relinquendi verbum, pro חזק, id est, muniendi seu firmandi verbo positum aut acceptum arbitremur. Id enim Ex. 23. capite itidem factum legimus. Quod & Vatablus & Gallicæ versionis author, & Interpres Italicus alijq; probant. Vnde & LXX. Interpretes verterunt, ἔθηκαν, id est, statuerunt.

Versu nono Raphaia princeps vici Hierusalem nominatur. Quo loco tenendum est, פלך minimè malè vicum verti: quando, vt Vatablus & scholiastes Italicus rectè admonent, vrbs hæc perinde vt Roma in certas quasdam regiones videtur distributa: & huic regioni ille præfectus fuisse: sicut postea Sellum princeps alterius vici partis dimidiæ præfectus fuisse dicitur. Nisi quis existimet eiusdem vici dominos illos fuisse.

Vndecimo versu Pahat Moab dicitur: vbi nomen Hebræũ aliqui pro appellatiuo accipiunt,

& aliquem ex Moabitis principem virum fortasse proselytum etiam hic laborasse putant. Eodem versu turris furnorum siue clibanorum fit mentio: cui fortassis nomen illud, vel à forma clibanum referente, vel ex eo quod lateres isthic coquerentur, datum. Sunt qui lucernam semper ardentem isthic pependisse existiment. Quod ipsum, siquidem maris littori vicinior vrbs fuisset, facilè credi posset.

Duodecimo versu Sellumi filiæ etiam ipsæ inter ædificantes referuntur: seu quod essent viduæ diuites, seu quod aliquid muliebribus animis atq; viribus maius præstarent.

13 Et portam vallis ædificauit Hanum, & habitatores Zanoe: ipsi ædificauerunt eam & statuerunt valuas eius & seras & vectes, & mille cubitos in muro, vsque ad portam sterquilinij.

Hoc versu portę eius, quę porta vallis appellatur, ædificatio describitur. Erat autem porta vallis ad Orientalem vrbis plagam posita: sicut indicant notæ situs eius. Quanquam autem ei nomen à valle datum minimè dubitetur: tamen cum aliæ quoque valles vrbi vicinæ fuerint, à qua potissimum hæc sit appellata, dubitat Beda. Et est sanè vallis Gihon ad occiduam oram sita, cuius author Paralipomenon meminit lib. 2. cap. 33. Post hæc (inquiens) ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad occidentem Gihon in conualle. Rursus est vallis Iosaphat in Scriptura sacra admodum celebris: vt quod Iohel propheta 3. cap. iudicij in illa valle olim habendi meminit. Quo de loco multæ sunt & variæ sententiæ. Hanc autem portam D. Hieronym. alio quoq; nomine portá Ephraim appellatam fuisse in Tradit. Hebraic. scribit, cum Amasiæ regia res exponit. Verum ea porta videtur ad Septentrionem spectasse, qua parte ad Ephraimios iter ex vrbe fuit. In eo ipso vero quod de porta illa dubitat, etiam sacramentum quoddam reconditú fuisse putat Beda: videlicet ijs, qui vel in vitæ sanctimonia, vel in fide testaurati sunt, humilitatem præcipi: vt in ima abiecti per gratiam Dei rursus euehantur. Veluti Petrus indicat 1. Pet. 5. Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam. Et Psalm. 64. Et conualles abundabunt frumento, id est, humiles abundabunt donis supernæ refectionis. Ego vero, cum vicinos locos, quorum supra 2. cap. facta mentio fuit, considero: nomen huic portæ datum ab Iosaphat valle crediderim. Sunt enim huic vicini loci fons Draconis, porta stercoris, porta fontis, aquęductus regis: qui sunt omnes Orientales. Et hæc vallis erat inter Oliuetum & vrbem media. Meminit huius quoque Iosephus lib. de bello Iud. 5. cap. 1. cum Zachariam filium Baruch in templo occisum, & in Iosaphateá vallem abiectum fuisse refert. Existimant autem aliqui nomen illud huic ex eo datú, quod Iosaphatus rex hinc inde iudices constituit, eisq; leges præscripsit vt est 2. Par. 17. scriptum. Alij putant in hac ipsa valle iudicium illud vltimum, in quo omnes ad tribunal Christi sistemur, habitum iri: idq; partim vallis nomine, partim ijs Zachariæ verbis, quæ cap. 14. libri illius habentur, confirmare nituntur. Nomen vallis שפט Dominus iudicat, significat. Id certum est, Dominum iudicem futurum: quippe cui iudiciú omne sit à patre datum Ioan. 5. & ipsius ad iudicium aduentus & iudicium ipsum Matth. 25. 1. Thess. 4 & alibi describuntur. Sed & Paulus huius aduentus & iudicij passim mentionem facit. An vero vallem illam velit esse locum, in quo iudicium illud fiat, aliunde erit, quàm ex nomine confirmandum. Porro Zachariæ locus sic habet: Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem, &c. Hæc verba typum quendam huius iudicij præ se ferre fortasse possunt: sed commodius transferuntur ad eas Iudæorum miserias & calamitates, è quibus Deus erat fideles erepturus. Quicquid sit, ab hac valle nomen illi portæ datum crediderim ijs de causis quas adduxi. Munierat eam Ozias rex propè ipsam extructa turri: sicut 2. Par. 26. legitur. Per hanc Nehemias ad fontem Draconis exierat, vt supra cap. 2. dicitur. Existimant autē hac porta significari vallem lachrymarum aliqui, nempe mundum hunc vniuersum, qui sit adeo multis ac varijs expositus miserijs & ærumnis: vt quem locum quietis & tranquillitatis plenissimum fore sperauerimus: in eo molestias & miserias maximas reperiamus. Qua de valle Psal. 23. dictum sit: Etsi per vallem vmbræ mortis sit eundum, non timebo mihi: quia tu mecum es, & sceptrum tuum me consolatur. Hac porta Christiani quondam oraculo admoniti de imminente vrbis exitio, Pellam exierunt, teste Eusebio Eccles. hist. lib. 3. cap. 5. Hac etiam ad Iordanem iter erat ad conciones Iohannis Baptistæ, quæ Luc. 3. Matth. 3. Marc. 1. &c. describuntur. Ab hac porta ad portam sterquilinij vsque, quicquid instaurandum fuit, effectum dederunt illi. Quæ res operis eius magnitudinem significat & præstantiam: qua & ædificantium virtus commendatur, & in ædificio spiritualis Hierosolymæ pariter adhibenda vice exempli proponitur. Nominat autem Nehemias, vt solet, ipsos etiam ædificantes: ne quem merita laude sua destituat: scilicet Hanum & habitatores Zanoe. Chanum autem significat gratiosum & misericordē, eoq; Christum pulchrè repræsentant, in quo

habitat

habitat gratiæ & thesaurorum Dei plenitudo, seque exerit misericordia, quanta nullis verbis efferri potest. Quibus rebus fit, vt ad instaurandos asseclas suos non solum mirum in modum propensus, verum etiam solus sit aptus. Zanoa autem Iudeæ ciuitas fuit, cuius princeps aut præfectus fortassis is fuit, qui nominatur hoc loco. Est autem hoc eorum pietati tribuendum, quod & si Hierosolymis ipsi non habitarent, tamen eius instaurationi suam operam nihilominus nauarent. Hoc ipso testantur agnoscere sese, quod non sibi solis suisque commodis prouehendis procreatos sese existimarent: verum potius vellent, vt debebant, ortus sui partem ecclesiæ, partem afflictis eius præsidioque omni penitus nudatis membris impertire. Quo exemplo monemur, non ad priuatũ commodum nostrum omnia nostra studia referenda, verum eorum ipsorum partem maximam ad augendum publicum bonum conuertendam. Idq; illos præstitisse non minore quàm vrbanos fide & cura, vel id videtur indicare, quod æquè atque illi valuas appendisse, seras & vectes adhibuisse memorantur.

14 Et portam sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Betacharam: ipse ædificauit eam, & statuit valuas eius, & seras & vectes.

Hoc versu portæ eius, quæ porta stercoris appellatur extructio describitur. Quæ nomen hoc ex eo consecuta fuit, quod quisquiliæ & sordes & excrementa hac in torrentem Cedron eueherentur. Qua de re etiam supra cap. 2. dictum est. Et typum hæc res habet ecclesiæ terrenæ sordium, quæ gratiæ cœlestis aquis expurgantur. In ædificantiũ numero principem locum habet Melchias filius Rechab. An ex hoc Rechabo nati sint Rechabitæ illi, quorum meminit Hieremias cap. 35. ne quærendum quidem existimarim: quando Rechabus is videtur multò ante Hieremiæ tempora mortem obijsse, & inde ab ætate Hieremiæ, sint ad hoc Nehemiæ tempus vsque elapsi plures anni, quàm huius Melchiæ ætati tribui queant. Dicitur autem Betharan siue BethAcharam vici cuiusdam, cuius Ios. 13. fit mentio, princeps fuisse. Vtilem autem operam ciuitati nauant illi, qui id agunt vt apertæ sint, & à sordibus perpurgatæ viæ: tum vt vacui sint meatus aquæ pluuiæ, & pateant quisquilijs euehendis. Id enim & ad ornatũ ac decorem vrbiũ, & ad tuendã sanitatem ciuiũ facit: quando cauetur, ne ciuitas perinde ac si pagus quispiam esset, sordibus sit repleta: ac ne infecto aere valetudo ciuium offendatur. Hoc officium ædilium olim Romæ fuit. De quo Cic. in Verr. vij. verba facit. Sed & in l. iij. ff. de via pub. ex Papiniani libro singulari Græcè exscripts lex ædilium officium continens extat. Quare ne, quod alienum est ab vrbana mundicie, sterquilinijs ac sordibus referta vrbs esset, neue sordium harum fœtor, aere infecto, læderet valetudinem incolarum: Iudæi illius portæ & meatuum hac educentium sordes extructione effecerunt, sicque & dignitati & sanitati suæ consuluerunt. Quemadmodum autem ciuitatibus cum decora, tum salubris est externarum sordium expurgatio: sic fœdorum ac turpium morum atque flagitiorũ euulsio tantò ciuitatem omnem magis & decet & iuuat, quantũ præstat animũ quam corpus ornatum atque excultum esse: Expedit igitur suos cuique ciuitati censores esse, qui inde ex his, quicquid deprehenderint rerum malarum ac dedecentium, omne explodant. Videtur etiam ob id omniũ gentium moribus recepti iuris esse, vt rei capitaliũ scelerum extra portas educti plectantur: quasi qui in ciuitate propter enormia scelera tanquam pestes publicæ nequiuerint amplius tolerari.

15 Et portam fontis ædificauit Sellum filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ædificauit eam, & texit & statuit valuas eius & seras & vectes, & muros piscinæ Siloe in hortum regis, & vsque ad gradus qui descendunt de ciuitate Dauid.

Hoc versu portæ eius, quæ porta fontis appellatur, extructio describitur. Ea nimirum est ab aliquo vicino fonte nomen hoc adepta. Quis autem fons is fuerit, nullo posito proprio nomine significatur. Beda & cæteri Doctores fontem Siloam non sine causa putant intelligi. Nam fons Draconis, portæ vallis, & portæ anguli vicinior erat, quàm piscinæ Silue & horto regis, quorum locorum hic fit mentio. Siloam autem fontem D. Hieronymus in Esa. c. 8. scribens, indicat è radicibus Sionis montis, non iuges aquas, sed incertis solum diebus atque horis emittere, & per concauos meatus montis ingenti quodam sonitu effundere. Idem etiam in Hieremiæ cap. 14. annotat, hunc vnum fontem Hierosolymitanis ciuibus fuisse, eusque aqua pluuia destitutos maxima aquarũ inopia laborasse. Verum has illius opiniones ambas, vt pace tanti viri dixerim, nec incertæ, nec infirmæ rationes explodunt. Primum enim quod præter eum fontem negat illis alium vllum fuisse: idipsum cum Strabo alijque probati authores, tum hæc ab Nehemia scripta historia, refellunt. Et

Strabo quidem lib. 16. testator, [illegible], id est, finitimam circumcirca terram sterilem quidem & siccam illam, ipsum autem solum, in quo fuit vrbs hæc olim condita, [illegible], id est, saxosum & aquis abundans esse. Huic testimonio Strabonis illi quoque suffragantur, qui non modo complures vrbis huius fontes recenseot, verum etiam contendunt paradisum eo ipso loco olim fuisse, quo Hierosolyma postea condita fuit, Idque probari quatuor paradisi fluuijs in huius vrbis solo commonstratis. Eidem etiam testimonio historia Ezechię regis astipulatur ea, quæ 2. Par. 32. proponitur. Hæc enim perhibet, Ezechiam, cum omnem Assyriaci belli molem animaduerteret, in vnam Hierosolymam conuersum iri, inito cum proceribus regni consilio, fontes vndiquaque obstruxisse, nempe vt Assyriorum exercitus aquis omnibus destituerentur. Quę res euidenti indicio est, non vnum solum fontem illis fuisse, sed & hæc ipsa Nehemię historia aliorum quoque fontium mentionem facit. Quod deinde perhibet aquas fontis huius ingenti quodam sonitu effluere: id videtur Esaiæ verbis illis, quæ extant cap. 8. de Siloensis fontis aquis placidè promanantibus confutari. Verum his prætermissis rebus, aliud est potius considerandum, quod hoc fonte dato, magnum Deus illis cum beneficium, tum miraculum dedit. Et si enim fons aquæ perennis omnis ingens miraculum sit ac videatur: fit tamen eorum ipsorum quotidiano & perpetuo quodam vsu, vt minus id consideremus ac miremur: sicut à paucissimis ac perraro considerantur cum multa alia naturæ miracula, quæ præsertim cognitis causis vilescunt, tum præcipuè hæc admiranda diei & noctis, itemque hyemis & æstatis vicissitudo. Ac fuit hic fons cum mirabilis, tum vtilis illis: sicut Esaias & Hieronymus in ijs, qui paulò antè adducti sunt, locis docent. Suntque hæc beneficia Dei, quæ tam in admirationem conditoris adducunt animos humanos, quàm peculiares aliquas corporibus afferunt vtilitates, inprimis magnifacienda: cuiusmodi sunt nostræ & aliarum gentium thermæ, quæ tum quod perpetuom retinent & ignibus nullis accersitum calorem, magno sunt miraculo, tú quia valetudini reparandæ conducunt, ingentes accolis afferunt vtilitates. Eodem numero censenda sunt etiam balsama, quæ Hierichuntinæ ciuitati diuinitus tributa legimus. Huc referemus item datas nonnullis terris metallorum venas, & fontes salis. Inprimisque est considerandum, quod tam multa in aquis edita miracula grauissimi scriptores attestantur. Cuius generis sont quæ Plinius lib. 31. cap. 2. refert de Tamaricis fontibus qui sunt in Cantabria: quorum tres octonis pedibus distantes in alueum vnum coeunt, singulis diebus duodecies siccantur, interdum vicies, citra aquæ suspicionem omnem: cum tamen ipsis fons sit vicinus sine intermissione aquæ largus, vt ait Plinios. Et in Iudæa, ait, riuus sabbatis omnibus quiescit: nimirũ sabbateum amnem intelligens, de quo multa Iudæi fabulantur. In Dodone Iouis fontem memorat esse gelidum, qui immersas faces extinguit, extinctas, si adhibeantur, accendit: idem etiam deficit circa meridiem, mox increscens ad medium noctis exuberat: vnde & [illegible], id est, eum, qui decursui suo quietem interponat, appellant. Idem author est alibi, Iouis Hammonis fontẽ interdiu frigere, noctu calere. Atque hoc modo fons Siloensis, quia mirum quiddam præ fontibus alijs habuit, admirationi pariter & vtilitati maximæ fuit: adde etiam, monumentum aquæ eius, quæ nó nisi petram percutiente Mose emanabat. Quamobrem & fons ille, vel ob miraculum cum beneficio coniunctum, dignus fuit, cuius nomine hæc porta appellaretur: & ipsa porta quoq; fuit digna quæ restauraretur, nempe vt hac intrantes pariter ac exeuntes, siue haurirent, siue non attingerent aquas illas, saltem ipso vsu portæ simul quoque fontis admonerentur. Qua de causa minus est mirandum, quod inde nonnulli allegorias promunt. Et Beda quidem dicit, portam fontis ædificari in Hierusalem, quando ordinantur in ecclesia Doctores, qui fidem doctrinæ æternitatis populis prædicent. Est enim Deus omnis fons boni, quippe è quo promanant tam corporibus quàm animabus humanis reficiendis vtiles aquæ. De quibus etiam psal. 35. dicitur: quoniam apud te est fons vitæ: in lumine tuo videbimus lumen. Atque ad has cogitationes in animis humanis suscitandas ipsum etiam fontis nomen adducit: quando Siloa missum quempiam Hebræorum lingua significat: eoque nobis indicatur, nó solum fontem coniunctum cum miraculo beneficium patris cœlestis esse, verum etiam sempiternum illum cœlestis aquæ fontem, filium Dei, qui in orbem mittendus fuit, repræsentari. Qua de causa Christus apud Ioan. cap 8. sanato cæco, probat se fontẽ eum esse, cuius aquis humanæ cæcitatis lutum ab humanæ mentis oculis abluatur, vt ipsam Dei lucem videamus. Quo loco præclarè sanè Cyrillus dicit: curationis eius gloriam non ipsi fonti Siloæ, in quo multi loti, alij præter hunc nulli sint curati: verum soli Christo, cuius vis diuina hoc efficięns affuerit fonti, tribuendam: hacque de causa nominis eius notationem ab Euangelista additam, vt Christus fons spiritualis missus ad salutem hominum, & salutis aquas in vniuersum orbem deriuans agnosceretur. Quemadmodum igitur Dominus Esa. 8. queritur de populo ingrato, qui repudiatis Siloæ fontis aquis placidè manantibus ad Rezinum regem Syriæ & Romeliæ filium se conuerterint: eoque plus tribuerint idolis & idololatris quàm Deo & populo Dei: sic hodieque

da Chri-

de Christianis pariter ac Iudæis conqueri iure potest, qui humili & simplici Christo repudiato pompam ac luxum huius mundi sectantur. Quamobrê vt hac porta Christum asina vectum & vrbem intrantem simplex hominum turba, nil morata Pharisæos, honorificè excepit: sic eundem ipsi quoque contemptis vel Antichristi minis ac tormentis, vel illecebris huius mundi pijs animis excipiamus. Porro præter hanc portam etiam piscinæ Siloensis muros instauratos dicit. Quam piscinam censent extra muros vrbis fuisse: nimirum quod è monte Sione emanantes aquæ in eam ipsam colligerentur. Nam, vt R. Dauid indicat, הברכה non fontem sed locum seu lapidibus seu cemento constructum, in quo colliguntur & stagnant aquæ, significat. Cumque solum extra vrbem planè esset siccum: necessitas postulabat, vt quas haberê poterant, has colligerent & conseruarent aquas & incendijs restinguendis, & in alios multos vsus. Ac si Columella reliquiq; rei rusticæ magistri, non vnum piscinarum genus villicis parari volunt, videlicet & pecori atque anieribus, & macerando lino, lupino & talibus rebus atque vsibus necessarias: multò magis opus est magnis & populosis vrbibus hoc genus seu piscinas seu lacunas parari. Illos autem Beda censet in spirituali illa Hierosolyma tunc ædificari, cum ad confirmandum ac stabiliendum in animis humanis incarnationis Dominicæ sacramentum firmissima Scripturæ sacræ testimonia afferuntur. Sed & illi muri sunt, vt indicat author, ad hortum regis vsque deducti: qui nimirum ipse etiam ad radices montis huius, loco fortassis ab hac piscina haud procul remoto, situs fuit. Hebræû nomen גן significat hortum cultum ac non solum arborum frugiferarum omni genere refertum, verum etiam septo cinctum ac munitum: nec minus voluptatis quàm vtilitatis causa plantatum. Vnde & paradisi, quæ vox est à Persarum hortis cultissimis translata, nomine appellant. Nec dubium est quin Solomon olim fieri fecerit hortos cultissimos, qui deinceps vnà cum vrbe sint vtcunq; instaurati. Meminit suorum in Canticis Solomon non vno in loco. Gradus autem illi, quorum itidem meminit, ideo sunt ædificati: vt cum admodum excelsus mons is esset, & ex eo per præcipitia descendi in vrbem minimè facilè posset: per hosce commodius ac facilius descenderetur. Præclara certe ratione factum hoc fuit: vt & regi in vrbem ad inspectionem ciuium descensus facilis esset: & aditus subditis non difficilis etiam ad regem pateret. Typum Christi dixeris, qui non solû ad nos descendit, & humanitatis assumptæ gradibus ad nos venit, verum aperto cœlo, & in id euecta natura humana in ipsum cœlum nobis aditum fecit. Estq; hæc illa scala Iacobo visa, cuius gradibus ascenditur pariter ac descenditur. Quò pertinet etiam quod Psal. 83. dicitur: Ambulemus de virtute in virtutem, & videamus Deum Deorum in Sion. Ædificauit autem hanc portam princeps pagi Maspha. Vbi nomen Hebræum פלך regionem seu vicum significat. Est autem credibile Maspham illam, quæ, ceu ex habitis illic conuentibus colligi potest, nimirum vrbs amplissima fuit, etiam ipsam quibusdam regionibus diuisam fuisse, ideoque illum alicuius in ea regionis præfecturam habuisse. Nisi quis malit vrbi illi vicinam præfecturam dici, cui nomen hoc ab vrbe primaris fuerit datum. Quemadmodum à Susis vrbe nomen prouinciæ Susianæ legimus assignatû. Arcem autem in monte summo conditam ciuitatis Dauideæ nomine appellat: quod ea pars vrbis arx videlicet in Sionis montis supremo loco posita, à Dauide primum esset & expugnata, & ciuitatis Dauideæ nomine appellata, & regis vsibus parata ædificia complecteretur. Quâ de re videre est, 2. Reg. 5. cap. Bethlehemium celebre Iudeæ mediterraneum oppidum etiam ipsum eo nomine apud Lucam præsertim appellatur: nimirum quod Dauidis patria fuit, vt & Christi quoque filij Dei natale solum.

16 Post eum ædificauit Nehemias filius Azboc princeps dimidiæ partis vici Bethsur, vsque contra sepulchrum Dauid, & vsq; ad piscinam quæ grandi opere constructa est, & vsque ad domum fortium.

Versu decimosexto earum vrbis partium, quæ partim in ipso monte Sion, partim in locis ei proximis erant sitæ, extructionem describit. Nominat autem priore loco personas ædificantes, ædificia dein posteriore. Ædificantium princeps est Nehemias: non is qui libri illius est author: sed filius Azboc princeps dimidiæ partis Bethsur. Fuit autem Bethsur munitissimum oppidum Iudææ, quinque stadiorum spacio distans ab vrbe, in angustijs montium Gazam versus situm. Valde vero munitum & natura loci, & opere sumptuq; principum fuit. Primum enim Hieroboamus, dein Iudas Machabæus id munierunt: ægerrimeq; est ab Antiocho rege expugnatum, si Iosepho credimus. Eius mentio fit Ios. 15. 2. Par. 11. 1. Mach. 4. & 6. & 14. itemque 2. Mach. 11. Pulchrè quoq; suo nomini respondet: quando domus petræ dicitur, si nomen Hebræum explices: quod perinde sonat ac si firmam arcem nomines. Magni verò beneficij loco fuit, oppidi tam muniti principem vrbi tam amicum fuisse. Est enim valde bonum, reipub fauere eos, qui prodesse ei quamplurimû, & vicinarum gentium incursiones commodè propulsare possunt. Ipsius etiam principis laudibus

hoc debetur, quod virium atq; facultatum suarum vsum atque fructum omnem contulit ad communis patriæ defensionem. Inest atiam huic loco non vulgaris typus Christi. Quemadmodũ enim hoc oppidum vrbi Hierosolymitanæ bono præsidio aduersus omnes hostes ab ea mundi plaga aduentantes fuit: sic ecclesiæ suæ Christus, tutissimum perfugium, & vt spiritus sancti verbis vtar, petra salutis est, aduersus omne periculorum & calamitatum genus. Eius etiam petræ firmitas, vt maximæ est consolationi, sic multis vtriusque testamenti sententijs ac testimonijs est confirmata. Quemadmodum item ex Ægypto in vrbem ascendentibus hac transeundum fuit: sic ex mundanis miserijs & ærumnis in illam cœlestem & sempiternam Hierosolymã per vnum Christum aditus patet. Velut Iohan. 10. ipse dicit: Ego sum ostium. Et, Nemo venit ad patrem nisi per me. Atq; hæc de personis. Ædificia deinceps sigillatim singula numerantur. Ac primum, inquit, vsque contra sepulchrum Dauid. Intelligit autem fortassa gradus illos, quorum antea meminit, & quicquid inter hos ac sepulchrum Dauidis medio interuallo fuit extruendum. Sepulchri Dauidis, author historiæ Regum perpaucis verbis mentionem facit. Hæc enim solum dicit: Dormiuit itaq; Dauid cum patribus suis & sepultus est in ciuitate Dauidis. Petrus ea quam Hierosolymis habuit in ferijs Pentecostes ad populum oratione, de eo sepulchro sic concionatur. Viri fratres, quandoquidam licet libere dicere apud vos de patriarcha Dauid, quod & defunctus & sepultus est, & sepulchrum eius apud nos est, vsque in hodiernum diem. Præterea nihil quod quidem ipse sciam, de eo in sacris literis scriptum extat. Sed Iosephus Antiquit. lib. 7. cap. 12. & lib. 13. cap. 18. splendidum admodum & magnificum hoc sepulchrũ fuisse, in eoque thesauros à Solomone maximos depositos fuisse scribit. Idque eo ipso probat, quod inde ab eo tempore plus minus 1300. annis Hircanus pontifex ipso aperto, in vna tantum eius cella 3000. talentorum inuenerit, hisque vrbem & populũ ab Antiochi obsidione redemerit: tum etiam quod Herodes postea altera quoq; cellula aperta maximam vim pecuniæ inde abstulerit. Quæ Iosephus lib. 1. de bello Iud. cap. 2. & Egesippus lib. 1. ca. 1. narrant. Hinc Beda colligit, Dauidem, non vt quidã autumarunt, Bethlehemij, verum potius Hierosolymis sepultum fuisse: idq; non citra mysterium. Quemadmodum enimirum Dauid Bethlehemij natus sit & vnctus seu inauguratus regno, Hierosolymis dein mortuus & sepultus: sic Iesus Christus de eius stirpe datus, Bethlehemij quidem natus, Hierosolymis autem occisus & sepultus sit. Estq; in hoc etiã præclarus Christi typus: quod vt Dauid regni sui triginta tribus annis exactis mortuus est Hierosolymis: sic Christus alter Dauides triginta tribus annis ætatis in his terris transactis mortem obijt, nosque ab hostibus animarũ nostrarum omnibus redemit. Meminit dein Nehemias etiã eius piscinæ, quę grandi opere constructa fuit. Vnde coniectura est eam dici, quam Ezechias rex, vt lib. 4. Reg. 20. cap. scriptũ extat, fieri fecit. Postremo domus fortiũ meminit, quam Hebræi בית הגברים. LXX. Interpretes Βηθαγαβαρίμ relictis verbis Hebræis: sed in Cod. Compluten. οἶκος τῶν δυνατῶν vocant. Forsan equestris ordinis & nobilium hominum, siue ducum domus fuit, arci regiæ vicina, vt in procinctu, quoties res vsusque regis postularet, essent.

17 Post eum ædificauerunt Leuitæ, Rehum filius Benni: post eos ædificauit Hasebias princeps dimidiæ partis vici Ceilæ in vico suo.
18 Post eum ædificauerunt fratres eorum Banai filius Henadad princeps dimidiæ partis Ceilæ.

His duobus versibus indicat Leuitas etiam ipsos vrbi instaurandæ suam operã nauasse. Quorum exemplo clerici illi, qui pontificem Romanum antistitis summi & capitis sui loco agnoscunt ac teuerentur, hoc nimirum debebant discere, vt etiam ipsi publicis commodis augendis ac tuendis operas & impensas suas non modo non negarent, abiecta iuris specie falsa, verum hoc liberalius impertirentur, quò maiores reliquis ciuibus habent facultates: præsertim cum ad extructionem pontium, ad munitiones viarum, ad ædificationem murorum vrbanorum & propugnaculorum, quę fiunt ad publicam omnium defensionem, vel operæ locantur & conducuntur, vel pecuniæ viritim contribuuntur. Quemadmodum docet Innocentius ad hæc onera teneri quoq; ecclesiam, & idipsum statuentia Honorij & Theodosij Rom. principum placita expressa in l. ad instructiones C. de sacrosan. eccles. probat: quia tales operæ non sint in numerũ sordidorum munerum referendæ. In quam sententiam plerique Iuracosti licet reclamantibus Canonistis multa scribunt: secuti videlicet exemplum & iudicium Christi, qui cum tributa, tum vectigalia persoluit. Vnde & apostoli postea hæc eadem esse persoluenda docuere. Leuitis autem accenset Hasabiam principem dimidiæ partis vici Ceilæ. Quam Iudææ ditionis oppidum fuisse Ios. 15. scribitur. Et 1. Reg. 23. oraculo munitus Dauid ipsam à Philistinis obsessam liberasse memoratur. Fuit id quidem beneficium sanequàm magnum: verum ea tempestate Dauidi, quanta debebatur gratia minimè potuit

refarri:

referri: præsertim obstante potestate & tyrannide Saulis. Iam ergo posteritas gratam voluntatem attestatur, cum vrbis huius instaurationem suis etiam operis & impensis iuuant. Quorũ exemplo nos quoque discimus tantopere studendum gratitudini, vt eorum, qui vel nos, vel maiores nostros olim beneficijs affecerunt, posteris quoque gratiam quantam possumus maximã referamus. Quocirca laudatur suo merito ciuitas Attica, de eo, quod adeo grata memoria tenuit, quæ pro salute patriæ bello persico Aristides egerat: vt eius filias ex publico dotatas è palatio ceu patris patriæ filias ad ædes maritorum deduxerit, Lysimachoque filio cum vim argenti maximã, tum agri centum iugera donarit. Alexander Magnus etiam captis Thebis; patris sui Philippi, qui apud Thebanos obses fuerat, hospites, eorumq; propinquos & agnatos incolumes conseruauit, reliquis ciuibus aut captis aut trucidatis: quemadmodum lib. 13. scribit Aelianus. Memorabilis etiam Dauidis ipsius gratitudo fuit: qui de beneuolentia, qua viuentem adhuc Ionathanũ complexus fuerat, adeo nihil eodem vita defuncto remisit, vt eius posteros summo studio inuestigarit, & inuentos quantis maximis potuit beneficijs & officijs prosequeretur.

19 Et ædificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha, mensuram secundam contra ascensum firmissimi anguli.
20 Post eum in monte ædificauit Baruch filius Zachai mensurã secundam ab angulo vsque ad portam domus Eliasib sacerdotis magni.
21 Post eum ædificauit Merimuth filius Vriæ filij Hattus mensuram secundam à porta domus Eliasib, donec extenderetur domus Eliasib.
22 Et post eum ædificauerunt sacerdotes viri de campestribus Iordanis.
23 Post eos ædificauit Beniamin & Hasub contra domum suam: & post eos ædificauit Azarias filius Maasiæ filij Amaniæ contra domum suam:
24 Post eum ædificauit Bennui filius Henadad mensuram secundam, à domo Asariæ vsque ad flexuram, & vsque ad angulum.
25 Post eum ædificauit Phalel filius Ozi contra flexuram, & turrim quæ eminet de domo regis excelsa, id est in atrio carceris: post eum Phadaia filius Pharos.

Septem versibus illis muri interioris ædificationem describi indicant Lyranus & Beda. Idq; ex eo colligi posse Beda censet, quòd multi contra suas domos ędificasse dicuntur. Lyranus autẽ id hoc ipso probari posse existimat, quod mensuræ secundæ meminit Nehemias. Et Bedæ quidem ratio vtcunque probabilis est: quod res ipsa attestetur, ædes sacerdotum, quę vicinæ templo fuere, extimo muro nequaquam contiguas fuisse. At mensuræ secundæ nomine potius secundam operis in familias ac personas distributi portionem, vel certam quandam vrbis regionem eo nomine appellatam significari ipse quidem iudicarim. Equidem in quarti libri Regum cap. 22. Holda prophetis in vrbis ea parte scribitur habitasse, quæ Misne, siue Secunda fuerit appellata. Suntque eius loci variæ expositiones. Græci interpretes Hebræum nomen ceu proprium esset, posuere. D. Hieronymus in commentarijs ad Sophoniam, Secundam muri portam, scribit in eo climate fuisse, in quo porta piscium fuit. Idem in Quæstionibus Hebr. perhibet, alijs scholam, in qua versata fuerit Holda, alijs alteram totius vrbis partem fuisse, videri. Nec desunt, qui partibus quatuor diuisam vrbem fuisse, & harum secundam hoc loco dici putarunt. Vatablus vel vici cuiusdam vrbani, vel, vt & Pagninus autumat, gymnasij nomen esse scribit. Scholiastes Italicus quandam templo proximã domum, in qua literati de rebus diuinis disputatum quotidie conuenirent, fuisse censet. Anguli vero nomine videtur is locus dici, in quo duo muri coiunguntur, atq; è quo prospectus sit in duas orbis plagas. Quod autem hic vulgatæ versionis author dicit: contra ascensum firmissimi anguli: id & secus scriptum in Hebraicis Biblijs extat, & aliter ab alijs explicatur. מנגד עלות הנשק המקצע: Id est vt vertit Santes, è regione ascensus armorum anguli. Vt Vatablus, ascensus siue gradus armorum. Munsterus, contra ascensum armamentarij quod erat in muri reflexione. Græci, μέτρος δεύτερον πύργου ἀναβάσεως, τῆς συναπτούσης τῆς γωνίας, id est, mensuram secundam turris ascensus contingentis angulum. Porro nomen Hebræum מקצע, quod à קצע abradendi verbo deriuatur, & à nostris flexuræ nomine exponitur, idem omnino videtur esse quod muri incuruitas. מקצע an-

tem non dubium est arma vel armamentarium significare. Verisimile est igitur, in eo loco fuisse quoddam armamentarium vicinum alicui turri in vrbis angulo erectæ & ædificatæ ad defensionem. Et sanè Tacitus scribit in Annalibus, vrbis huius muros sic introrsus insinuatos fuisse, vt oppugnantium hostium latera ad ictus obiectorum paterent.

Vigesimi versus verba ipsa quoque nonnulla ex parte recedunt ab Hebraica veritate. Quod enim vulgata versio habet in monte: id in Hebræis Biblijs legitur hoc modo: אחריו החרה החזיק id est, post ipsum commotus, vel, prorupit, muniuit Baruch. Nam verbum חרה significat æmulatione & ira quadam accendi. Vnde Munsterus dicit eum æmulatione commotum ad opus proruppisse: Vatablus putat eum sibijpsi, qui nondum instaurasset murum, succensuisse: Aben Ezra vero, quod totius operis progressus videret tardiores, ægrè tulisse putauit. Videtur punctis pariter ac literis diuersis, vt hoc modo versum illum verteret, adductum esse: nempe, vt pro segol simplici, & hateph segol, & hireck tria Camez: itemque pro ches litera, he literam legerit. Nam הר montem Hebræis significans nomen ה articulum demonstrantem à fronte recipit: & cum motum ad locum significat tertium ה in fine. Ex quo fit dein vt tribus punctis quæ vocantur Camez suppositis trisyllabum nomen euadat ההרה, id est, montem versus: vel super monte. Cætera in hoc versu satis sunt clara.

Qui vigesimo secundo versu viri de campestribus Iordanis dicuntur Hebræis, אנשי הככר id est viri planitiei. Ac quanquam Iordanis nomen apud Hebræos non habeatur hoc loco: tamen & Vatablus eos dici putat, qui in planitie siue in campestribus Iordanis habitarent & nihilominus suas etiam Hierosolymis ædes haberent.

Vigesimo quarto versu pro nominibus Hebraicis מקצע & פנה Græci [illegible] & [illegible], vulgata versio flexuræ & anguli nomina ponunt. Prius quidem, vt antè diximus, muri partem eam, quæ est incurua, significat. Posterius autem putatur, quasi quandã alam seu vt Græcè dicam, [illegible] significare, qua muri pars suprema quasi muniebatur, ne qui illi inambulantes deciderent, aut ab hostibus minus tuti essent. Pinnas murorum apud Gellium lib. 5. cap. 6. quàm bene latino, haud scio, certe Hebraico persimili nomine dici legimus. Videtur autem potius flexiones & anfractus, quàm angulos procurrentes dicere: vt quod & cum architecturæ militaris præceptis, & cum vrbis huius figura apud Tacitum proposita magis conueniat. Nam vt Vitruuius lib 1. cap. 5. præcepit, oppida nec quadrata sunt collocanda, nec procurrentibus angulis, sed circuitionibus, quò hostis ex pluribus locis conspiciatur. In quibus enim (inquit) anguli procurrunt, difficulter defenditur: quod angulus magis hostem tuetur, quàm ciuem. Vnde & Vegetius lib. 4. scribit olim non directos sed sinuosis anfractibus constructos fuisse muros ciuitatum. Quam rationem cum in horum quoque collocatione & extructione mœnium obseruatam fuisse Tacitus scribat: non difficile est colligere Hebræis verbis illis circuitiones & anfractus potius quam procurrentes angulos significari.

Quod vigesimo quinto versu dicitur: de domo regis excelsa, id est in atrio carceris: id si spectes Hebræa verba, sic est accipiendum, vt intelligas excelsam quandam domum quæ vicina sit atrio carceris. Cæterum חצר המטרה quod atrium carceris vertunt, videtur ædificium quoddam supernè apertum significara, in quo qui conclusi tenerentur, subdiuo degerent: qualia feris alicubi receptacula parantur, & fuisse videntur quæ subdialia quidam nominarunt. Liberior nimirum eorum, qui in locum illum inducti atque inclusi fuere, & tolerabilior custodia fuit. Sicut Hierem. 37. videre est in eo, quod Hieremias tantum apud Sedechiam precibus obtinuit, vt è Ionathani scribæ ædibus eductum in atrium carceris collocarit.

26 Nathínæi autem habitabant in Ophel, vsque contra portã aquarum ad Orientem, & turrim quæ prominebat.

27 Post eos ædificauerunt Thecueni mensuram secundam è regione à turre magna & eminente vsq; ad murum templi.

Duobus versibus illis Nathinæorũ & Thecuenorũ opera describuntur. Ac de Nathineis quidem primũ dicit, vbi habitarint, deinde quid ædificauerint. Ipsos quidem Gabaone oppido oriundos & lixarũ ac calonũ loco sacerdotibus attributos, ex eoq; ceu essent dedititij, nomen hoc consecutos, historia sacra attestatur. Ophel autem collis altus, & excelsa turris extructa in eo fuit: nomen hoc ex eo, quod ipsas quoque nubes attingere videretur, consecuta. Nonnullis in locis sacræ scripturæ nomen eius celebratur. In 2. Par. 27. Iothamus rex in Ophel muro multa dicitur ædificasse. Et in 2. Par. 33. Manasses quoque dicitur inde à porta piscium ad Ophel vsque murum duxisse. Sed & Iosephus de bello Iud. lib. 6. cap. 6. eius meminit. Et Ioannes is, qui factionis cuiusdam

Iudæorum princeps fuit, hunc incendit locum, vt Iosephus libro sexto capite septimo refert. Eundem postea potitus vrbe Titus penitus vastauit, Iosepho lib. 7. cap. 13. testante. Nathinæorum autem illorum laboribus iam efficitur, vt ijs Dei promissis, quæ Micheæ 4. de propugnaculorum & libertatis & regni Iudæorum restitutione extant scripta, satis fiat. Plenissime vero in Christi regno hæc præstita cernuntur. Nathinæorum enim operæ tam opacæ erant vmbræ, & adeo densæ nebulæ, vt in ijs facies Mosis tota cerni non posset: at exorta luce, veloque remoto, nos, qui veri Nathinei, id est, dedititij Christique liberti sumus, regale nimirum sacerdotium illud de quo Petrus concionatur, ex Ophel, id est nubibus & vmbra mortis, in apricum, atque in claram lucem spiritualis ac veri cultus Dei educti sumus. Meminit autem Nehemias etiam hoc loco portę aquarum: quæ nimirum ex eo nominata fuit, quòd aquæ ex monte Gihone promanantes inter ædem sacram & portam illam in ipsam vrbem effunderentur. Quæ etiá ipsa Christum, viuas illas aquas videlicet nobis representauit: de quibus ipsemet Ioan. 4. concionatur ad hunc modú: Omnis qui bibit ex aqua hac sitiet iterum: quisquis autem biberit ex aqua ea, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et Apocalyps. 7. Agnus qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad viuos fontes aquarum.

28 Sursum autem ad portam equorum ædificauerunt sacerdotes, vnusquisque contra domum suam.
29 Post eos ædificauit Sadoc filius Emer contra domű suam. Et post eum ædificauit Semeia filius Sechoniæ custos portæ orientalis.
30 Post eum ædificauit Hanania filius Solemię, & Hanum filius Seleph sextus mensuram secundam: post eum ædificauit & Mesollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum.
31 Post eum ædificauit Melchias filius aurificis, vsque ad domű Nathinæorum & scuta vendentium contra portam iudicialem & vsque ad cœnaculum anguli.
32 Et inter cœnaculum anguli in porta gregis ædificarunt & negotiatores.

Vltimis capitis huius versibus illis muri intimi restitutionem describi Lyranus putat: & tamen sub finem descriptionis eius nonnullas quoque muri medij partes attingi, itemque posteriores ædium partes ei ciuitatis muro contiguas, & anteriores prospectum habere versus templum, ideoque dici versus domum suam quenque ædificasse. Eum autem in describendo ordiné seruat, vt & instaurata loca, & personas instaurantium recenseat. In personis ædificantium sacerdotes referuntur: quorum exemplo Doctores existimant admoneri ministros ecclesiæ, vt & ipsi suas ędes, id est, animas ac corpora muro continentiæ & præsertim fidei sic muniant, vt & ab insidijs satanæ, & ab illecebris mundanis, & ab hostis cuiuscunque violenta impressione tuti, bono exemplo virtutum suæ fidei cómissis hominibus præire & prælucere queant. Semeias autem is qui custos orientalis portæ dicitur fuisse, ex eorú nimirú ordine fuit, quibus templi custodia demandata fuit. Qui locis certis dispositi fuere. Quod deinde Seleph sextus dicitur, id vel ad ordinem ædificantiú, vel vt Vatablus autumat, ad numerú ipsius fratrum, quorú in ordine fuerit sextus, sit referendum. Mesollamus itē is, qui dicitur è regione gazophylacij sui laborasse, videtur peculiaris alicuius ærarij sacri quæstor fuisse. Quemadmodum autem in personis notandis ordinem scilicet sacerdotum primum omniú nominat, dein singulorú nomina recitat: sic communi situs nomine loca primum complectitur, quando dicit: sursum autem, vel, vt habet Hebraica veritas, מעל id est, à superiore ciuitatis regione, in qua templú & sacerdotú ædes priuatæ erant extructæ: dein celebriora quæq; loca suis ipsorum proprijs nominibus appellat. Ac primú nominat portam equorum. Hanc existimant aliqui nomen ab equis regijs, quorú ex Ægypto coemptorú multitudinem maximá Solomon in stabulis huic portæ vicinis aluerit. Oecolampadius autem vir eximia pietaté & doctriná clarus in Hieremiæ 31. cap. scribit, ex eo nomen huic portæ datum olim, quod hac egredi regis equites solerent, quoties equestri cursu decertare liberet. Meminit auté eius portæ D. Hieremias cap. 31. eamque testatur ab Orientali plaga vrbis ædificatam fuisse. Existimant alij illis equis vel eos representari, qui iam à peccatis suis ad Christum conuersi spiritum Christi sessorem, hoc est, animorú pariter ac corporum rectorem ferunt, vel cogitationes rationi rectæ obedientes significari. Quam autem portá Orientis vocat, non quidem inter instaurata loca numerat, sed ad exprimendum officium Semeiæ nomen eius edit. Videtur autem templi potius quàm vrbis, & ea qui-

dem porta fuisse, quę & porta Sur, aut Seir, 4. Reg. 11. & porta fundamenti 2. Par. 23. & speciosa Act. 3. appellatur. Quod mensoræ secundæ iterum meminit, idipsum quoque videtur innuere, quod locus aliquis aut pars vrbis hoc nomine significetur. Gazophylacij nomine videtur nō illud sacrum quod Corbonam vocant Hebræi, intelligere: quando publicum id esset, ac suum proprium, quod modo diximus nomen habebat: illud contra Mesollami illius fuit & alio nomine appellatum, videlicet נשכה: quod alij [illegible], alij [illegible], id est porticum portæ, alij exedrā, alij thalamum seu cubile vertunt. Ex quo colligi posse existimo, vel priuatū quoddam ædificium, vel si publicum fuit, in eo reconditū aliquod peculiare ęrarium huius curę cōmissum fuisse. Neq; enim dubiū est, quin æraria complura, & suos quibusque peculiares quæstores, & suas quibusqoe domos ad tantam auri argentique vim, quanta in templum hoc quotannis conferebatur, colligendam, conseruandamque destinarint. Qui deinde in vulgata versione, scuta veodeotes: in L X X. interpretum translatione [illegible], id est, qui varijs ac vilibus ex rebus compositas farcioas vendunt, nominantur, hi nomine Hebræo רכלים, id est, mercatores, seu negotiatores, ab ipso authore appellaotur. Quanquam sint, qui oomen hoc existiment, alicuins familiæ proprium fuisse. Nec rarū est aut nouum, ab [illegible]ibus, aut quæstu, aut ijs quæ geruntur ad acquirendum victum operis ac negotijs nomina propria familias adipisci: vt alij fabri, alij piscatores, alij tonsores, alij tinctores appellentur. Paulo post eodem versu porta iodicialis nominatur. Quo in loco rursus diuersum quiddam à vulgata versione Hebræa authoris verba sonant; quippe in quibus hæc porta שער מפקד, id est, porta visitationis, si verbum verbo reddamus, appellatur. Legit autem fortasse vulgatæ versioois author משפט id est, judicium, pro מפקד, id est, visitatione. Et eā portam existimant ædibus sacerdotum & templo vicinam fuissa, ex eoque nomen hoc adeptam, quòd templo, sacerdotio, libris legis, ceu illustribus ac præclaris diuinæ visitationis signis esset proxima, atqua ad ea pijs hominibus aditum aperiret. Cumque missione sui filij pater opt. max. vniuersum genus hominū sane quàm amanter iouiserit: minimè foret absurdum, si Christum ipsum isthac porta repręsentari diceretur: quando per eum non solum in templum, verum etiā io intima adyta templi, quibus Sancti sanctorum nomę fuit, credentes inducuotur. Vltimo versus eiusdem membro cœnaculum anguli nominatur. Id Vatablus existimat proprium cuiusdam loci nomen fuisse. Certè עלית videtur Hebræis idem quod [illegible] Græcis, nempe sublime quoddam seu aulæ, seu propugnaculi, seu speculi vice factum conclaue significare. Eiusmodi loca in supremis partibus vel portarum, vel turrium fuisse, non obscurè significat Dauidis historia. Is enim sicut 2. Reg. 18. scriptum extat, accepto nuncio de Absolomi filij interitu, dicitur in עלית השער, id est cœnaculum portæ, vt fleret, ascendisse. Hoc autem loco nomen Hebræum פנה, non muri pinnam, vt vocant, sed turrim aliqua in muri parte ędificatam significare. Nam quia nomen hoc plerisque in locis pro angulo, in quo duorum laterum muri coniuoguntur, accipitur: & ad confirmandam duorū murorum connexionem maximis ac firmissimis saxis vtuotur architecti: fit ioterdū nominis huius in alios vsus translatio: ita vt modo turres, modo vrbiom propugnacula, modo populi robora graues authores eo ipso appellent. Veluti Sophon. cap. 1. v. 16. הפנות הגבהות, id est angulos excelsos dicit pro turribus excelsis, quas cum ciuitatibus beoe munitis coniungit. Et 1. Reg. 14. v. 38. כל פנות העם, id est, omnes anguli populi, pro principibus ac potentissimis io regno viris dicuntur. Vltimo vero versu negotiatores Latinus ioterpres vocat, quos trigesimo primo scuta veodentes ipsemet vocarat: cum in Hebræis Biblijs oomen רכלים quod mercatorē significat, vtrobiqoe expressum habeatur. Atque sic qoidem vrbis huius mœnia sunt extructa, & ad hæc ædificandi descriptio quoquo modo accommodata.

C A P V T IIII.

Ea modo proposita atque explicata parte narrationis huios, qua totius ædificationis partitio, & singulorum non solom principum, verumetiā operariorum studia atque officia prædicantur: proximū est, vt ad eam partem similiter explicandam transeamus, qua iocōmoda, & impedimenta, & pericula voluntati & iodustriæ laborantiom obiecta recitantur. Quò fiet, vt & operis huius præstantia ac magnitudo, & vtilitas ex eius descriptione beoe cognita ac considerata prooeniens, pariter elucescant. Etenim si verum sit, quod omnes homines esse verissimum dictitant, esse pulchra, quæ difficilia fuerint: certò existimo, hoc polchrius ac maius etiam opus illud æstimandum, quò pluribus ac maioribus difficultatibus affectum atque afflictum memoratur. Cumque diuinas res eas plèrique esse existiment, quæ & vtilitatis æquè multum ac difficultatis & laboris habent, & ita fortes & inuictas habent sui ipsarum dafeosiones, vt nec difficultate suapte, nec domesticis incommodis, nec aliunde obiectis impedimentis, nec atrocitate temporum, & perturbatiooe rerum,

rum, queant impediri, quò minus perficiantur: huius vrbis instaurationem, quæ difficultatũ omne genus superauit, & ad exitum optatissimũ perducta, maximas Iudæis attulit commoditates, diuinum opus esse, necesse est. Hanc autem eorũ, per quæ præclarũ opus illud est prouectum periculorum & laborum descriptionem, non minus vtilitatis quàm admirationis afferre, id argumento optimo esse potest, quod in ipsa videre sit tanquam in speculo, quibus artibus atque machinis oppugnetur ecclesia: quæ qualiaque pijs consilijs ac conatibus obijciantur impedimenta: quæ denique incidant incommoda atque pericula. Quarum rerum cognitio vel huc conducit, vt aut præuenire & declinare, aut si id fieri non possit, saltẽ æquioribus animis quicquid acciderit, sustinere queamus. Atque hæc eadem, siquidẽ ad ædificationẽ ecclesiasticã, vti conuenit atque expedit, omnia transferamus, in huiusmodi laborum ac difficultatum descriptionibus animaduertenda atque consideranda Christus & apostoli monuerunt. Quemadmodũ hæc maioribus olim accidisse propterea Nehemias scribit, vt aduersus ea posteri se cautione & cõsolatione & consilio munire queant: sic Christus & apostoli suis asseclis prædicunt crucis onus esse sustinendum, & ijs qui in Christo piè viuere decreuerint, omnis generis ærumnas & miserias expectãdas. Ac præsertim vt ostendant, quanto sit cum labore & periculo coniunctum vitæ Christianæ studium, quamque opus sit & religiosa ad suscipiendum ipsum præparatione, & prudenti constantique eius excolendi atque defendendi via ac ratione: cum difficillimis ac laboriosissimis in vita actionibus, vt architectonicæ, vt rei familiaris curæ, vt agriculturæ, vt disciplinæ militaris æquiparare, & aduersariorum omnium artes, præceptiones, vires, habitum, & quicquid obesse queat, quasi depingere consueuerunt. Hoc ipso vero magis hæc illarum rerum recitatio se commendat, quod non solum quæ laborantibus illis obiecta sunt impedimenta referat, verum etiam his ipsis depellendis conquisita atque adhibita remedia proponat. Quæ res ad ciuilia pariter atque ecclesiastica negotia fœliciter expedienda plurimum prodest bene cognita, ac præsertim propositis negotijs & temporibus & personis prudenter accõmodata. Qua de causa ab authore est sane quàm diligenter elaborata. Quę enim Iudæorum vrbem suam instaurantium laboribus atque studijs hostes obiecerunt impedimenta, ea Nehemias tribus classibus omnia comprehendit: quarum prima, externa: secunda, intestina: tertia, mixta refert. Nobis externa fuisse videntur ea, quæ extrinsecus acciderunt, & obiecta sunt ab hostibus. Intestina vero dicenda visa sunt, quæ domestica fuerunt, atque ab Iudæis ipsis suscitata. Mixta denique putamus ea fuisse, quæ partim externa, partim intestina: hoc est, partim ab hostibus partim ab ipsis ciuibus obiecta fuere. Hæc sexto libri illius capite, intestina quinto, externa vero hoc ipso, videlicet capite quarto refert. Eorum autem ipsorum quæ externa dicimus, quæque capite quarto memorantur, eiusmodi instituit descriptionem: vt ipsa genera primum & his opposita repagula seu remedia sigillatim singula recenseat: dein quid ijs ipsis propulsatis vtrinque fuerit consecutum ostendat. Quò fit, vt caput illud duabus partibus diuidatur, quarum priore impedimentorum externorum genera: posteriore deinde res consecutas recenseat. Et eorum quidem quæ externa dicimus impedimentorum genera tria constituit: quando ostendit vrbis huius instaurationem primum falsa quadam ac sane quàm acerba derisione: dein conspiratione: postremò clam positis insidijs oppugnatam fuisse.

FActum autem cum audisset Sanaballat, quòd ædificaremus murum,
iratus est valde: & motus nimis subsannauit Iudæos.
2 Et dixit coram fratribus suis & frequentia Samaritanorum, Quid
Iudęi faciunt imbecilles? num dimittent eos gentes? num sacrificabunt &
complebunt in vna die? nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis
pulueris, qui combusti sunt?
3 Sed & Tobias Am̃anites proximus eius, ait: ædificent: si ascende-
rit vulpes, transiliet murum eorum lapideum.

HIS tribus versibus primis oppositam vrbis ædificationi derisionẽ sic describit author, vt personas, causam, modum, locum, rem ipsam, & propositũ finem monstret. Ac personas quidem suis ipsorum proprijs nominibus notat: Sanaballatum scilicet prouincię præsidem, & Tobiam eius amicum summum: qui iam antea conati fuerant opus illud impedire. Quod indicio est, impietatẽ ita lutulentum & profundum esse cœnum, vt vbi semel in ipsum incideris, ægrè te queas inde extricare. Idque videre est vel in pueris, qui cũ fallere & mentiri semel assueuerint, mox audeant deteriora, & retrahi in officij viam ægrè queant. His ait Beda, hæreticos repręsentari, qui ipsi quoque Samaritani, id est, custodes legum diuinarum videri vo-

lunt:cum veritatem nihilominus oppugnent. Causam autem, quæ ad oppugnandũ hoc opus adducti fuere, exprimit hoc modo: ויחר לו ויכעס הרבה, id est, & exarsit ei, & irritatus est multũ. Vbi intelligendum est Hebræũ verbum חרה idem significare quod ardere æmulatione & ira: ac כעס idem esse quod irritari, & ad iram commoueri, scilicet aliqua re molesta, acerba, & quæ nocens atque mala esse videatur. Vnde & à LXX. interpretibus sic sunt explicata: καὶ πονηρὸν αὐτῷ, καὶ ὠργίσθη λίαν: id est, & erat ei malum, & iratus est multum. Qua ex collatione perspicuum fit, Samaritanos hosce erga Iudæam gentem adeo malè affectos fuisse, vt quidquid huic accidisset boni, id illi sibi ducerent esse pernitiosum: quicquid item illis esse voluptati posset, id mœrorem istis afferret. Quod est inuidiæ & odij proprium, sicut cecinit Horatius: Inuidus alterius rebus marcescit opimis.

Odium impior. i pios.

Nullum autem est odium maius eo, quod impij qui sunt, exercent contra amicos Dei. Quocunque enim progressu pietatis offenduntur: ac si viderint ecclesiam crescere, minui ipsi sese existimant: dignitatem populi Dei detrahere eis de existimatione sua miseri credunt. Velut Abeli sacrificium Deo gratum esse Cainus ob id nimirum ægrè tulit, quod eò minus ei probari suum iudicaret: Dauidis laudibus obscurari suas Saulus iudicauit: Christi laudes cum doctrina ac miraculis, tum præcipuè Lazaro in vitam reuocato subinde magis ac magis augeri ideo ægrè ferebant, quod suam crederent ea re minui dignitatem. Similis inuidia torsit etiam Iudam proditorem, & hodieque torquet hostes veritatis: quando qualibet vtilitatis & existimationis nostræ accessione irritantur. Sed id fieri nemo nescit, vt quò latius propagetur euangelium, hoc illorum in suos odia magis crescant. Atque hæc est vnica ac maxima turbarum, quæ in ecclesia suscitantur, causa. Quam nosse vel ob id conducit, vt ne calumnijs in odium & contemptum veritatis asseclarum & doctorum sparsis temerè fides habeatur: sed cogitemus ex animis malè affectis & inimicis amicos & bonos sermones proficisci minimè posse, eoque fieri vt suæ naturæ conuenientes sonos quæque auis edat. Modum autem derisionis huius, cum hæc odij & inuidiæ nomina, tum aduerbium הרבה quod plurimum significat, itemque verba deridentium clarè exprimunt. Cum igitur risum præ se ferant, quibus dolor intus ipsos agitans tantum non lachrymas extorsisset, seque contemnere simulent, quod magnopere pertimescunt: Sardonium potius risum, & applausum plane simulatum arbitremur, quo benignè excipere ea videri volunt, quæ cane peius oderunt & angue: In quo cernimus, vt religionis suæ similes sint impij: nempe vt quemadmodũ illa ipsa longè est alia quàm videatur, sic ipsi quoque omnia habeant ad falsam quandam officij speciem ficta ac simulata. Locum deinde, in quo hoc soliti sint facere, verbis illis indicat: לפני אחיו וחיל שמרון, id est coram fratribus suis & militibus Samariæ. Vbi fratrum nomine eos nimirum significat, qui vel iure sanguinis, vel officij societate, vel gentis communitate consociati ipsis coniunctique essent. Militum autem appellatione exercitus eos, qui diuersis hinc inde in prouincia locis præsidij vice dispositi, ipsorum imperio subiecti, ad omnem vel excursionis, vel defensionis vsum parati in procinctu essent. Ex quo potest intelligi Sanaballatum istum ijs in locis, & apud eos homines Iudæá causam remque publicam in odium & contemptum adducere consueuisse, quos facile poterat vel ob simplicitatem & inscitiam fallere, vel ob mutuam beneuolentiam ad credendum adducere, vel ob datam fidem atq; debitam obedientiam ad præstandum auxilium permouere. Sic hodieq; Euangelicæ veritatis asseclæ primum apud socios & æquales in conuenticulis clandestinis, deinde apud principes viros in conuentibus publicis deridentur & traducuntur. Iam vero qua qualique derisione fuerint oppetiti, ex eo quod rem ipsam partim suis, partim ipsorum deridentiũ verbis exprimit, intelligetur. Ac suis quidem verbis eam Nehemias exprimit, cum dicit: subsannauit. Vbi לעג verbum Hebræum interpretes Latini subsannare, Græci μυκτηρίζειν vertunt. Quæ duo verba derisionem eam significant, quæ fit externo aliquo corporis motu: vt capitis, aut nasi, aut oris, aut menti: quod Germani vocant vermupfen, Galli mocquer Græcum illud μυκτηρίζω repræsentanti verbo, Itali vero beffare. Cum autem gestus eiusmodi sint ipsis deridentium verbis acriores, atque ad minuendam hominis authoritatem validiores: consequens est, eos hoc egisse, vt Iudæos passim in odium atque in contemptum adducerent. Verum vt eorum propositum atque consilium plenius ac melius exprimat, illorum ipsorũ verba profert: Quid Iudæi faciunt imbecilles? Num dimittent eos gentes? Hæc referunt sanequam malignam ac nasutam derisionem: quippe qua derisionis exordium à persona Iudæorum ducitur: quos per contemptum אמללים, id est, excisos, opibus ac viribus exhaustos vocant: quasi dicerent: quid inopes illi & imbecilles imbellesque Iudæi tantum opus [illegible], quantum vix effectum darent, qui diuitijs, potentiá, rebus ad hoc necessarijs omnibus abundant. Est autem hostibus veritatis hoc solenne, vt ab imbecilli sorte fidelium derisionis ansam apprehendant. Sicut Galilæorum nomine Christũ ipsum & Christianos Iulianus olim infames & contẽptos reddere conati sunt. Sed & pharisæi dictitabant, nunquis ex principibus credidit,

didit in eum? Quibus tamen obijci poterat, qood ad promouendum & ampliandum regnũ suum
Deus ea semper eligit, quæ propter imbecillitatem mundus despicit, & omnium ineptissima cen-
set. Quod & Paulus Corinthijs dixit. Illi vero Samaritani, deio rem ipsam quoque aggrediontur
risu, com dicunt: nũ sinent eos, scilicet progredi? hoc est, num ferent huius vrbis instaurationem
alij populi? Et, Num sacrificabunt? an oe persuadebuot reliquis gentibus suscipiendam banc eo-
rum religionem? Et complebunt in vna die? id est, an oe prius opus hoc absoluent, quàm cogni-
tis conatibus eorum reliquæ gentes aliquod eis impedimentum opponendum parent? num vi-
uos dabunt lapides? poterit ne ex istis cineribus & ruderibus colligi materia tanto operi conoe-
niens ac necessaria? Elucent autem in his verbis ea potissimum argumenta, quibus ad eleuandos
ac deridendos conatus pios vti veritatis hostes soleot: primum rem tentari intolerabilem: dein-
ceps ea suscipi, qoæ fieri non possint. Ita Iudæi Romanorum metum prætendebant concionibus
Christi: quasi ipsi non essent toleratori doctrinam Christianam, si maximè ab Iudæis susciperé-
tur. Eodemque modo bonæ leges & conciones Euangelicæ causis eisdem oppositis impediuntur:
quod videlicet hanc vicini, illam vulgus, aliam qui prælati vocantur, nequeant ferre: quod ἄτοπόν
quiddam moliamur, si disciplinam veterem reuocemus: Platonis rempub. iotroducei: oec posse ex
homioibus angelos effici: nec posse homines in caprinum cornu cogi. Similia plane sunt priscis il-
lis hæc recentia. Præ cæteris autem facetus & lepidus esse Tobias huius amicus meditatur: & sa-
ne bene procedit scilicet, eo quod dicit vulpem, si conscenderit murum hunc perrupturam. Sic
autem sonant Hebraicæ eius voces: Ædificent: si vulpes ascenderit, perrumpet murum eorum. Vi
deatur aotem illa ab eo in hanc sententiam dici. Nostra nihil intererit, quicquid ædificent: neqoe
enim firmior aut altior hic eorum murus erit, quàm vulpes eum sit vel superando, vel deijcieudo.
Videtur item hic Tobias à vulpibus hoc dicterium suum ideo traxisse: quòd & tota Syria vulpi-
bus abundaret, proptereaq; norissimæ vulpes omnibus essent: & ipsum animal rapaci quidem &
astuta, sed admodum imbecilli natura esset: quod deoique mirum non esset è tanta multitudine &
frequentia vulpium aliquas Interdum in oppida ac vicos iutrare: sicut de Caspijs vulpibus Ælia-
nus scribit. Igitur io hanc sententiam illud dictum suum videtur torsisse. Non, opinor, hoc muro
magis se suaque munire poterunt aduersus nostras impressiones: quin si voluntas non desit, vel
ad soperandum, vel ad deijciendum aum satis nubis virium sit futurum. Neque enim opus erit leo
nina, siquidem vulpina non destituamur. Non magnæ vires & facultates, sed & promptæ & inci-
tatæ voluntates ad Iudaicæ ciuitatis huius euersionem requiruntur. Ad summam, videtur res Iu-
dæas omnes ioco ludoque magis eleuare, quàm graui contentione frãgere voloisse. Similis παροιμία
apud Plautum extat in Mostellaria: tam facile, inquit, vinces, quàm vulpes pyrum comest. Alludit
autem hic Tobias ad Sanaballan dictũ, quo Iudæos is perstrinxerat antea, atq; sic quidẽ viribus &
opibus exhaustos iudicabat, vt nihil magnopere formidandom præstare posse viderentur. In
quo ipso quoque est videre, vt quemadmodum mutuum muli scabunt, sic impij sibi inuicem ap-
plaudunt, & ad id omnia conuertunt, vt amici Dei ludibrio sint inimicis suis. Atque hoc quidem
oppugnationis genus licet nudis verbis leuiqoe risu fiat: admodum tamen est acerba ac grauis,
multoque maiora vulnera infligit animis humanis, quàm videatur. Neque enim quisquã est adeo
vel dignitatis vel existimationis suæ negligens, vt eius dimimutionem facile ferat. Quin vsu com-
pertum habemus, plerosque mortales adeo studiosos authoritatis suæ retinendæ, vt interdum ma
lint soas ipsorum conscientias offendere, qoàm cuiusquam etiam hominis abiectissimi irrisionem
incurrere, seque despectui ludibrioque exponere. Sed ita ounnullos mordent hi risus, vt aot à do
ctrina Christiana assensionẽ cohibeant, cũ offertur: aut si illam paulo antè susceperint tenendam,
iterum desciscant. Quod cum non ignoret satan: passim afflatu suo suscitat irrisores, quorum ope-
ra cum doctores egregios, tum doctrinã ipsam deridendo in contemptum adducat Grauius etiam
ac maius damoum ecclesiæ eo modo datur, quàm vlla vel truculentissimorũ hostiom impressio-
ne. Cum igitur adeo nocens sit ac frequeos malum illud operæpreciũ est, vt acquiratur eius ipsius
aliqua notitia, & colligaotur hioc inde non modo latæ soper eo sententiæ Dei, verumetiam exem
pla veterum, qui vel hoc ab alijs passi sunt, vel alijs iotulerunt malum. Igitur ex eo dici irrisio vi-
detur, quod aut riso, aut risum mouentibus gestibus ac verbis fiat: sicut à ludo ludificatio, & illu-
sio à lusu. Sunt tamen qui subsannationis nomen etiam vsorparunt. Est autem hæc odiosa ac pro-
cax actio, qoa spectatur id vnum, vt in odiom & contemptum is adducatur, cuius illuditur vel for
tunis, vel honori, vel dictis ac factis. Ac quemadmodum hæc ex odio, contemptione proximi, im-
pietate & petulantia prodit: sic in omnia proximi bona, dicta ac facta ceu materiã impietatis suæ
falcem mittit. Cumq; tanta animũ intus agitantis libidinis vis sit, vt quaqoa detur, erumpat: non
mirum est in alias atq; alias formas ipsam motari: nempe vt modo salsa & acerba dicteria, modo ca
chinnos, modo obscuros risus, modo gesticulationes admirabiles emittat. Quis vero recenseat om

nes formas? Inter eas, si quid cuiusque sit proprium spectes, perparum interest: si genus & causam, & finem serues, propè nullum est discrimen. Vnum hoc omnia genera spectant, vt alicuius fauor & authoritas minuantur: vt quæ fuerant expectata aut quæsita bona, intercipiantur. Hoc peccatum nec Dei, qui stolidos & proteruos hominum impiorum conatus ridet, Psal. 2. nec Sapientiæ Dei, quæ suorum contemptorum interitum olim deridebit, Prouerb. 1. exemplis excusatur: quando inter impiam & effrenem improborum hominum petulantiam, & iustum ac seuerum iudicium Dei immensum est discrimen. Quin potius cum charitate, qua complecti proximum iubemur, & cum natura Dei pugnat. Alienũ enim hoc à charitate esse Paulus Rom. 13. dicit, vt quicquam agat, quod proximo sit malum. Et Solomon docet abhorrere Deum ab irrisione ceu re naturæ suæ aduersaria: quando dicit Prouerb. 3. abominatio est Domino omnis illusor. Verũ de hoc hominum genere, quid statuendum videatur, id euidentissimo firmissimoque argumento esse potest: quod Dauid eos in numerum societatemque eorũ refert, qui impietatem & sectantur, & propugnant, & hominibus alijs quanto maximo possunt opere obtrudunt. Eos enim Psal. 1. לצים appellat: vt qui non modo sint alienis à pietate animis, verum etiam hoc perpetuo agunt, vt pietatem omnem in contemptum adducant. Cumque tribuat hominibus impijs consiliũ, hoc est, malas cogitationes, consilia praua: itemque peccatoribus viá, hoc est, gnauam quandam in omni flagitiorum genere progressionem: sedem assignat illis irrisoribus: non quòd putet ipsis inesse quicquam firmitatis: sed vt notet eorum securitatem, qua sic sint à mente & sanitate deturbati, vt omnes seu ærumnarum imminentium minas, seu bonorum æternorum promissiones æquè contemnant. Quod & D. Petrus 2. Epist. 3. illorũ ipsorũ verbis effert hoc modo: vbi est pollicitatio aduentus eius? Siquidẽ ex quo die patres dormierunt, omnia sic permanent, vt initio conditionis erant. Et Prouerb. 15. Solomon dicit omne castigationum genus ab his explodi. Nec exemplis vlla secula caruere. Queruntur homines pij psal. 78. de eorum improbitate, cum dicũt: Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Eodem iniuriæ genere & insignem illum Dei seruum Heliseum Betheliorum ciuium pueri quondam affecerunt. Sed & D. Hierem. cap. 2. vaticinatur fore, vt ipse filius Dei ludibrio omnium ordinum exponatur. Et eius oraculi veritatem euentus abunde confirmauit: quando accidit, vt is à pontificum Iudæorum seruis, ab ipsis pontificibus Iudæorum, ab Herode, à militibus Romanis, à latronibus, ab infima de fece plebis hominibus irrideretur. Paulo quoque apostolo vsuuenit, vt Athenis de resurrectione verba faciens rideretur & σπερμολόγος cognomine probroso grauaretur. Sed & dicterij veritatem deridentis prope simile fuit, quòd Festus eundem diceret multarum literarũ studio nimio ad insaniam deuenisse. Quin & Corinthijs idem scribit doctrinã Christianã Græcis hominibus dignam videri, quæ omnium irrisione ludatur. In eum autem numerum irrisorum Iulianus, Porphyrius, Lucianus referuntur. Volaterranus etiam Anthropolog. lib. 16. Genesium quendam Arelatensem Mimum scribit, homines Christianos apud Diocletianum miris gestibus deridere consueuisse, & tandem dignas impietate sua pœnas tulisse. Sed & hoc genus irrisorum, qui non solum in conuiuijs salsa dicteria, verum etiam editos in lucem ioculatorias disputationes ad eleuandam veritatem impiè & impudenter emiserunt, hæc ipsa, in quam nos incidimus, vltima ætas, vt vidimus, feracissima fuit. Ab hoc hominũ genere pij Dei cultores olim tanquã à peste nocentissima abstinendum pariter ac cauendum sibi iudicarunt: cum vt acerbitatem iniuriæ, tum vt veneni contagium deuitarent. Veluti psal. 26. Non sedi, inquit psaltes, in concilio vanitatis. Et Hierem. 15. Non sedi in consilio illusorum. Eodemque modo nobis etiam ipsis est enitendum: vt illorum quidem declinemus & vitemus consortia: remedia autem studiosè conquiramus, quibus animus, siue curetur, si sit læsus: siue dum saluus adhuc & intactus sit, muniatur ac confirmetur.

4 Et dixit Nehemias, Audi Deus noster, quia facti sumus despe-
ctui, cõuerte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem
in terra captiuitatis.
5 Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coram facie
tua non deleatur, quia irriserunt ædificantes.
6 Itaque ædificauimus murum, & coniunximus totum vsque ad par-
tem dimidiam: & prouocatum est cor populi ad operandum.

Eius, quod huic ædificio primum oppositum fuit, impedimenti descriptioni iam adhibiti remedij descriptio subiungitur. Quæ quidem breuis est, & duabus solum partibus perficitur: quarum priore, quod qualeque remedium illud fuerit: posteriore, quid eo ipso fuerit effectum, indicatur. Igitur quod qualeque fuerit horum irrisioni depellendæ remedium obiectũ, quarto & quinto ver-

to verſibus declaratur. Ac quanquam in veritate Hebraica nuſquam ſcriptum extet, quod in verſione vulgata legimus: Et dixit Nehemias: tamen nemo non intelligit, hæc illius precationis verba ab ipſo Nehemia tunc pronunciata fuiſſe, cum populus omnis vnà cum ipſo dicterijs hoſtilibus pias preces opponeret. Optimum autem aduerſus hæc ludibria remedium eſſe pias preces, hoc illorum factum certè eſt non obſcuro documento. Eodemq; ſane Dauid etiam ſe pſal. 68. profitetur vſum eſſe, cum dicit: Iactabant in me ludibria, qui ſedebant in porta: & carmina, qui ad vinum perpotant. Ego vero orationem meam ad te Domine &c. Sed & Ezechias rex cum Rabſacis dicteriis contumelioſiſsimis peteretur: hæc eadem in conſpectu Dei depoſuit, & ſuper ijs opem eius implorauit. Quoniam autem vtile eſt, optimam orationis formam tenere, precationis ſuæ exemplar profert. Eius hæc eſt ſumma. Hac irriſione tantum in contemptum apud omnes populos adducti ſumus: vt nullus nobis ſit relictus excuſationis locus. Quamobrem ad te confugimus: qui cum iuſtus es iudex omnium mortalium, tum vindex ſtrenuus ac fidus ſeruorum tuorum innocentium. Te rogamus Domine, vt qua contumelis propter opus tuũ nos afficere voluere, ea velut vſus lege talionis, faxis, vt in illos ipſos regeratur. Hanc ipſam autẽ poſtulationẽ quatuor partibus abſoluit. Exordium enim primum, partim à perſona Dei, partim à perſona ipſorũ ducit. Ac quod dicit: audi Deus: id ad perſonam Dei, videtur referendum; quippe quo oſtendit, agnoſcere ſeſe in Deo prouidam rerum omniũ inſpectionem atque notitiam. Et id ſi perſuaſum animis teneamus, maximam conſolationem affert: hacque de cauſa multis exemplis & iudicijs confirmatum per vniuerſam ſcripturam ſacrã ſparſis proponitur: nempe vt ſciamus omnia videre & iudicare Deũ, & cum res tempuſque tulerint illatas nobis iniurias vindicaturum. Rurſus quòd dicit, Deus noſter, id erit ad perſonam inuocantium reuocandũ: quippe quo ſuam fidem atteſtantur, qua Deum ſic comprehenſum teneant, vt eum ſibi quaſi proprium ſumant, planéque credant, eum ſibi ſuſtentandis, vindicandis, conſeruandis intentum eſſe. Eiuſmodi perſuaſionem cum præſcripta à filio Dei precationis forma, Pater noſter, ſonans, tum ampliſsima Dei promiſſa, ſtabiliunt. Et ab his rationibus preces vtiliter ſimulac piè exordimur. Narratione comprehendens illatas ſibi iniurias, dicit: facti ſumus deſpectui, quaſi diceret ipſos omni honore excidiſſe: quaqua ſe conuerterint, vndique eſſe, qui vel perſequantur, vel oderint, vel contemnant ipſos. Paucis autem verbis exprimit miſerias & moleſtias ſuas: propterea quòd perſuaſum habeat, Deum iſthęc omnia ſcire multò melius, quàm ſuis ipſe verbis eum poſsit edocere. Et ſanè breues vt in orando ſimus, filius Dei monuit: nimirum quod eæ gentes à Deo pluribus verbis petant, quæ neſciunt Deum omnia prius ſcire, quàm ei poſsint oratione & verbis exponi. Petitionem, qua quid ſibi velit, exponit, rerum quas optabat, enumeratione inſtruit. Primum conuerte (ait) opprobrium noſtrum in caput ipſorum. Hoc eſt, qua macula fœdare per ſummũ dedecus omnia vitæ noſtra ornamenta voluere, eam illis ipſis, quæſumus aſpergas. Prouocat autem ad legem talionis, quam etiam iudicio diuino probatam ac ſtabilitam non neſciebat: nempe vt quod quis alij dediſſet, id ipſemet acciperet ac pateretur damnum. Prouerb. 26. Qui fodit foueam, incidit in eam: qui voluit lapidem, relabatur ſuper eum. Eccleſiaſt. 10, Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui diſsipat ſepem, mordebit eũ coluber. Eccleſiaſt. 27. Qui ſtatuit lapidem proximo ſuo offendet in eo: & qui laqueum alij ponit, peribit in eo. Huc etiam pſal. 7. adducit Beda: Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticẽ eius iniquitas eius deſcendet. Atqui hanc legem & ſi Phauorinus in puniendo præſertim iniquam iudicet, Ariſtoteles in Ethicis non vſque adeo probet, recentiora iura ſic abrogarint, vt in toto iure ciuili vix vlla talionis veſtigia ſupereſſe videamus: tamen hoc de ea reliquum habetur in legibus ciuilibus: vt calumniatorem idem iudicium quod innocenti reo intendit, ſubire: & iudicem, qui delatum ad ſe crimen neglexerit idipſum pati debere, quod alijs indolſerit & diſsimulando conceſſerit, ipſæ velint. Quod cum ita ſit, non iniurià petit Nehemias, vt quod dedecus Samaritani Iudæis acerſere deridendo voluere, eo ipſimet afficerentur: idque vt fit, ideo faxit Deus, ne ad tantum nefas conniuere viſus, ipſe sudiat malè. Secundò petit: Da eos in deſpectionẽ in terra captiuitatis eorũ. Id eſt, Etſi perinde ac nos, ipſi quoq; ſint extra patrios fines quaſi in exiliũ educti: & nõ ignari miſeriarũ & moleſtiarũ exulibus accidentiũ, deberent aliqua ſaltem noſtri miſericordia tangi: tamen odio noſtri in tantam tamque belluinam rabiem ſunt adducti, vt moleſtias nouas prioribus noſtris ærumnis accumularint: quaſi nullis miſerijs noſtris illorum in nos odium leniri queat. Quæ crudelitas ſane merebatur, vt quales in Iudæos exules erant ipſi, tales in ſe etiã alios experirentur. Eſt enim & hoc talionis legibus conueniens: vt alteri quod feceris, ab altero expectes. Tertio petit: Ne operias iniquitatem eorum: peccatũ eorum coram facie tua ne deleatur. Id eſt, Ne, quæſo, impunè abire tantam contumeliã, eoque impunitatis exemplo alios æquè malos cum in odio veri confirmari, tum ad eius oppreſsionem magis excitari patiare. Equidẽ videre eſt, patientia ac tarda vindicta Dei multos huc adduci, vt quod is non cito punit, id eum non

quam punituru opinentur: & negligere ea flagitia, quæ non aliquo singulari supplicij genere affi- ciat, existiment. Quam rem, quoniam ad confirmandam libidinem & malitiam suam, qui sunt im- pij, trahunt: hic Deũ, ne admittat, tanto opere & studio precatur. Occupatione vero, quæ extre ma pars est huius orationis, tacitas obiectiones refutat & explodit. Duæ enim res obijci poterant ei, quæ cum optimi & sanctissimi cuiusque viri indole & natura pugnant ambæ. Vna, quod ne suã peccatoribus admissa culpa condonetur, Deum orat: cum Christus, Stephanus, omnes sancti suis ad Deum precibus hoc egerint sedulo, vt omnibus hominibus veniam impetrarent: huc que tan- quam ad scopum omnis doctrina Christiana tendat, vt remissio peccatorum obtineatur: tum Mo ses ac Paulus è libro vitæ sua nomina deleri maluerint, quàm Israelios suos interire. Altera, quòd ea suis inimicis imprecatur mala, quibus hi ipsum afficiebant: cum Christus & alij sancti fausta precati sint, & beneficia dederint jis, à quibus damno iniuriaque fuerant affecti. Has obiectiones eo ipso, quod dicit: Quia irriserunt ædificantes: refutat ac frangit ambas. Id enim perinde est, ac si dixisset: Non vlla priuata culpa nostra, sed eo ipso, quod te authore, & cultus tui prouehendi cau- sa suscepimus, opere, Samaritanũ odium illud nobis conflauimus, atque ob id solum illi nos ode- runt ac conuicijs incessunt. Quò fit, vt in te potius quàm in nos hæc iniuria recidat. Atq; hoc mo- do ostendit se non iniuriæ sibi illatæ dolore, neque eam ipsam vlciscendi libidine agitari: sed exci- tari zelo studioque honoris & ecclesiæ Dei: tũ hanc Dei de rerum diuinarũ contemptoribus sen- tentiam, ceu interpres & præco Dei esset, promulgare. Quam expositionem D. Augustinus contra literas Petiliani libro secundo capite octauo etiam ipse profert ad illud psaltis dictum, Et Episco- patum eius accipiat alter, dicens, Dauidem sententiam dixisse in eum, qui Christum perfidis esset traditurus. Et subdit. Ecce quantus est spiritus prophetarum, vt cuncta futura pro præsentibus vi- derit, vt ante plurima secula nasciturus traditor damnaretur. Eius generis execrationũ sententias psal. 68. 78. 82. complectuntur. Eiusmodi quoque est quod Iac. 5. Helias dicitur Deum, ne plueret, orasse: quod item Paulus Galatis scribens dicebat: vtinam excindantur, qui vos conturbant. Quò referendum est etiã quod Ananiam & Sapphiram & Simonem Magum Diuus Petrus: Elimam item Magum Diuus Paulus execrati memorantur. Viderunt illi sancti viri quàm sententiã Deus de hoc hominum genere tulisset, eamque afflatu impulsuq; eius ceu præcones & interpretes eius enunciarunt: nulla praua maledicendi libidine, aut eorum, qui sunt impotentibus animis, homi- num more. Qua de re in Esdra nostro plura.

Hoc remedio quid ad depellendum impedimentum illud effecerint, altera parte descriptio- nis huius, quæ sexto capitis huius versu continetur, ostendit. Et indicat quidem precibus illis res eas impetratas esse, quæ magnis rebus gerendis cumprimis vtiles sunt & necessariæ, videlicet con stantiam, industriam, fœlicitatem. Ac constantiam quidem eo ipso repræsentat, quod dicit se nihi- lominus ædificasse. Id perinde est, ac si dicat: Nos vero cachinnos horum nil morati, quasique sur- dis auribus prætereuntes, in opere inchoato constantissimè permansimus. Quæ constantia præ- claro exemplo hominibus Christianis esse potest: nimirum vt instar equi generosi catellorũ mor- sus & latratus contemnant. Nam qui manu admota aratro post tergum respexerit, eum Dominus censet ineptum esse ad gerendas res regni cœlestis. Damnantur etiam qui πρόσκαιροι nominantur, ex eo, quod non diu durent in studijs pietatis. Equidem Daniel hoc nomine laudatur, quòd ab ado- ratione & cultu Dei nullo regis interdicto potuit reuocari. Similem sane laudẽ Mardocheus, Ma- chabei, martyres omnes tulere. Fœlicitatem autem illorum id indicat, quod extructionem muri ad dimidiam eius partem vsque productam dicit. Ergo pijs precibus impetrarunt, vt etiam inuitis ac multùm reluctantibus inimicis opus susceptum perficeretur. Qui tam fœlices sunt, vt quæcun que susceperint, in ijs perficiendis pulchrè procedant, hi maximas agere Deo gratias debent. Eius- modi in Iacobo patriarcha, in Iosepho eius filio, in Dauide, in apostolis vidimus fœlicitatem: qui non ipsi modo suorum consiliorum optatis successibus potirentur, verum etiã suos heros, & eos, quibus cum agebant vitam, quasi fœlices efficiebant, Deo videlicet eis propter ipsos benedicente. Industriam autem id indicat, quòd cor populi prouocatum dicitur ad laborandum: hoc est, quod diuinitus est factum, vt quò plus ac diutius laborarent, hoc libentius laborarent: voluntate scili- cet ad illud opus perficiendum diuinitus inclinata. Atque hæc bona, cum præclara sunt per sese, tum ad arduas res gerendas mirum in modum prosunt. Etenim ad labores excitamur industria: labore improbo omnia vincuntur: prosperis euentibus spes augetur, voluntas & confirmatur in proposito & ad prosequendum subinde magis ac magis excitatur. Inprimisque est obseruandum, quod illis in hominibus, quibus expectandi sunt euentus boni, simul hæc omnia coniungantur, necesse est. Nam si ita sis inconstans & ignauus, vt quercu ad ictum vnum aut alterum non deci- dente securim abijcias, in portu fœlicitatis impegeris: ac non solum optato successu non potieris, verum etiam eius, quem huc vsque sustinuisti, laboris fructum omnem amittes. Sin pergas maxi- mè, &

mè, & moueas quidem multum, promoueas autem parum: cum labor omnis est inanis, tum fieri non potest, quin voluntas tandem ipso moræ tedio deijciatur. Sin ipsa quoque diligentia desit: seu constantiá, seu fœlicitatem, seu etiá eas habeas ambas, nusquam progrediere. Cumque hæc omnia pijs precibus impetrata audiamus: tanto magis erit in earum studium incumbendum.

7 Factum est autem cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Arabes,
Am̄anitæ & Azotij, quòd obducta esset cicatrix muri Ierusalem, & quod
cæpissent interrupta concludi, irati sunt nimis.
8 Et congregati sunt omnes pariter vt venirent, & pugnarent con-
tra Ierusalem & molirentur insidias.
9 Et orauimus Deum nostrum & posuimus custodes super murum
die ac nocte contra eos.
10 Dixit autem Iudas debilitata est fortitudo portantis, & humus ni
mia est, & nos non poterimus ædificare murum.

Quatuor versibus illis alia narratio continetur. Quæ est bipertita. Primum enim impedimentum nouum huic ædificio oppositum refertur: dein adhibitum eidem depellendo remedium indicatur. Et eam quidem narrationis huius partem qua describitur impedimentum, sic illustrat adhibitis circumstantijs: vt personæ, causa mouens, modus, res ipsa, finis, quasi in conspectum nostrum produci videantur. In personis impedimentum illud obijcientibus partim veteres hostes, nempe Sanaballattum & Tobiam, partim nouos alios in horú sociatatem attractos refert. Priores illi sui ipsorú sunt adeo similes, sicque perpetuo sibi constant, vt à proposito consilio ne tantillum quidem decedant. Ergo hoc impietas sibi quasi proprium & agnatum habet, vt ægrè expelli inde queat, vbi sedem fixerit semel. Noui sua accesione docent, impietatem instar cancri morbi latius serpere: impios etiam facilius inuenire & acquirere socios, quàm si pij essent, & causas bonas susce pissent agendas. Boni enim qui sunt, & q pias causas fouent citius deseruntur, quàm iuuentur. Ammonitas auté illam in nassam Tobias traxit fortasse: vt hic etiam quantú ampla in prouincia nequam vnus posit, videamus. Equidem pauci viri totá Peloponnesum grauissimo bello inuoluerunt: & vnus Paris Asiam cum Græcia lento & graui bello commisit. Hi vero quoniam gens superba, auara, Iudæis admodum inimica fuere: tanto facilius in hanc Iudæis infestam societaté deduci potuere. Metropolis eius Rabba fuit: in qua lectus ferreus Ogi regis olim fuisse memoratur. Credendum est etiam illos Iudæam gentem eò maiore odio persecutos fuisse: quod eorum maioribus olim tributaria fuit: ac ne res eòdem recurreret, perpetuo vererentur. Arabes autem ab Arabia nominantur. Quæ fortasis ab רעבה, id est, vastitare & solitudine sic est nominata. Tribus autem partibus olim diuisa fuit. Vna deserta vocabatur, ab Oriente Palestinam attingens: sterilis & arenosa quidem, verum pascua tamen, ideoque pecore & præsertim camalis abundans. Gens erat ad latrocinandú plane propensa, proptereaq; vicinis populis infesta. Altera Petrea nominabatur, à Petra metropoli à meridie Palestinam attingens, populosa pariter ac pascua: agnos magnos eosdemque obesos habens. Vnde & Arietes Nabaioth in Scriptura sacra celebrantur. Erat hæc etiam versus Iudæam sterilis & arenosa, Tertia fœlix dicebatur, hac australior: vnde & Austri nomine quandoque venit: & Sabea regina, Austri regina nominatur. Iam vero, omnes ne, an aliqui saltem Arabes, in hanc pertracti fuerint factionem, hic quidem nullis certis notis significatur. Si tantum aliqui fuere coniurationis huius conscij, partem totius nomine appellauit: & eos, qui cum Tobiæ, tú Iudæis proximi fuerút, fuisse credendú est. Hos enim & Tobias potuit minore negotio in sententiam pertrahere, & quæ inter vicinos oriri ferè solent inuidia & æmulatio facilè excitarunt. Sin omnes intelligat, dictu mirum sit, quantum sit, quamque longe & serpat, & grassetur impietatis virus. Azotij, quos Asdodim Hebræi vocant, Azoti celebris Philistinorum oppidi incolæ fuere. Ea fuit vna ex quinque primarijs ciuitatibus, inter Ascalonem & Ioppen sita: à quodam, vt Stephanus perhibet, heroe, qui illuc è rubro mari confugerat, condita, & de nomine vxoris Azes appellata. Hos etiam ipsos, per eo ac Iudæis fuerunt semper inimici, non difficile fuit adducere ad bellum Iudæis inferendum. Est hac in re non vulgaris typus ecclesiæ, quæ vix alia, quoad in his terris egerit, vlla re magis abundat, quàm hostibus, minimeque mirum est, homines eorum, quos modo diximus, similes, ad inferendum ecclesiæ bellum adduci. Causam autem, qua ad persecutionem illam suscipiendam illi sunt adducti, Nehemias ipse exprimit hoc modo: Cum audisset, quòd obducta esset cicatrix muri Hierusalem &c. Iram nimirú dicit causam. Hęc in corde sedem habere existimatur. Vnde & quale quisque cor habet, talia habet & ad iram vel ægrè, vel facilè concicipiendam instrumenta. Est autem vis affectus huius valde vehemens: vt qui difficillimè re-

primatur: quando anteuertit iudicium rationis rectæ, nisi tempestiuè studioseque coerceatur. Quamobrem qui considerate volunt aliquid agere, si iram conceperint, tantisper ab agendo sese cohibent, dum hæc sit quoquo modo sedata. Velut Archytas iratus seruo, dixit ὠμοίας ἂν, εἰ μὴ ὠργιζόμην. Cumque & Cicerone, & experientia constet testibus: ab iratis nihil posse rectè considerateque fieri: docebit etiam hæc causa, quàm consideratam habuerint hi deliberationem. Sed quoniam affectus propè cor sedem suam habent: nec vllam vim suã exerunt, nisi moueantur: quanam illis ab re fuerit ira suscitata, diligenter Nehemias, & eo ipso quidem docet, quod dicit, cum audissent &c. Id enim æquè valet ac si dicat, aurium sensum obiecta fama pulsatum, iram eis suscitasse. Iam quoniam ea aurium sensu citissimè percipimus, quæ cumprimis cupimus scire, atque in quæ maximè intentis auribus sumus: consequens est hos etiam Samaritanos in Iudaicarum rerum inspectionem in primis intentis auribus atque oculis fuisse, eoque citius quid Hierosolymis fieret, explorasse. Quod vt accidisse Nehemias indicaret, iterum repetit antepositum verbum audiendi. Quæ res indicio satis est certo & claro, hostes Ecclesię Dei, sedulo hoc agere, vt quid agamus, quoue in loco res sint nostræ, expiscentur: solere etiam circumspicere, vt in omnem se euentum vertant, & consilia habeant ad primam quamque occasionem comparata. Qua in re parentem suum illum rugientem leonem imitantur: qui ipse etiam impiger est & callidus dictorum & factorum nostrorum omnium obseruator. Cuius autem rei nunciatione sint commoti, non minus diligenter expoóit, eo quód dicit, ob obductam cicatricem muri Hierusalem, & quod cœpissent interrupta concludi. Verba Hebræa paulo aliter habēt: כי עלתה ארוכה לחומות, id est, quia ascendisset longitudo murorum: vel, vt vertit Munsterus, quòd ascendisset reparatio murorum: vel vt Vatablus reddit, quod ascendisset malagma siue emplastrum, aut medicina super murum Hierusalem: id est, quod instaurati ac reparati essent muri. Metaphora videtur à chirurgis assumpta, qui imposito malagmate seu emplastro vulnera curant, quæ dum coeunt, curantur. Eodemq; modo muri, dum hiatus eorum cœmento explentur, quasi curantur. Est autem nomen Hebręum deductum ab ארך verbo quod significat aliquid in lungũ ducere. Quod Esa 24. de funibus: Prouerb, 28. de temporis spacio. Num. 9. de nubis extensione dictum legitur. Videtur igitur id vulgatæ versionis author spectasse, quod chirurgi solent exiguum emplastri bolum in positum linteo, premere cultello, & in longitudinem & latitudinem quandã diducere & dilatare. Qua de causa qoidam longitudinis nomine Hebræam vocem explicarunt. Nec ineptè verterentur Hebræa verba, hoc modo: quod increuisset muri Hierosolymitani longitudo: siquidem incrementa murorum ascendendi verbo notari concedamus. Obseruandum sit autem, vt omnis rerum bonarũ instauratio dolorem afferat hominibus impijs ac malis. Quocirca seu intermissum veræ religionis vsum, seu collapsam vitæ & morum disciplinam, seu iura ac leges reuocare quis conetur, statim hos offendat, & aduersarios habeat, necesse est. Ex quo perspicuum fit, hanc esse eorum, quæ ecclesiæ inferuntur, bellorum omnium causam, quod hi sunt omnis instaurationis rerum bonarum inimici summi, eaque vna maximè offenduntur. Quam tamen arte celant, & alijs falsis ac commentitijs causis tegunt. Modum autem in agendo ab illis obseruatũ, hæc authoris verba describunt ויקשרו כלם יחדו, id est, Et conspirarunt omnes illi in vnum. Cum diuersarum gentium & factionum homines essent: quò coniunctis copijs ac consilijs suis, eò plus nocere possent, conspiratione quadam in vnũ quasi corpus coiere. Qua in re videmus, quàm facile sit, impijs hominibus, vt vt diuersarum sint gentium atque consuetudinum, in concordiam maximam coalescere: cũ qui veritatis studiũ profitentur, ægerrime concilientur. Fit hoc nimirũ propterea, quòd in bonorum hominum cœtu, quæ bona sunt non omnibus æquè curæ sunt & placent: in malorũ societate nemo adeo bonus est, quin illorum, quibuscum in societatem coijt, moribus ac naturis nedum consilijs ac conatibus quanto maximo potest opere se studeat accommodare. In turpibus etiam ac prauis rebus pro eo ac procliues ad malum sumus, plerique facilius perseuerant ac diutius, quàm in bonis. Atque hæc in nostræ naturæ vitiositate præsidia atque vincula habent improborum hominum conspirationes. Rem ipsam eo notat quod dicit, ad inferendum Hierosolymis bellum. Videmus hic iterum horum hominum negotia, non ius aut æquum, non pacem & amicitiam: sed minas, cædem, bellum, esse. Quibus rebus inde ab orbe condito satan studuit semper, & quos potuit his implicuit semper. Quod nobis illa religionis opprimendæ causa mota bella attestantur. Finem denique in his bellis spectatum id indicat, quod dicit eos dixisse: לעשות תועה, id est, ad faciendum errorem. Nam Habræum nomen errorem, confusionem, perturbationem significat. Quo nomine sine dubio ostēditur, id eos egisse, vt in desperationē, & consilij inopiam eos adducerent, perplexosque efficerent. Id quod accidit ijs, qui metu, quò minus impedimentis & periculis contemptis progredi longius audeant, impediuntur. Igitur huc omnia consilia eorum tendunt, vt in stuporem, in metum, in consilij inopiam adductis nobis, veritatis progressus impediantur.

Hoc

Hoc periculum vt abs se depulerint Iudæi, nono & decimo versibus ostenditur. Ac nono quidem versu duas res oppositas Samaritanorum machinis dicit: preces scilicet & custodiam. Quod vero preces, idem scilicet remedium dissimili malo depellendo vsurpant: id est Indicio, preces esse instar pharmaci, quod omnis generis vlceribus, vulneribus, morbis adhibitum, sanet. Estque tantò magis hæc vis precum admiranda, quòd & omnibus naturæ viribus maius hoc sit opus, & naturę Dei, qui inuocatur, hoc nomine maximè conueniens. Varietate enim & dissimilitudine naturarum, locorum affectorum, symptomatum, causarum efficientium, fieri necesse est: nullum vt remedium possit dari, quod omnis generis infirmitatibus ac morbis medeatur. Quod experiri vel in eo facillimom fuerit: si medicamentum vnum & idem cholericis & phlegmaticis ægrotationibus, itemque epatis inflammati, & frigidi stomachi morbis curandis adhibeatur. At quibuscunque rebus preces adhibeamus, prosunt: æquè in rerum abundantia atque in pauperie: in prospera pariter & aduersa valetudine: non minus vtiliter in lætis atq; in tristibus rebus. Velut patriarcharum, Israelis, Dauidis, & eorum omnino omnium, quibus est religio, citra preces quicquam vel agendum suscipere, vel peractum deponere. Igitur omnem naturam precationum piarum efficacitas vincit. At naturæ Dei vel ob id maximè conueniunt: quod ipse etiam Deus, cum sit omnis copiæ cornu, summum bonum, omnis fons boni, quod satis est cuique suppeditans: neç solum procreandis verum etiam vegetandis, augendis, regendis, eruendis, instaurandis, tuendis ac conseruandis rebus sufficiens. Idque non minus probatur editis exemplis, ac propositis passim promissis significatur. Rectissimè ergo non illi solum pias preces huic malo depellendo adhibuerunt: verũ etiam apostoli quoque eodem sunt vsi, cum eis vt Act. 4. scribitur, concionando interdiceretur. Cum autem magnopere nostra, qui precamur, referat: vt & quales esse conueniens est, tales sint nostræ preces: & ad eum ipsum dirigantur solum, qui nos vnus potest eripere & adiuuare: Vtramq; virtutem precibus illis affuisse, hoc quidem loco demonstratur: alterum nimirum in ipso orandi verbo, rursos in nomine eius, cui supplicarunt, alterum. Atque vt indicet eos non orasse solum, verum etiam rectam in orando viam rationemque tenuisse, verbo התפלל vsus est ad id significandum. Id si propriè vereque exponatur, significat seipsum iudicare, quippe quod à פלל, id est, iudicandi verbo deriuatur. Quod documento est, eos, qui rectè precari volunt, ante omnia se ipsos iudicare, & ope & gratia diuina indignos docere, ad thronum clementiæ supplices sese abijcere, certa spe & expectatione veniæ & opis Dei se erigere & confirmare. Sicut de publicano orante in templo Dominus apud Lucam dicit. Huiusmodi mentis affectio conueniens est euangelio, cui sese fides, quæ sola preces reddit efficaces, quasi basi imponit. Nam & id hominem primũ in sui ipsius censuram, deinceps in fiduciã opis ac gratiæ Dei inducit. Quæ res omnis hoc verbo repręsentatur. Sed vt eum constet adoratũ, qui inuocandus est vnus: dicit, ad Deum nostrum: hoc est, ad eum ipsum Deum, qui se patribus nostris prębuit Deum. Qui propterea solus inuocari debet, quòd vnus ipse scit, potest, vult & exaudire passim orantes, & eosdem eripere & adiuuare. Sicut præclarè dicit Augustinus, vbicunque oraueris, intus est, qui exaudit. Baal & alij deastri frustra inuocantur: cum nec audiant, nec videant inuocantes, nedum eos possint adiuuare. Noster Deus, apud Esaiam capite quadragesimo quinto dicit: Ego sum & absque me non est saluator. Huius igitur inuocationem Iudæi suorum hostium viribus atque machinis opposuerunt. Alterum autem remedium est custodia, de qua dicit: Et posuimus custodes super murum die ac nocte &c. Quibus verbis hoc videtur dicere: Etsi igitur nos, nostraque omnia Deo commiserimus, & hoc persuasum animis habeamus, quod psaltes dicit, ni ciuitatem custodiat Dominus, frustra vigilare vigiles: nihilominus tamen ipsi quoque nostris excubijs vrbem muniendam arbitrati sumus, & adhibuimus idonea ad eam defendendam ac conseruandam instrumenta. Quod omnibus inprimisque publicis in negotijs semper facto opus esse cogitemus. Nam securitas & rerum ad defensionem pertinentium negligentia ab ijs plerunque admitti solent, qui cum Deum tentant, tum vero maximè ad interitum ruunt. Idque Troiæ, Babylonis, aliorum regnorum & oppidorum exemplis confirmatum habetur. Quod autem vigilias positas contra eos: vel vt habet Hebraica veritas, à facie eorum, dicit: id est indicio, eos suam curam ac custodiam nequaquam dissimulasse: & rectè. Cum enim hostes auderent bellum parare: cur non illi contrà munirent sese? Sua cuique est vt necessaria, sic quoque concessa defensio. Præclarè ergo rebus suis consuluerunt, qui primum auxilium Dei implorarunt: dein, vt ne sibi deessent, omnibus ad defensionem necessarijs rebus se suosque instruxerunt. Fœlices sunt, qui ita cum pietate prudentiam & industriam coniungunt.

Decimo vero versu huic narrationi clausulam quandam appendit, qua significatur, nihil esse ex omni parte beatum: nec vllam esse ciuitatem adeo refertam viris fortibus ac gnauis, quin aliquos etiam habeat fucos, ignauum pecus & à præsepibus arcendum. Iudas (inquit) dixit: debilitata est fortitudo portantis &c. Iudæ nomine Iudæos nimirum eos significat, qui cum ipsi deiectis

& desperatis animis essent: etiam reliquos ciues ad desperationem solicitarent. Duplex ergo figura verbis illis inest: quando Iudæ, qui gentis author ac parens fuit, nomine, gentem Iudæam omnem appellauit, per metonymiam videlicet: ac rursus per synecdocham, quod pauci quidam, aut non omnes saltem fecissent, Iudæos fecisse dicit. Vt autem de eorum facto constet, illorum ipsorum voces, quibus exprimunt desperationem & diffidentiam suam, apponit. Debilitata est, inquiunt, manus portantis: id est, vires baiulorum diutino labore deijciuntur, ac quietem seu refectionem aliquam requirunt. Dein humum aiunt esse nimiam: seu, vt sonant Hebræa verba verius, plurimum pulueris. Intelligit Vatablus calcem cum arena, ex qua fiat intritum: alij rudera, quæ fuerant inde ex area asportanda. Opus nimirum arduum & laboriosum. Postremo dicunt: non poterimus ædificare. Quibus verbis non eunt inficias oneri tanto se succumbere, vt quod viribus ac facultatibus suis sit maius. Tales homines habuerunt eorum maiores in Ægypto, cum Moses inde eos euocaret: in deserta illa via cum Ægypto egressi de bello Amelechitis inferendo deliberarent: cum decem viros Cananæam terram exploratū misissent: cum obsidione Samaria teneretur: cum Ezechiam Senacheribus obsideret. Maximum hoc hominum genus præclaris consilijs impedimentum affert: præsertim in bello. Qua de causa credendum est, hac re Nehemiam valde afflictum fuisse, & ad eam minuendam perinde multa ac fortasse maiore cura opus habuisse, præsertim hostibus eum aperto Marte oppugnantibus: quàm si illi in hostium castris fuissent, seque cum ipsis coniunxissent. Erant enim illi placandi primùm, dein erigendi in spem opis diuinæ, denique ad opus ipsum excitandi.

11 **Et dixerunt hostes nostri, Nesciant & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus.**

12 **Factum est autem venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices ex omnibus locis quibus venerant ad nos.**

13 **Statui in loco post murum per circuitum populum in ordinem cum gladijs suis & lanceis & arcubus.**

14 **Et perspexi atque surrexi: & aio ad optimates & magistratus, & ad reliquam partem vulgi. Nolite timere à facie eorum. Domini magni et terribilis mementote, & pugnate pro fratribus vestris, filijs vestris & filiabus vestris, & vxoribus vestris & domibus vestris.**

His versibus tertium earum, quæ ædificationi Hierosolymitanæ sunt ab hostibus oppositæ machinarū genus, & vt hæc quoque fracta fuerit, indicatur: videlicet positis occultis insidijs apertum latrocinium: quibus cognitis Nehemias omnia loca præsidijs munierit, & ciues ad fidem sit atque ad constantiam cohortatus. Omnium grauissimum & maximo cum periculo coniunctum impedimentū hoc fuisse nemo nescit. Insidiæ enim nisi maturè detectæ fuerint, non possunt non extremum periculum creare, quippe quæ nec prouidentia anteuerti, nec aperta vi propulsari, nec fuga declinari possunt. Quis enim id præuenerit, quod prorsus ignorarit? quis periculum id depellet, quo obrutus est improuiso? quis euadet casses eas, quibus iam tenetur irretitus? Quamobrem aut in ipsis est pereundum, aut ex eis est accepto diuinitus auxilio euadendum. Quid autem hic fiat, quid item sit sperandum, quid deniq; facto opus sit, hac Nehemiæ narratione cognita clarum erit. Eius hæc est summa: positas quidem ipsis insidias, sed diuinitus patefactas, & ope Dei gnauaq; cura sua declinatas. Tribus autem partibus omnis hæc illarum insidiarum descriptio constat: quarum prima vt sint positæ, secunda vt patefactæ, tertia vt declinatæ, memoratur.

Ac primum insidias ipsas sic vndecimo versu describit: vt earum causam efficientem, formam, materiam, finem penitus perspiciamus. Etenim ad efficientem causam pertinet quod dicit: hostes nostri, vel vt habet veritas Hebraica, צררינו, id est, ij qui nos premunt, constringunt, affligunt. Et LXX. interpretes vim verbi Hebraici probe spectarunt, quando vertunt θλίβοντες. Nam θλίβω Græcis itidem, vt Hebræis צרר, significat premere. Significat autem hoc verbo cum pijs hominibus crucis onus ita graue esse, vt eo valde premantur & vrgeantur animi, sicut Ioan. 16. futurum prædixit Christus: tum hostibus veritatis eam esse naturam, vt non posint non premere & affligere pios: esse eos hostes implacabiles, & ἄσπονδον πόλεμον cum ecclesia gerere. Cumque adeo propensa sint ad inferendum ecclesiæ bellum natura: nihil aliud ab eis est, quàm iniuriarum omne genus expectandum. Ad formam spectat quod dicunt: nesciant, ignorent, donec veniamus in mediū eorum. Verbis Hebræis etiam interpretatio Græca pulchrè respondet: & quid sit insidiarum pro-

prium

prium explanat Cum enim Habræa verba sic sonent: לא ידעו ולא יראו : id est, non scibunt, & non videbunt: Græca sic habent: [illegible]: id ait, non cognoscent & non videbunt. Ex his nimirum sensus hic colligi rectè potest. Ita clam conatus ac consilia nostra habebimus, vt ea nulla quantumuis acri inuestigatione explorentur: tum quæ ad gerendum bellum requiruntur, ea adeo clam parabimus omnia, vt nullo modo obseruentur. Possunt enim consilia simulando & dissimulando tagi: commeatus, arma, machinæ, militum delectus & conscriptio clam parari. Sed opus est vtraqua in re fide & taciturnitate propè singulari. Porro præcipuum est in omni insidiarum genere, vt eorum, quibus iosidiæ struuntur, naturæ, mores, consuetudines, ocij pariter ac laborum vices, obseruentur. Opportunitas enim insidiarum, vt ait Vegetius, aliter non potest inueniri, nisi quibus horis aduersarius à laboris intentiooe discedat, ac qoibus incautior reddatur, scias. Hoc nimirum illi quoq; spectandum rati, improuisam in Iudæos impressionem moliuntur. Hac cognita ratiooe, tantò cautiores semper simus, hocque magis ea vitia nostra celamus hostes, per quæ facillimè superamur. Inprimisque est hinc discenda astutissimi hostis insidiarum forma, quam & 1. Pet. 5. Ephes. 6. & alibi descriptam scimus. Ad materiam deinceps est referendom, qood dicunt: interficiamus. Hic enim videmus illos, & si pulchrè fucum faciant simulando & dissimulando: tamen præter cædes & latrocinia nihil habere propositum, ijsque solis in rebus quasi in materia artis suæ propria versari. Talem dicit Dominus fuisse satanam ab initio rerum, scilicet homicidam. Finem rerum illarum exprimit his verbis: cessare faciemus opus. Huc risus, apertam vim insidias, omnia deniq; conuertunt, vt huius vrbis ædificatione supersedeatur. Huc olim Caious, Pharao, alijque tetenderunt semper, vt ne Deo sacrificaretur: id egerunt passim Iudæi, vt ne in eo quem ipsi crucifixissent, salus mortalibus promitteretur: hoc spectasse Paulus apostolus indicat aduersarios suos, vt Euangelij Dei cursus sisteretur: illud Romanis pontificibus, quidquid agerent, aot prætenderent, hac ætate summæ & vnicæ curæ perpetuo fuit, vt eius, quæ per fidē Christi acquiritur, iustitiæ prædicatio è medio tolleretur. Sicut olim Iuliano, seu Iudæis ad suscitandā vrbem Hierosolymitanam author adiutorq; esset, seu Christianos scholarum aditu prohiberet, seu ecclesias suis opibus spoliarat: vnus actionibus omnibus hic propositus erat finis, vt Christiani nominis memoria aboleretur. Hæc diligenter inuastigata, bene cognita, prudenter ad omnem vitæ partem accommodata, ad id conducunt, vt insidias eò facilius caueamus & declinemus.

Quemadmodum autem hæ detectæ sint insidiæ, sic duodecimo versu docet, vt & per quos, & quibus ex locis, & quo tempore patefactæ fuerint, ostendat. Ac de ijs quidem, per quos de eis indicium factum fuit, ad hunc modum verba facit: Factum est autem venientibus Iudæis, qui habitabant iuxta eos. Quæ verba significant Iudæos illos, qui hinc inde per varia Samariæ & Arabiæ loca sparsi fuerant, has res cognitas illis aperuisse. In his Iudæis elucet insignis in Deum pariter ac dulcem patriam pietas: qua fit, vt quas res cognouissent in perniciem patriæ parari, earum ipsarum indicium suis facieodum, eoque periculum ac malum à patria auertendum iudicarent. Idem Demaratus Lacedæmonius fecit, qui cum Athenis exulans bellum parari cerneret, patriæ suæ patres apparatus eius certiores fecit: non recordatus iniuriæ, qoa ab illis affectus esset. Videre etiam hic est, qui progressus sint virtutum: & vt ea modo superet, modo cedat. Etsi illi tanto prouehendæ & amplificandæ patriæ studio accensi nondū essent, vt relictis commodis sedibus suis, in huius operis societatem venirent: iam tamen cum vident impedimentum huic operi parari, id quanto possunt opere depellunt. Ita fit, vt vir fugiens denuo pugnet, & qui parum hodie profuerit, postridie plus iuuet. Eiusmodi in ecclesiam atq; patriam pietati semper studeamus. Hic etiam est obseruandum, quemadmodum singulari Dei beneficio fiat, vt quæ res in maximi infortunij loco futuræ videbantur, eæ ipsæ nobis vtilitates maximas adportent. Optandum nimirum Iudęis omnibus videbatur: vt quotquot toto orbe terrarum vsquam exularent Iudæi, omnes ædificatum vrbem in Iudæam confluxissent: maximeque dolendū, quod id effici non posset. Iam vero plurimum eis attulit vtilitatis, fuisse in illis hostium terris amicos, qoorum opera, quæ paratæ eis fuerant insidiæ detegerentur. Illud item est obseruandum, quod in perditissimarum nationum terris aliqui reperiuntur pij & boni viri: ideoque nullam nationem per omnia condemnandam. Erant inter Cananæos & Ægyptios patriarchæ: in Sodomis Lothus: in aula Achabi Abdias: in Babylone multi insignes pietate viri & prophetæ clari: in Assyrijs Tobias: alij item booi in alijs locis. Inprimisque est cogitandom, quod Deus princeps sit detector insidiarum: & ad id ipsum modo angelis, modo viris, iam mulieribus, aliâs pueris, aliâs alijs vtatur. In Ægypto olim obstetricibus vsus est Deus ad conseruandos eos, quibus enecandis illæ fuerant à Pharaone conductæ. Sic Dauidem sæpe filius & filia Saulis è periculo mortis, quam illi pater intentabat, liberarunt: sic Assuerū Medorum regem aduersus insidias ab eunochis positas Mardochæus exul defendit: sic Paulum apostolum è furiosorum Iudæorum manibus eius ex sorore oepos eripuit: sic ipse filius Dei pare-

tim oraculo Magis allato, partim angeli commonefactione ereptus est ex insidijs, quas Herodes parabat. Quæ cum omnia diuinitus accidant: in ijs, qui insidias à nobis auertunt, non solum quid ipsi ,, faciant, verum quid per eos faciat Deus, est considerandum. Quibus autem ex locis harum insi- ,, diarum nunciatio fuerit allata, si quæramus: ex omnibus, inquit Nehemias, ex quibus venerunt ad nos. Idque est argumento non vno aut altero loco patefacta fuisse consilia eorum, verum cum multis communicata, eoque per complurium hominum ora sparsa atque eo pacto euulgata fuisse. Quod credibile est, quorundam factionis eius consciorum vel pœnitentia ac horrore tanti sceleris, vel futilitate & perfidia factum. Veluti videmus in huiusmodi conspirationibus vsuuenire, vt alij sint adeo futiles ac leues, vt quæ clam habere debebant, minus continere quàm cribrum aquas, possint: alij sunt adeo lubrica fide, vt quæ modo se facturos promiserunt, ea parui commodi spe ducti ipsimet impediant: alij in se descendant, & commiseratione innocentium reuocati à proposito, impediendi causa negotiō prodant. Quemadmodū apud Dionysium Halicarnasseum Tarquinij fratres tantisper furiarū stimulis ac verberibus agitati memorantur, dum detegerent initā abs se contra remp. cum alijs ciuibus coniurationem. Eodemq; modo verisimile est, aliquos ex Samaritanis, quàm iniquè cum Iudæis ageretur, agnouisse, & vt adeo graue malum ab eis auerteretur, nonnullis eorum indicium fecisse. Quocunque vero modo sint detectæ: videmus, quàm recte vereq; dictum sit, Matth. 10. Luc. 12. nihil esse adeo tectum, quod non sit retegendum. Angebat hoc nimirum apostolos, quod oppressa calumnijs atque obfuscata falsis accusationibus ipsorum innocentia, ipsi ceu capitalium criminum rei crudelissimis supplicijs afficerentur: vbi non solum dira tormenta corporibus, verum præter meritum iniusta ignominiæ nota dolorem animis propè incredibilem afferrent. Contrà consolatur eos Dominus, ipsorum innocentiam adeo oppressam & ab hominum notitia remotam non esse, quin aliquando sit in apricum protrahenda. Eodemq; modo nos ipsi consolemur, nullum nobis adeo clam parari posse malum, quin id Dominus pro salute nostra vigilans nobis, vt manifestum planè fiat, sit daturus. Vsus est eadem consolatione Tertullianus, cum in Apologetico dicit, tempore omnia reuelari. Idem etiam Dionysius Halicarnasseus non minus ad diuinam illam, quæ in Psalmis prædicatur, ciuitatum custodiam prudenter accommodat, quàm piè prædicat ac commendat: cùm diuina prouidentia factum scribit, vt quæ de reducendis Romam tyrannis inita fuerat coniuratio cōsulibus ipsis proderetur. Dicit enim [illegible]: id est, diuinam prouidentiam esse perpetuam quandam ciuitatum omnium conseruatricem. Quando autem illæ patefactæ sint insidiæ, eo sanè significatur, quod decem vicibus dicitur: nimirum certo numero posito pro incerto: quasi plus decies, plus millies, aut multoties diceretur. Hæ tam crebro, tam multis locis allatæ nunciationes indicio sunt, ægrè Iudæos huc adduci potuisse, vt crederent Samaritanos adeo dirum facinus meditari. Ea sanè sunt natura pij viri, vt eiusmodi nuncijs vix habeant fidem: idque eis inde accidit, quod alios solens ex se æstimare. Ac quemadmodum qui vel mali sunt ipsi, vel experti multa sunt & passi mala, fidunt nemini, verum quasuis ob causas de quibuslibet suspicantur mala: sic viri boni, quia alienis sunt ab iniuria animis, ægrè suspicantur mala. Augebat etiam difficultatē eam, quod multi in vrbe essent, quibus hostium conatus arriderent, proptereaque in eo maximus esset labor, vt ipsos ciuibus excusarent ac commendarent, nuncios contra ac fideles insidiarum indices in odium & contemptū adducerent, eoque efficerent, vt ne eis crederetur. Quæ perfidia sui ipsius etiam specimen postea dedit: vt videre est in ijs, quæ sequuntur. His opinionibus opponendum erat: eos, qui satanæ sese manciparunt, non in vno aliquo maleficij genere solū ei seruituros, verum perfrictis frontibus quicquid eis lucri voluptatisúe spem præberet, ausuros: veluti vulgo putatur, nullam esse fœminā, quæ vnius mœchi causa ad committendum adulterium flecti sese patiatur. Quamobrem non est, quod vel Cainum Abelus, vel Dauides Saulum, vel Petrus & Ioannes Iudam Iscariotem suæ ipsorum pietatis atq; fidei momento metiantur: ac putent, quia tale nihil vellent aut auderent ipsi, ideo nec illos hæc ausuros: existiment potius satanam, vbi semel ipsorum animos occuparit, nihil non posse apud eos obtinere. Sin qui fiunt in ciuitate viri, qui tam in hostibus excusandis ac commendandis, quàm in confutandis nuncijs insidiarum tantum operæ ponunt, vt quò minus vrbs custodia muniatur, & accincta sit ad propulsandas hostium incursiones ciuitas, obstare velle videātur: in ipsorum potius fidem & probitatem inquirendum, quàm vt vllo periculo patria communis exponatur. In tota autem harum insidiarum patefactione iocundum est spectare, quàm mirabili prouidentia Dei impiorum hominum conatus eludantur. Quod & Pharaonis, Balaaci, Saulis, Iesabelis, Athaliæ, Hamani, Herodis, Iuliani, aliorū exemplis confirmatur & illustratur magis.

Iam vero vt hę deuitatæ sint & declinatæ insidiæ, decimo tertio & decimo quarto versibus indicatur. Ac tria quidem commemorantur: primum insidijs opportuna loca præsidio custodiaq; munita: dein ipsorum vigilum inspectionem ab ipsomet susceptam Nehemia: deniq; oratione co-

hortatoria cum optimates, tum populum omnem in officio retentos ac confirmatos. Quæ tria ad tuendam salotem publicam plorimom prosuot, ideoqua recensentur ab Nehemia facta: vt ne patefactis insidijs quisqoam putet, ideo defensionis curam omnem abijciendam. Ac primum de præsidijs collocatis dicit: Statui in loco post murum per circuitũ populum in ordinem cum gladijs, &c. Quæ res Hebræis verbis paulo aliter effertur. Nam מתחתיות inferiores scilicet partes significant: sicut & Vatablus, & LXX. interpretes, τὰ κατώτατα τοῦ τόπου, id est, ima loca, exponunt. Intelligit autem vel eas murorum vrbanorum partes, quæ cum nondum in altum extructæ essent, hostium ascensu facile possent superari: vel imas partes turrium, è quibus hostes illi saxis è balistis emissis, aut telis peti posseot, qui iam in fossas intrassent. At צחיחים nomen interpretes variè vertunt. Vatablus, in excelsis, in summitatibus saxorum: Græci ἐν τοῖς σκεπεινοῖς, id est, occultis seu tectis locis. Sunt qui sicca ac glabra loca dici putent. Dicitur autẽ צחיח locus altus in petra, ex eo quod sit aridus & siccus: vt iodicat R. Dauid in libro Radicum & in Commentarijs. Et potest hæc sententia vel eo ipso probari, quod Ezechiel. 24. versu 7. hoc epitheton petræ tribuitur, his verbis: על צחיח סלע שמתיהו: id est, super editam rupem posuit eum. Ex qua collatione videtur possa culligi: sagittarios aliquot fuisse positos post muros in editis locis, qui Samaritanos assultantes improuisis telis exciperent. Ergo quod post murum starent, LXX. ioterpretes dixerunt eos ἐν σκεπεινοῖς, quasi io insidijs stetisse: quod in altis saxis staterunt, alij glabris locis collocatos dicunt. Est autem hæc ratio planè petita ex præceptis scientiæ militaris: nimirum vt quibos ex locis vel hostes nobis damnum possent dare, vel oos illis possemus nocere, ea nos aut priores occupemus, aut æquemus solo: ne hæc sibi relicta muniant hostes, & inde noceant nobis: Ita Nehemias, cum vrbani muri nondum plane essent restituti, prudenter occupat editissima quæque loca præsidijs, quę propulsent hostium impressiones. Hanc etiam rationem militi Christiano obseroandã Christus monet: vt siquidem Satanam auribus, oculis, manibus, pedibus nostris in perniciem oostram abusurum videamus: hæc membra potius amputemus & eruamus, quàm ipsum illis tanquam proprijs instrumentis suis nos perditum ire patiamur. Ac rursus ne Satanæ per arentia loca aberranti mentem vacuam relinquamus, verum potius spiritus ac verbi diuini præsidio moniamus, adhortatur. Moueat saltem eorum nos philosophorum exemplum, qui vel maximas auri massas in profluentem abiecerunt, ne per opes à virtute & officio seducerentur: vel oculos eruerunt proprios, vt nullis aliunde obiectis impedimentis ad contemplatiooes magis essent expediti. Sed & ciuilis scientiæ præceptis conueniens est, quod hic suis quæque excubijs ac præsidijs loca muniuisse memoratur. Alterum autem illud inprimis est principe viro dignum: quod & si viris fortibus ac gnauis vrbanam hanc custodiam demandasset: tamen essent ne io officio constantes animaduersione sedula sibi ipsi quoque explorandum iudicauit. Qua vigilantia facilè fecit, vt ipsi in officio, ciuitas in tuto, essent. Tales erant Epaminondæ Thebani, Agamemnonis, Aeneæ, Scipionis, aliorum, vigiliæ & inspectiones. Tertij vero generis oratio cohortatoria fuit, qua ad excitandos, nedum confirmandos ciues momeoti plurimum attulit. Cum autem in hoc oratioonm genere breuitas sit maximè necessaria: in hac quoque rerum cogitandarum summa capita solum attinguntur. In quibus est primum, non esse timendum. Quo metus, qui maximum est actionum honestarum & laudabilium omnium impedimentum, exploditur. Quemadmodum enim vestis viro vacua nec insistere caligis, nec manicas pendulas erigere per seipsa potest: sic corpus quantumuis robustum aliâs ac procerum, cum metu fuerit occupatum, adeo nihil virium habet, vt nec manus nec pedes officijs suis fungantur. Equidem Demosthenes præstantissimus orator fuit: sed eum in propria causa adeo impeditum metu fuisse ferunt, vt qoi plurimis antea multũ profuerat, sibi ipsi miser maximè deesset. Quibuscunq; ergo modis possumus, metum nobis eximemus. Proximum est, quod dicit: à facie eorum: hoc est, à splendore & opinione potentiæ & sapientiæ, & dignitatis eorum. Multi præ se ferunt maximas animorum pariter atq; corporum vires: quarum ne pantillũ quidem habent, ideoq; frustra metuontur. Sic apud Aristophanem Pisander irridetur, qui cum insignibus armis & triplici cono vteretur, adeo timidus fuit, vt prouerbio fecerit locum: Πεισάνδρου δειλότερος, id est, Pisandro timidior. Perinde etiam Thrasones alios complures videas animis affectos: vt toruis quidem sint frontibus, trucibus oculis, horridis barbis, aspera voce, gladijs bene longis accincti: sed adeo timidi, vt abs quouis homuncione in fugam verterentur. Qua de causa stultè fecerint, qui illas facies, hoc est, laruas formidarint. Tertium est, quod horum hominum viribus ac minis ipsum Deum opponit, cum dicit: Memores esse Dei nostri, qoi magnus est & metuendus. Quasi dicat: siquidem libet timere, eum potius timete, qui solus est talis, vt timeri debeat. Idem etiam consulit filius Dei, quando monet, non eos qui in corpus solum seuire possuot, vbi illis diuinitus fuerit concessum, metuendos: potius timendum Deum, qui possit corpore trucidato animã etiam obijcera excruciandam igoibus sempiternis. Qua re cogitata ac spectata fiat, vt metum me-

tu, quasi malum nodum malo cuneo confringamus. Postremum cohortationis huius est caput, quod pugnaodum monet pro fratribus, vxoribus, libetis, domibus: hoc est, vt imperatorum verbis vtar, pro aris ac focis, pro carissimis vxoribus, pro dulcissimis liberis, pro ipsa patria ceu omniũ communi parente & procreatrice. Pro quibus mori, in lucro putandum est: cum & seruitus cum perpetuo onere & dedecore coniuncta propulsetur ab ijs, quibus in vita nihil est carius: & nos relicta post nos honestissima ac gloriosissima nostri nominis fama, ex miserijs & molestijs maximis in beatam ac tranquillam eamque sempiternam vitam commigremus. Quæ cogitatio cum ignauissimos etiam animos ad audendum res memoria dignas excitet, semper est adhibenda in periculis ad explodendum metum.

15 Factum est autem cum audissent inimici nostri nunciatum esse nobis: dissipauit Deus consilium eorum: & reuersi sumus omnes ad muros, vnusquisq; ad opus suum.

16 Et factum est à die illa, media pars iuuenum eorum faciebat opus, & media parata erat ad bellum: & lanceæ & scuta & arcus, & lorica, & principes post eos in omni domo Iuda ædificantium muros.

17 Et portantium onera, & imponentium: vna manu sua faciebat opus, & altera tenebat gladium.

18 Ædificantium enim vnusquisque gladio erat accinctus renes, & ædificabant & clangebat buccina iuxta me.

19 Et dixi ad optimates & ad magistratus, & ad reliqua partem vulgi, opus grãde est & latum, & nos separati sumus in muro alter ab altero.

20 In loco quocunque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nostros.

21 Deus noster pugnabit pro nobis, Et nos ipsi faciamus opus: & media pars nostrum teneat lanceas, ab ascensu aurorę donec egrediantur astra.

22 In tempore quoque illo dixi populo, vnusquisque cum puero suo maneat in medio Hierusalem, & sint vobis vices per noctes diem ad operandum.

23 Ego autem & fratres mei & pueri mei, & custodes qui erant post me non deponebamus vestimenta nostra, vnusquisque tantum nudabatur ad baptismum.

Cum maximum ab iosidijs sit periculum, & ecclesiæ perduelles his ipsis tunc potissimum soleant vti, cùm in opprimendæ veritatis studium toti incumbunt: non mirum est Nehemiã in earum, quæ sua ætate Iudæis structæ erant, descriptione tantum operæ posuisse: vt & quales illæ fuerint, & quo modo sint elusæ, demonstrarit. Iam vero, vt videamus has artes nec magnopere metuendas, nec vllo modo negligendas: sed opus esse pijs hominibus, vt quasi in quadam æquilibritate teneant animos suos: nempe, vt nec metu deijciantur in desperationem, nec securitate deducantur ad negligentiam atque socordiam: quid his vltro citroque cognitis atque exploratis rebus in vtriusque partis castris sit factum, secunda parte capitis huius Nehemias nunc ostendit. Et eius quidem narrationis hæc est summa. Hostes, vbi nunciatas Iudæis insidias suas accepere, consilium de impressione subita prius initum deposuisse: Nehemiam tametsi id rescisset, propterea ab armis nequaquam discessisse: ratum hoc ab hostibus ex composito fieri, ideoque sic negotia atq; consilia sua instituisse: vt pariter & ædificium proueheretur, & vrbs custodia necessaria muniretur. Atq; hæc res sic ab Nehemia recitatur, vt primum quid in hostium castris, tum in vrbe quid sit factum, videamus.

Ac quid in hostium castris sit factum, versus decimi quinti priore membro recensetur hoc modo. Cum audissent inimici nostri, &c. Ex quo perspici potest Samaritanos cognito Iudæorum apparatu ab impressionis subitæ consilio destitisse. Qua in re latent non vulgarium rerum documenta. Et primum illud, quod homines impij, truces quidem sunt & minaces admodum: sed nisi inermes, imparatos, neminem adoriuntur. In quo nemo negauerit eos similes esse latronum & furum, qui tantum ex insidijs homines aggrediuntur, & noctu res alienas dormitantibus dominis attrectant.

attrectant. Ac quemadmodum canis fugientem canem persequitur, resistentem autem vel allatrat solum, vel etiam fugit: sic illi siquid extorquere minis, aut efficere insidijs possunt, res ex eorum sententia successerit: sin minus, vltrò tacent ac quiescunt. Dein illud etiam est obseruatu dignum, quod eorum consilij patefactione sibi nunciata, ceu validissima quadam machina à proposito suo deijciuntur. Ac qua re prius ad suscipiendum bellum excitati fuerunt, hac ipsa deinceps ad id deponendum adiguntur, scilicet fama. Quemadmodum igitur in aliquo stagno aut in palustri solo sita arundo, quolibet vento huc illucque agitatur: sic illi cuiusuis famæ seu rumoris vento sursum vorsum mouentur. Firmioribus animis sunt cultores Dei. Sicut Dominus Ioanni Baptistæ, qui nec Herodiadis ac Herodis minis, nec blanditijs Iudæorum, & oblata verbis eorum Messiæ dignitate, quiuerit ab officij via dimoueri, constantiæ tribuit laudem. At hostes ecclesiæ semper à fama pendent: ac pro eo atque hæc illis accommodos aut incommodos susurros afflarit, omnes res instituunt & administrant suas. Idque nostra patrumque memoria, qui veritatem Christianæ fidei flamma ac ferro persequuntur, semper factitarunt. Illud rursus est obseruandum, quod Dominus dicitur eorum consilia dissipasse. Emphasim autem nonnullam in הפר, id est, labefactandi verbo obseruemus. Id enim indicat Deum etiam eas pactiones, quæ nec arte nec viribus expugnari posse videbantur, facile posse concutere, labefactare, effringere, in nihilum redigere. In quo obseruanda etiam hæc veniunt: efficiens causa, qua animi illorum sunt deiecti, Deus est: id nemo nescit: instrumentum, quo Deus est ad frangendos eorum conatus vsus, sunt Iudæorum bellicus apparatus, oppositæ Samaritanorum insidijs excubiæ, eisdemque declarata voluntas ad defensionem prompta & parata. Affirmat hoc prouerbium Germanorum vulgo tritum, gladium gladio in vagina retineri. Est igitur coniunctæ cum grauitate & prudentia fortitudinis, lacessere neminem, te, cum lacessitus sis strenuè defendere. In quam sententiam Beda scribit. in spirituali ædificio, si apostolicis semper fuerimus armis induti, dissipabitur consilium diaboli & eius angelorum, qui nos debellare desiderant.

In vrbe vero quid sit factum, vt ostendat, dicit: & reuersi sumus omnes ad muros, &c. Quæ verba satis clarè docent, vrbanos, illorum insidias non pertimuisse quidem, sed non neglexisse tamen. Vbi videre est, vt medio inter timiditatem & temeritatem loco versetur fortitudo. Quô fit, vt animos humanos non solum accendat ad sui ipsius suorumq; defensionem: sed cohibeat etiam ab hostium contemptione & securitate. Multa vero hoc loco memoratu digna memorantur. Primo, Quod potiti pace conuertuntur ad ædificandum: præclaro sane exemplo, ne pace & ocio ad segnitiem abutamur: sed potius eius vsum atq; fructum ad instaurandas res bonas conuertamus. Nec mirum est Romanos quosdam olim in ea sententia fuisse, vt putarent nequaquã esse destruendam Carthaginem, quòd virtutis Romanæ quasi quædam coticula hactenus extitisset. Et ferè fit, vt quæ ciuitates bellis ac laboribus increuerunt, ex nimio ocio luxuriaque soluantur ac ruant. Et hanc nostram patriã, cum modo Austriacis, modo Burgundicis, modo Sueuicis impressionibus ac bellis exerceretur: opibus, viribus, honoribus auctã fuisse: dein partæ & confirmatæ pacis ociosa fruitione, cum ad ignoratũ antea luxum, tum in alia quoque mala atq; incommoda constat incidisse, quibuscum perpetuũ bellum habet. Quod cum Persis, Græcis, Romanis etiam florentissimæ atque inuictissimæ quæque gentes maximè commune habent. Quod testantur omniũ gentium historiæ. Secundo loco venit obseruandum, quod populo Iudæo duabus classibus omni distributo: pars ædificando occupata tenebatur, pars in acie & excubijs stetit. Fuit id etiam prudentiæ cum pietate & fortitudine coniunctæ. Etenim honestum & pium opus erat, vrbem instaurare: nec dubium erat, quin ædificantes Deo patrono essent vsuri: sed nihilominus huius perfectionem operis sic moliuntur, vt ne quo impedimento interueniente cogantur ab eo discedere cum dedecore & damno. Ergo sic optimarum quarumque rerum administratio semper erit instituenda ac gerenda, vt quàm facillimè, citissimè, rectissimè perficiatur. Etsi enim Deus earum, quas nos eius mandato gerimus, rerũ princeps ipse pars sit, nos cõtrà serui solùm & instrumẽta, quibus etiã non adhibitis quod vellet, efficeret & elaboraret: tamẽ etiam nostram ad has efficiendas vigilantiã & industriam requirit. Tertio loco spectari debent militaris simul ac ciuilis disciplinæ rationes, quas Nehemias in virorum pariter & armorum delectu, itemque in instruendis tam ad pugnam, quàm ad ædificandum ciuibus obseruauit. Ac primum ex vniuersa ciuium multitudine eos selegit qui florentissima ætate, & ad omnem seu belli, seu structuræ laborem tolerandum validissimis ac firmissimis corporibus essent. Id enim נערים, id est, iuuenum Hebræum nomen significat. Horum animis alacritas, corporibus robur & inerant, & indies magis ac magis increscebant. Quocirca tam ferendis oneribus, quàm belli patientiæ conueniens ætas eorum fuit. Ac quanquam ciuilis societas æqualitate & concordia conseruatur maximè: & hæc postulat, vt onera laboris publici

pariter omnibus incumbant: tamen eos, qui vel ætate ingrauescente, vel imbecilliore corporum constitutione fuerint, præstat conferre pecunias, quibus robustiores aptioresq; foueantur, quàm operas suas ipsorum, quibus respub. vel parum adiuuetur, vel etiam impediatur. Prudenter ergo Nehemias tam ad propugnandam, quàm ad ædificandam vrbem lectissimos iuoenes censet adhibendos. Neo dubiom est, quio hi sumptus ad fooendos illos contulerint, qui per ætatem & edoeationem & anteactæ vitæ genus ac consuetudinem minus ad has res apti fuissent. Quæ proportio seruata in bello pariter & operibus publieis prodest: quando in acie exoptati sunt & grati, & animi nonnihil addentes commilitones, quos persuasimus oobis animis ac corporibus firmis esse: in operibus publicis, si pariter omnes iugum ferant, & concordes erunt operarij, & magni progressus operum fient. Hac segregatione ciuium facta, alium iterum delectum habet: quando horum iuuenum cœtum quasi in exercitus duos secernit, quorum alterum ad labores ædificationis remittit, alterum instruit ad pugnam. Et eorum, qui laborabant, rursus erant ordines duo: quorũ vnus construendis muris, alter ferendis oneribus destinarentur. Hi quoniam tyronum instar ad laborum tolerantiam assuefierent: vbi res postulasset, perinde poterant vtiliter ad pugnam adhiberi. Nam & olim hoe tyronum exercitium fuit, vt pondus baiulare vsque ad 60. libras, & iter facere gradu militari cogerentur: vt in arduis expeditionibus & arma & annonam ferre possent. Quocirca duas ad res vtilis horum labor fuit: nempe vt & opus inchoatum perficeretur, & oneribus ac laboribus belli eiues assuescerent, eoque minus alienis militibus opus esset. Vilius enim (inquit Vegetius) constat erudire armis suos, quam alienos mercede eonducere. Quantoqđe pręstet eos ad pognam educere, quibus animus est pro aris & focis, pro pàtria, pro eoniogibus ae liberis, pro auita libertate & gloria pugnare: quàm peodere ab eorum arbitrio, qui pugnandum cum fuerit, pecunias volunt numerari: non vno exemplo horum quoque temporum, si necesse sit, posset demonstrari. Sed & si pacis studijs hi intenti essent qui laborabant: tamen quoniam ab insidijs ac subitis hostium impressionibus eauendum ipsis fuit: ipsi qooque iussi sunt arma ad manum habere, vt ad omne etiam subitum perieulum depellendum instructi paratique essent. Quæ res principibus viris documento est: vt in altissima quoque pace, suos homines & instruant armis, & ad arma tractanda assuefaciant atque exerceant: quò paratos pariter & exercitatos habeant ad tuendã pacem publicam ciues. Etsi enem ipsi pacem præferant bello: tamen hanc, quando inuitis vicinis retineri nequiuerit, bello recuperent atque obtineant, necesse est. Alterum aotem exercitum instruit ad pugnam, ita vt iuueoes, qui corporum viribus & animorum vigore præstabant, in primam aciem ad hostem exeipiendum: principes ac natu grandiores, qui consilio præstarent, & succurrere inelinanti aciei possent, post principia ordinaret. Fuit hoe & vtile & necessarium factu, Cum enim omnis in aciei instructione admissus error, & optimos milites dissipet ac frangat, & eelerrimam infligat pœnam: quanti referat aciem rectè & sapienter instructã esse, nemo potest ignorare. Armorum deinceps eum haboit delectum, vt alia laborantibus, alia in acie stantibus imperarit: idque enumeratione singulorum generum declarat. Primum genus eorum est, quæ Hebræa lingua רמחים vocantur: Latinus interpres lanceas, alij hastas vocant, Chaldæus paraphrastes hoc genos רמחיא, LXX. Interpretes σειρομάστην vertunt: quod Suidas putat instrumentum ferreum fuisse, quod ansam ligneam haberet. Videtur autem gladius oblongus & similis lingulæ fuisse, vel hastile, vel quoduis aliud ad pungendom factum. Quod videtur historia confossæ Madianitidis quæ extat Num. 25. demonstrare. Secuodum genus est מגנים, id est scutorum: quæ Hebræis à מגן, id est, tegendi verbo videntur appellari: quod eum qoi ipsa tulerit, obtegant & aduersus omnem ictum tueantur. Tertij generis sunt, quæ Hebræis קשתות id est, arcus, ex eo quod ægrè inflecti possint, appellantur. Quarto genere compræhendit, quæ Hebræi שריונים id est, loricas vel thoraces squammatas vocant. Et hæc quidem eos ferre voluit, qui in acie starent. Quæ diuersos in vsus duos sumebantur: partim scilicet ad sui ipsius defensionem, partim ad oppugnandum ac lædendum hostem Ad se tuendum loricæ & scuta: ad lædendum hostem arcus & gladij conducebant. In vtroque genere delectus ac modus requiruntur. Nam ad se tuendum ea quisque contentus sit sumpsisse, quæ maximo sint vsui, minimo oneri. Satis sit non esse prorsus nodum & expositum ad vulnera: tales enim de fuga potius cogitant, quàm de pugna. Ad lædendum autem hostem ea videtur delegisse, quibus punctim pugnaretur. Quod pugnæ genus ad victoriam facillimè comparandam videtur plurimum conferre. Cędendo enim raro occiditur hostis, & ab vna parte nudatur pugnans: pungendo contra corpos militis tectũ manet, & hostis opinione citius aut vulneratur aut occiditur. Atque hoc armorum genere eos vti voluit, qui in acie stabant. Laborantibus autem duo tantum armorum genera, quæ tam ad feriendum hostem, quàm ad se tuendũ cooferrent, ferenda imperauit. Voũ genus Hebræi חרב ab exiceandi verbo deriuato nomine vocant: quod emunctos atque potius exhaustos sanguine viros, planè siceos efficiat: gladium interpretes

passim

paſsim vertunt:idq; minime malè. Gladijs maxima & plurimum ſanguinis effundentia vulnera, quæ [illegible] Græci vocant, infliguntur. Alterum Hebraice שלח à mittendo dicitur, quod nimirum iaculum, aut haſtile, aut quodcunq; miſsile telum fuit. His ſeu eminus petendus in illos laborantes impetum facturus hoſtis, ſeu cominus pugnandum eſſet, vti commodè poterant. Atq; ad eum modum ordinatis ac conſtitutis rebus, ſiue in laborantes, ſiue in eos, qui parati ad pugnā ſtabant, impetum hoſtes feciſſent, ſiue alij alijs periclitantibus ſuccurrere deberent, ad propognandam ciuitatem omnia neceſſaria in procinctu eſſent. Atque hæc quidem illius viri ſingulari cum induſtria coniuncta prudentia ſiue ad ciuilem ſcientiam, ſiue ad eccleſiaſticam gubernationem, ſiue ad priuatam cuiuſque mortalium vitæ informationem, ſiue ad vniuerſorum & ſingulorū hominum ſalutem aduerſus ſatanæ vires & inſidias cuſtodiendam transferatur, præclaro documento eſſe poteſt. ſic inſtituenda omnia vt alijs alij præſidio & adiumento eſſe, vt habere ea in promptu, quibus & defendi ipſi, & frangi inimici poſsint, vt opus diuinitus nobis mandatum perficiatur. Ac præſertim aduerſos ſatanam meminerimus tam nobis tuendis thoracem iuſtitiæ & ſcutū fidei, quàm illi proſternendo gladium ſpiritus puta verbum Dei profuturum. Qua de re Epheſ. 6. plura Paulus. Cogitemus etiam ſatanam, & ſi magis ocioſos quàm laborantes adoriatur, tamen ipſis etiam laborantibus inſidiari, ideoque etiam ipſos verbi diuini gladio perpetuo accinctos eſſe oportere. Quartò conſiderandum eſt quod cum ad operas quiq; ſuas vndiquaq; diſperſi eſſent: ne incurſionem facientibus hoſtibus, ipſi quaſi palantes milites ſigillatim ſinguli interciperentur: prudenter eſt ab Nehemia conſtitutum, vt quoties aliquid ab hoſtibus periculi imminere videretur, euestigio clangore tubæ ad id depellendum colligerentur: nempe vt & coniunctis viribus potentiores, & agmine denſo quaſi clauſi firmiores tutioreſque eſſent. Quam ad rem tuba ſanequàm idoneum inſtrumentum fuit: ſicut Hebræi nominis interpretatio plane perſpicuum facit. Etenim שופר apud Hebræos à verbo שפר, quod ſignificat diffundere & dilatare, deriuatur: nimirum quod tuba ſonum clarum in ipſum aerem longe lateque diffundat: eoque commodè poſsit magnā multitudinem vna quaſi voce quid facto opus eſſet, admonere. Qua re maximè eſt opus in omni parte rei militaris. Ad obtinendam enim victoriam nihil plus momenti confert, quàm vt ait Vegetius, obtemperare monitis ſignorum: cum multa ex tempore iubenda veniant, eaque dux per ſigna quàm citiſsimè ad exercitum omnem tranſmittat. Sunt autem tria genera ſignorum: vocalia, ſemiuocalia, muta. Signa Semiuocalia & vocalia tributa ſunt auribus: oculis muta. Ac muta quidem ſigna ſunt aquilæ, Dracones, vexilla, & in his depicta inſignia ducum aut imperatorum: item quæ vel manu, vel veſte, vel nutu dantur. Quibus enim in locis ſigna conſiſtunt, in ijs ipſis exercitus omnis gradum ſiſtit: & quocunque ſigna feruntur, huc omnes copiæ ſequuntur. Vocalia autem ſigna vocantur quæ humana voce efferuntur: cuiuſmodi ſunt teſſeræ illæ, victoria, palma, virtus, triumphus, Deus nobiſcum, & ſimilia verba, quorum communicatione rogati milites, quarū ſint partium oſtendunt. Eæ vero ſubinde ſunt mutandæ: ne cognitis eis hoſtes in perniciem noſtram abutantur, & exploratores in caſtris noſtris impunè verſentur. Porro ſemiuocalia ſigna ſunt quæ per tubam, buccinam, cornua dantur. Tuba, inquit Vegetius, directa, buccina in ſemetipſam æreo circulo flexa: cornu ex viris agreſtibus, argento nexum, arte temperatum, ſpiritu quem canentis flatus emittit, auditur. Per hæc ſignificatur, ſtare ne an progredi, an etiam retrogredi copiæ debeant. Sicut Moſes author eſt, Num. 10. duo potiſsimum ſigna ab ipſo domino fuiſſe inſtituta, quibus ipſius populus vteretur: vnum vexillorum, quæ principibus commiſit: alterum tubarum, quas ſacerdotibus dedit. Sed & tubarū dies feſtos & ſolennes inſtituit, quò bellorum ope ſua proſperè confectorum memoriam perpetua cum actione gratiarum conſeruaret. Fuere præterea alias apud gentes tubæ Libyſticæ, Ægyptiæ, Thyrrhenicæ, quas Ariehondas opem Heraclidis afferens in Græciam inuexit. Soli, puto, Buſiritæ & Lycopolitæ nullum tubarum vſum admiſerunt: quod eis aſininæ vocis ſimilem ſonum edere viderentur. Cæteræ gentes his libenter ſunt vſæ: quod eas agnoſcerent ad vigilias, vel angarias faciendas, ad euocandos milites, alias item ad res vtiles eſſe. Eiſdemque cauſis cum diuina lege coniunctis adactus Nehemias, earum vſum & obſeruauit, & edocuit ſuos homines oratione & verbis. Quintò conſiderandum venit, quod, pro eo ac principem optimum quenque maximè decet, oratione conſolatoria ſuos homines erigit in ſpem victoriæ, & ad opus perficiendum ſtrenuè cohortatur. Et eſt imperatoris boni: non ſolum excelſo magnoque eſſe animo, verum etiam ſuis hominibus animum addere, eoſque conſilio inſtruere, conſolatione confirmare, cohortatione excitare. Quam ad rem Nehem. cum excitat facti, tum inſtruit orationis, exemplo. Facto ſuo monet idem alijs facto opus eſſe: orationis exemplo docet vt id fieri recte & vtiliter queat. Habet autem orationem ad omnem populum: ſicut enumeratione ſingulorum ordinum indicatur. Eſt verò breuis & militaris & ſolum res ſcitu maximè neceſſarias continens oratio. Primum enim 19. & 20. verſibus indicat vſum tubæ, & quas ob cauſas hanc penes ſe habere

voluerit: nempe, vt quoniam opus esset amplum & late patens, & qui in eo perficiendo laborabant, procul abs se remotis locis esseot: quoties aliquid ingruisset periculi, desertis operis suis in eum quique se reciperent locum, in quo tubæ sonitum audiuissent. Perprudens est & ad omnē casum accommodata partitio: qua & administratio & finis & vinculum ciuilis gubernationis societatisque repræsentantur. Administratio suum euiqoe officium ac locum assignat: finis singulos è suis locis in vnum ad conseruandum publicum bonom conuocat: vinculum societatis omnia est obedientia debita principibus seu mandantibus operas, seu inde ab operis euocantibus ad ciuitatem propugnandam. Quarum rerum ille suos admonet hac orationis suæ parte. Excitat autem & erigit eis animos bifariam: primum opis diuinæ promissione, dein operarum facillima maximeque expedita distributione. Diuinam enim opem eu pollicetur quod dicit: Deus noster pugnabit pro nobis Præclarum sanè & consolationis plenum axioma: vt quod multis sit exemplis pariter & testimonijs confirmatum. Equidem Dauid in Psalmis dicit se diuinitus instrui ad bellum. Paolus etiam agit hoc passim vt persuadeat, Deo nobis faoente & aspirante, qui nos expugnet, futurum neminem. Sed & si diuinam opem polliceatur: tamen nihilominus ipsis quoq; laborandum monet. Quo ipso docet nostrarum esse partium vt laboremus: diuinitus id expectari, vt fœlices nobis nostræ sint operæ, earumq; fructus percipiamus. Accedit huic consolationi, quod laboribus viritim partitis & sancitis vicibus laborum & quietis, & vigiliarum, ratio quædam commonstratur, qua facilius illud opus fiat. Indicat autem inde à diluculo vsque ad vesperam operi instandum: nocte vero quietem laborantibus concedendam. Cumque dimidia tantum pars ciuiū laborarint interdiu: verisimile est eos per noctem excubias vicissim egisse, qui interdio solum in præsidijs ac non etiam in opere fuissent. Docet hæc ratio, quanti nostra referat, vt & rectæ quietis ac laborum moderatiooi & æqualitati, studeatur. Quarum altera societates & amicitiam omnem, altera singulorum hominum vires naturasque conseruant. Nam vt iniquæ prærogatiuę & propor tionem omnem excedentes seu onerum, seu præmiorum distributiones, inuectis io societates offensis lædunt & disiungunt animos sociorum: sic quod caret alterna requie saluum atqoe iotegrū permanere noo potest. Obseruanda vero fuerit hæc illius temporis ootatio. Etenim spacium temporis eius, quod diurnis laboribus tributum memoratur, à summo mane ad initiū noctis vsq; ducit, ac peculiari quadam locutionis forma circumscribit. Et matutinum quidem tempus ascensus auroræ nomine: noctis autem initium astrorum exitus appellatione significauit. At aurora videtur à rubore nigricante, seu colore valde roseo, qualem primo ortus soi puncto habet, apud Hebræos accepisse: quando à שחר verbo, quod subnigrum esse significat, deriuatur. Latiois ab aura denominatur, quod partem frigoris nocturni retineat. Vnde & apud Orpheum [illegible], id est, Solis nuncia dicitur. Cumq; priscę gentes cuiq; temporis ac diei parti suum genium vel Deum peculiarem tribuissent, vt apud Homerum Grammatici notarunt: hanc primæ partis diei Deam haberi voluerunt. Sed ascensum auroræ tribuit, quod lucem supra nostrum hemisphærium vehere videatur. Quemadmodum etiam antiqois hæc curru, quem Pegasus alatus equus traheret, per cœlum vehi, & lampada ferre putabatur, & ex ea re λαμπαδηφόρη nominabatur. Ex quo perspicuū fit, huius appellatione summum maoe significari, vt diximus. Alterum deinceps huius spacij terminum astrorum exitum appellat: non quod stellas existimet, vel ratione præditas naturas, vel animalia esse, & animantium more ire & redire: sed quod partim naturam, partim motum, stellarū spectet. Stellæ enim quia sunt in illa vltima conflagratione mundi periturę, in earum, quas ratione præditas scimus, quasq; Deus non vult ioterire, naturarum numerum referri non possont: sed sunt globi lucidi, & apud Hebræos ex eo nomen suum consecutæ, quod eiusmodi quædam sint, quæ nunquam extingui queant, ac perpetuum splendorem præbeant, lumina. Iam quoniam earū splendor, diurno solis splendore sic obfuscatur, vt nullus nobis amplius appareat: ac rursus sole sub hemisphærium nostrum deuecto, iterum oculis nostris obijcitur: Nehemias quasi per metaphoram dicit eas in conspectom nostrum redire, euque modo naturam earum spectat. Motum autem earum prodeundi quoque verbo ootauit. Nec est, quod propterea talem eorum motum imaginemur, quali vel io terris animantia, vel in aquis pisces, vel in aere volucres vehuntur. Nam si illarum motu cœlum finderetur, velut piscibus nataotibus aquæ scinduntur: cum aer, qui io spaciū exeontium succederet, eo vsque non pertingat: certè quod cum natura pugnat, vacuum concedendum Aristoteli non iniorià videretur. Consentaneum igitur physici censent, eas orbium motu vehi: & quia tenebris noctis diurnæ luci succedentibus splendor earum nobis redditur maior, hocque ipso illæ quasi in conspectum nostrum redire putantur: non absurda ratione processus siue exitus nomen eis attributum fuit. Cumque hoc fiat sub noctis initium primam noctis ineuntis partem hac phrasi videtur author indicare voluisse. Postremo loco fuerit obseruandum, quod ipse & sui familiares prę cæteris strenui, & ita quidem assidui in laborando & excubando fuerunt,

vt quem-

vt quemadmodum vltimo capitis huius versu dicitur, ne vestes quidem vnquam deponerent, prę terquam ad aquas. Hac enim assiduitate, & vigiliarum laborumq; tolerantia facile Nehemiæ fuit, inuitos etiã ac reluctantes cogere, segnes excitare, gnauos confirmare & in officio retinere. Quod enim princeps ipse facit, id alij illius imperio subiecti facile iure nullo recusarint. Qui igitur suos homines vel ad præclara facinora, vel ad subeunda pericula, vel ad operas ac vigilias adigere voluerint: hi meminerint interesse sua, vt præeant eis exemplo suo, eoque ipsos post se trahant. Idque Alexander & Cæsar sæpe factitarunt. Quod autem in vulgata versione dicitur, Nehemiam vestes non deposuisse, nisi ad baptisinum: id in veritate Hebraica legitur alijs & quidẽ illis verbis, nisi ad aquas, expressum. Aquarum nomine Aben Ezra רחיצה, id est, expiatoriam ablutionem putat significari. Eius ablutionis videntur Euangelistæ quoque meminisse: vt Marcus 7. & Ioan. 2. capitibus. Quibus in locis indicatur Iudęos abluendis manibus ac poculis aquas magnis in hydrijs habuisse. Siue ergo lege præscriptas ablutiones in tot tantisque negotijs etiam obseruauit, religionis studium ingens in eo fuit: siue necessarias corporis sordibus eluendis aquas dicat, naturæ virium rationem habitam credi potest. Ergo quoad vel natura, vel religio pati poterant, continuas operas & vigilias seruauit nimirum, vt ne exploratis ocij & quietis ipsius horis, hostes, opportunitate temporis vsi, subitam in eos facerent impressionem. Quod ei partim propter submissos ab hostibus exploratores, partim propter perfidos ciues inprimis facto opus fuit.

CAPVT V.

Tribus impedimentis ijs, quæ Hierosolymarum vrbis instaurationi à Samaritsnis opposita quarto capite memorantur, iam aliud his ipsis multò maius subsecutum quinto capite refertur: videlicet intestinus inter ipsos Iudæos ædificantes suscitatus motus: quo ferè non ædificatio solum impedita, verum ipsa quoque ciuitas omnis euersa fuisset. Ex eo vero, vt inter se tumultuarentur, accidit, quod in ipsis complures ciues essent, qui longo exilio, multis profectionibus, morbis, ædificatione, tributis, censibus annuis, calamitatibus, alijsq; publicis ac priuatis malis exhausti ad inopiam redacti essent: quibus optimates & opulenti ciues, non vt æquum, honestum, pium erat, opẽ afferebant, sed iniquis exactionibus ac fraude & iniuria varia paupertatis onus sic augebant, vt vel vendere, vel oppignerare sua prædia, denique se suosque in seruitutem dedere cogerentur. Ergo rebus redactis ad desperationem vltimam, more eorum quibus egestas imperat, illi bonorum direptiones, iniqua onera, iniuriam, inopiam, infamiam, fortunam aduersam deplorare, querelis omnem ciuitatem complere, quoquo modo, quaqua via daretur, exitum quærere. His Nehemias cognitis rebus, diuitum auaritiam seuera castigatione cohercet, inopiæ ciuium pauperiorum succurrit, pacis concordiæque leges sancit. Cumque magni momenti res sit, & procliue admodum factu, vt ciuitatibus alijs idem accidat malum: diligenter hoc exemplum describitur, triplici proposita, videlicet ipsius motus, pacificationis, causarum, descriptione. Quæ nobis sigillatim singula sunt inspicienda.

ET factus est clamor populi, & vxorum eius magnus aduersus fratres
suos Iudæos.
2 Et erant qui dicerent, filij nostri & filiæ nostræ multæ sunt nimis:
accipiamus pro precio eorum frumentum, & comedamus & viuamus.
3 Et erant qui dicerent, agros nostros, & vineas, & domos nostras
opponamus: & accipiamus frumentum in fame.
4 Et alij dicebant mutuo sumamus pecunias in tributa regis, demúsque agros nostros & vineas:
5 Et nunc sicut carnes fratrum nostrorum, sic carnes nostræ sunt: &
sicut filij eorum, ita & filij nostri: ecce nos subiugamus filios nostros & filias nostras in seruitutem, & de filiabus nostris sunt famulæ, nec habemus vnde possint redimi, & agros nostros & vineas nostras alij possidẽt.

PRimis quinque versibus seditionis huius descriptio proponitur: qua primùm quę qualisque fuerit, dein à quibus & aduersus quos, & quamobrem fuerit suscitata, demonstratur. Ac qualis fuerit, clamoris nomine declaratur. Etenim צעק verbum Hebræum, à quo nomen hoc deriuatur, eiusdem propè est cum verbo זעק & significationis & constructionis: ac significat magno animi dolore clamare, & alicuius opem implorare. Qua in signifi-

catione legitur Psalm.34. clamauerunt,& Iehoua exaudiuit : item Threnor. 2. clamauit cor meũ. Ex quo perspicuum fit,tantum eorum animis obortum dolorem , vt nulla ratione contineri posset,quò minus in vociferationes ac querelas erumpens ciuitatem omnem perturbaret. Vtitur autem spiritus sanctus hoc verbo in alijs etiam descriptionibus aliarum seditionum. Quod argumento est has voces aptas esse ad exprimendam seditionum imaginem. Nec dissimiles sunt etiam illę, quibus Cicero seditionum qualitatem repræsentat:vt motus populi:quod nomen est conueniens Hebrææ vocis significationi:quando clamor effecta animi commoti prodit,eoq; tendit,vt vnà alij quoque ciues moueantur. Impetus etiam nomen concursum ad arma atq; vim illatam ijs , contra quos seditio suscitata fuit,repræsentat. Turbæ nomine confusio non modo vociferationũ,verum etiam ordinum,iudiciorum,legum, decori,dignitatum,officij:qua sursum vorsum omnia voluuntur, ostenditur. Extat item apud Vergilium quasi depicta ad eum modum oborta rerum perturbatio . videlicet illis versibus compræhensa.

Ac veluti in magno populo cum sæpe coorta est.
Seditio , sæuitq; animis ignobile vulgus.
Iamq; faces & saxa volant:furor arma ministrat.

Simili vero voce D.Lucas in Act.apost.motum obortũ olim in ecclesia apostolica notat:cum eum ipsum [illegible] appellat. Quod nomen à verbo [illegible],quod grunnire significat , deducitur; Cumque id porcorum sit proprium,non ineptè ad vsum hunc transfertur. Quemadmodũ enim porci viso cane concurrunt , grunniunt,fremunt,impetu vno omnes illum petunt : sic in seditione homines factiosi aduersus optimates cateruatim concurrunt , promiscuo clamore,magno impetu vehuntur. Paul.2.Cor.12 [illegible],id est , tumores præter naturam ortos & seditiones coniungit,existimans sine dubio magnam quandam esse vbique causarum similitudinem. Et sanè quemadmodum tumores qui fieri dicuntur pręter naturam,ex eo fiunt,quod humores confluunt ad imbecilliorem corporis partem : sic tumultus ciuiles inde existunt , quòd plerique de populo, qui se putant iniuria affectos, quiq; sunt commoti concurrunt ad vnum aliquem , qui quod solus sit ac destitutus auxilijs,est imbecillior,opprimendum. Quemadmodum item tumoris causam color ostendit , & tumorum varietas ex natura influentium humorum omnis existit : sic quarũ rerum vel acquirendarum , vel depellendarum causa quiq; sint ad res nouas commoti & qualis sit futurus motus,facile est ex eorũ qui tumultuantur,dictis ac factis , itemque ordine & genere,& fortunis,existimare. Ex his notationibus nominum, vtcunque colligi potest , omnem ferè seditionẽ esse intestinum quendam eumque planè vehementem motum,qui fit ex magno aliquo animi impetu contra præcipuos ordines aut etiam legitimam interdum disciplinã & ciuilem coniunctionem suscitatus,quo non solum ordines omnes perturbantur,verumetiã ciuitas,ni maturè succurreretur , euerti queat. Sunt autem pro varietate locorum atq; ordinum variæ seditionum formæ: vt ciuiles quæ in ipsa fiunt ciuitate: castrẽses contrà,quæ belli tempore in ipsis castris suscitantur. Et ciuilium quidem seditionum aliæ contra magistratus suscitantur à plebe:vt illę contra Mosem ab Israelijs,& à plebe Romana contra patres obortæ: rursus earundem alię mouentur à clientibus contra principes ac patronos,interdumq; à filijs in parentes:quod fit in regno:vt cũ Absolon populum concitat ad Dauidem patrem opprimendum. Castrensium autem seditionum exempla Alexandri Magni, Cæsaris,& aliorũ,qui magnos exercitus duxerunt,historiæ proponunt. Quibus autem cunq; in locis,& à quocunque hominum genere moueantur:id plerunq; agitur, vt iuris ac legum vincula soluantur,& iugum excutiatur. Quocirca Iureconsulti seditiosos eos appellant,qui tumultuantem contra leges atq; iudicia plebem defendunt:vt videre est in l.j. C.de seditiosis,& in nonnullis legib.ff.ad leg.Iul.de vi pub. A quibus autem hæc seditio fuerit suscitata,nominatim exprimitur hoc loco:nempe à populo & vxoribus. Quo loco obseruemus, nomine populi non vt apud Latinos,omnes ciuitatis ordines passim, sed plerunque plebem tantum significari : vt opifices,artifices,agricolas, mercenarios Qui cum naturæ , tum fortunæ suæ vitio sic affecti sunt plerunque,vt leuissima quaq; re & occasione indignentur,inuideant,conquerantur. Nam qui pauperes sunt,hi se despici & negligi semper suspicantur:tum inuident etiã ditioribus earũ,quibus egent ipsi rerum fruitionem,seq; ea digniores opinantur Mulieres autem,pro eo ac sunt angustis admodum planeq; paruis animis,ac pręterea quouis impetu huc illucq; propelli possunt,etiam procliues sunt ad querelas & lachrymas,& expostulationes His deinceps illud est addendum,quod non nesciunt,commiseratione suarum calamitatum homines alios permoueri, & quiduis conquerentibus credere : seq; planè eorum,quos Iureconsulti vocant personas miserabiles , numero censeri: quando quæ res eis acciderunt,ipsę quoq; putantur commiserationem mereri, cum molestia maxima coniunctę esse,& afferre dolorem & damnũ, inprimisq; fortunę potius accidisse culpa quàm sua. Atque huius generis homines sunt viduæ , pupilli , exules, iniuria affecti , pauperes , ægroti,

repulsam

repulsam passi, impediti, alijs forsan inferioribus atque indignioribus postpositi. De his ipsis, deque eorum querimonijs atque lachrymis iudicium prudentissimum ac grauissimum est faciendum: nempe vt eis neque nulla prorsus, neque nimia fides habeatur. Etenim prudenter est illud dictũ: animo doleoti nil oportet credere: vt & illud, nil temerè vxori de seruis crede qoerenti. Idem est de eo, qnod æmulus dicit in eum, cui inuidet sua bona, statuendũ. Quæ si reputemus altius, non difficile est videre, quantum Iudæorum ciuitati periculum fuerit ab horum hominũ querelis metuendum. Aduersus quos effusæ fuerint hæ querelæ, vno quasi verbo dicit: fratres suos Iudæos: hoc est eos, quibus cum arctissima societas intercessit: quando fratrum nomioe cognatos & propinquos, Iudæorum nomine cum religionis, tum oationis nexum significauit. Quò grauiorẽ maioremque repræhensionem his querelis suis illi incurrunt. Siue enim fratribus & propinquis inferas iniuriam, siue eorum vitia ac peccata publices, æquè pecces. Verum hæc ad summam si referamus, his nominibus ipsa ciuium consociatio coniunctioque notatur: hancque querimonijs his concussam repræsentat. Quem in finem seditio omnis tendit. Nam, vt rectè Socrates indicat, hoc ipso quod vnum quiddam sit, præcipuè ciuitas omnis & digna laudibus, & incolumis atque fœlix est & existimatur. Sed vt vna sit ac maneat, duobus nexibus efficitur: quorum vnum leges, eęque diuinæ pariter ac humanæ efficiunt: alterum vtilitatis publicæ & rerum omnium æqua & iusta communicatio præstat. Aduersus hosce nexus quicunque moliuotur aliquid, hi ciuilis societatis reique publicæ perduelles iudicantur: quando hoc agunt, vt ne ciuitas vnum quiddam existat. Quam rem D. Aug. lib. 2. de Ciuit. Dei cap. 21. cum multa in hanc sententiam ex Ciceronis de Rep. libris iudicia atque placita producit, & illustrat & probat. Quibus autem de rebus conquesti sint, suis ipsi verbis declarant: quando alij queruntur esse sibi numerosam sobolem, nec pares ei sustentandæ facultates: alij sua prædia sic esse oppignerata, vt plus ex ijs censuum pendere necesse habeant, quàm fructnum ferant: alij se tributis, vectigalibus, exactionibus alijs sic exhaustos tantamque ad inopiam redactos esse, vt tandem sit seruitutis iugum ipsis subeundnm. Quæ res tantò grauior eis & molestior fuit: quantò videbatur iniquius, vt pares paribus in seruitutem dederentur. Atque hæ profecto querimoniæ non obscurè significant, iam tum discessum fuisse ab æqualitate ea, quam diuinæ & humanæ leges requirebant: & id ex eo consecutum, vt hi quibus nimis multum fuerat ablatum, maxima premerentur rei familiaris angustia atque inopia: ac rursus ij, quibus nimium tributum erat, pauperes illos egestatis onere non modo non leuarent, verum etiam eorum inopiam magis augerent. Quo fiebat, vt illis miseris & in ære alieno pauperieque fluctuantibus non solum nulla emergendi spes esset, verũ etiam animos premeret ingens formidatio maiorum miseriarum. His duobus affectibus concurrentibus animi illorum in eiusmodi querimonias effundnntur. Hæc res documento est quanti referat, æqualitatem in quacunque societate semper obseruari: & illa sublata pacem publicam tolli. Quare & Aristoteles hanc inter eas res recenset, quibus ciuitates vel mutantur, vel euertuotur. Quando enim acciderit, vt non pro sua quisque opinione teneant loca: tunc profecto seditiones exoriantur, necesse est. Æqualitas autem bifariam seruatur: partim Arithmetica, partim Geometrica proportione. Quarum prior numerum parem, posterior parem dignitatem spectat. Velut est exempli gratia, arithmetica proportio, quando pari numero abs se inuicem termini distant: 1. 2. 3. Quibus in terminis, medius eodem modo superat primum, quo ipse à tertio superatur. Atque hæc est summa & immutabilis æqnalitas in iustitia commutante semper obseruanda: nempe vt æqualia pro æqnalibus dentur: nec altera pars ad dandũ perpetuo astricta teneatur: altera noo item ad gratiá ant operam debitam referendam adigatur. Neque enim retineri communicatio rerum posset, nisi mutuæ dandi & accipiendi vices essent. Sic enim solennes illæ voces sonant: do, vt des: do, vt facias: aut contrà. Qua de causa Aristoteles Arithmeticam proportioõẽ in contractibus atque in rerum communicatione maximè requirit: nempe vt paribus interualis emptoris & venditoris numeri distent: nec alter altero maiorem numerum sortiatur. Iniustum est enim quicquid ab arithmetica analogia discedit: quando ioter eos qui sunt æquales, earum etiem ipsarum, circa quas versantur, rerũ æqualitas obseruetur in omni conuentione & pacto, necesse est. Qua de causa Græci sua lingua iustum δίκαιον, quasi δίχαιον, ὅτι δίχα ἐστίν, quia in duo æqualia, arithmetica proportione diuisum est, vocant. Geometrica vero proportio nõ numerorum, sed ipsarum proportionum æqualitatem spectat: veluti in 2. 4. 5 10. datis numeris, eadem inter quatuor & duo, quæ inter quioque & decem comparatio cernitur. Hæc proportio ad virtutes omnes commodè recteque trahi potest: estque ab ipso Christo spectata, quando dicit pauperem illam viduam, quæ terunciũ dederat eleemosynæ loco, plus dedisse, qoàm diuites illi Iudæi, qui integros aureos dederant nummos. Secundnm hanc proportionem gradus officiorum & personarum constituuntur: quibus idoneæ personæ quæruntur: vt ad ciuilem gubernatiooem Cicero, ad bellum gerendum Marius, aut eius similis alius, eligantur. Hic ἀξία, id est, dignitas, quæ secundũ

varias reip. formas est ipsa quoq; varia, spectatur. Secundum hanc enim ciues vel æquales, vel inæquales iudicantur. Et in populari ciuitatis gubernatione libertas, in optimatum dominatione & regno virtus, in paucorum imperio nobilitas & diuitiæ conferunt dignitatem. Quæ cum rebus tribuendis sic comparatur, vt maiorem dignitatem habenti maior etiam honos tribuatur. Ad has rationes, si querelas eorum referamus, quis qualisq; eorum fuerit motus, intelligemus. Cum enim in regno fiant motus vel contra regem, vel aduersus aliquos ordines peculiares: ac rursus in paucorum imperio, vel aduersus optimates plebs exurgat, vel illi ipsi partiū studijs distracti tumultuentur: in populari statu vel contra oligarchas vel contra locupletiores turbæ moueantur: qui quales que sint illi, & quibus de rebus ac personis conquerantur, ex ijs quæ dicta sunt ad comparationem est referendum. Illi igitur, neque neglectam in officiorum distributione, neque violatam in decernendis præmijs ac pœnis, geometricam proportionem conqueruntur; ac neque contra iuris ac legum disciplinam, neq; aduersus magistratus quicquam moliuntur: sed arithmeticam analogiam neglectam, seque crebris exactionibus exhaustos in duram & tristem & indignam seruitutē trahi. Ex quo deinceps consequeretur, vt quoniam æqua libertas omnibus esset, etiam ad distribuentis iustitiæ violationem deuenirent, siquidem pares paribus serui fieri cogerentur. Aliàs nec debita magistratibus præmia, nec ius vectigalium in quæstionem vocant: nec asperius more factiosorum ciuium in contumeliam principum quicquam dicunt aut moliuntur: sed de solis ijs, à quibus læsi fuerant, conqueruntur. Interest igitur inter hanc & illas, quæ contra Mosem olim suscitatæ sunt, seditiones, haud parum.

6 Et iratus sum nimis, cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc:

7 Cogitauitque cor meum, & increpaui optimates & magistratus, & dixi eis, vsuras ne singuli à fratribus vestris exigitis? & congregaui aduersum eos concionem magnam, & dixi eis.

8 Nos, vt scitis, redemimus fratres nostros Iudæos, qui venditi fuerant gentibus, secundum possibilitatem nostram: & vos igitur vendite fratres vestros, & redimemus eos? & siluerunt, nec inuenerunt quid responderent.

9 Dixique ad eos non est bona res quam facitis: quare non in timore Dei nostri ambulatis, ne exprobretur nobis à gentib. inimicis nostris?

10 Et ego & fratres mei & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam & frumentum: non repetamus in commune illud æs alienum concedamus quod debetur nobis.

11 Reddite eis hodiè agros suos & vineas suas, & olіueta sua, & domos suas, quin potius & centesimam pecuniæ, frumenti, vini, olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.

12 Et dixerunt, reddemus & ab eis nihil quæremus, sicque faciemus vt loqueris: & vocaui sacerdotes & adiuraui eos vt facerent iuxta quod dixeram.

13 Insuper excussi sinum meum, & dixi, Sic excutiat Deus omnem virum qui non compleuerit verbum istud de domo sua & de laboribus suis: sic excutiatur & vacuus fiat, & dixit vniuersa multitudo, amen: & laudauerunt Deum. Fecit ergo populus sicut erat dictum.

Seditionis eius, quæ inter ipsos Iudæos oborta fuerat, descriptioni, iam secunda capitis huius parte narratio noua subiungitur: qua Nehemias recitat cum suum de ea iudicium, tum quid opis ac consilij periclitanti ciuitati attulerit ad eam ipsam componendam.

Ac iudicium quidē de ea suum versu sexto ostendit, cum dicit: & iratus sum nimis, &c. Quod æquè valet ac si dixisset: Cum ex his querelis eorum, quæ quantaq; onera miseris illis incumberent, cognouissem: sanè quibus ac qualibus affectibus animi illis agitarentur, & quorsum tandem hæc res esset euasura, non difficile mihi fuit existimare: ideoq; non minus factum eorum, qui premebant ciues, quàm ipsorum ciuiū querelas atq; turbas grauiter molesteq; tuli. Atq; sic quidē indicat hanc rē eiusmodi sibi visam esse, quę non posset non optimo cuiq; maximè bilē mouere. Quod & Latinis & Hebraicis verbis longè clarius exprimitur; quando Latinè quidem, iratum se fuisse

nimis: Hebraicè vero, ויחר לי מאד, id eſt, & exarſit mihi valde, ſcilicet ira, dicit. Videtur autem Hebræi verbi vi tam materiam quàm formā iræ ſignificare. Fit enim ira inflammato corde, ideoque ciet ardentiſsimum humorem, bilem rubram videlicet: qua effuſa reliquus ſanguis inficitur, præterquàm quod aliàs à ſpiritibus irati cordis accenditur. Sicut Æneid. 8. de irato Hercule Vergilius canit:

Hic vero Alcidæ furijs exarſerat atro
Felle dolor.

Quam cauſam Damaſcenus quoque ſpectans iram eſſe dicit eius, qui circum cor ſit ſanguinis accenſionem. Ariſtoteles autem reliquas cauſas etiam ipſas complexus, iram ad hunc modum definiuit: Ira eſt vindictæ apparentis euidentiſque cum dolore coniuncta appetitio, aduerſus eum, à quo vel ſe vel ſuorum aliquem iniuriā contemptum neglectumque exiſtimant. Qua in definitione finis, quæ potiſsima cauſa eſt, vindicta videlicet, maximè ſpectatur: ac cùm ira odium acre & vehemens vlciſcendi cupiditas pariter accenſa concurrunt. Qui morbus eiuſmodi ſanè videtur eſſe, vt in virum adeo ſanctum cadere, & præſertim in eo tantam vim exerere, quantam Hebræa verba ſignificant, minimè debuerit: vt qui inter capitalia crimina, quæ peccata mortifera dixeris, à beato Gregorio Moral. 31. numeratur. Quamobrem vt neque in excuſando, neque in accuſando diſcedamus à vero, res paulò altius erit repetenda. Ac primum intelligendum eſt, in huiuſmodi motibus animorum duobus modis ineſſe vitium poſſe: Vno, quoad motus ſpeciem, quæ ſecundum obiectū conſideratur: veluti inuidia mouetur dolore, quem ex bonis aliorū capit, vel gaudio, quod ex eorundem malis capit. Secus ſe res habet in ira, quæ vindictam tantum appetit: quæ tamen perinde iuſtè poteſt appeti, atque malè. Iam vt ſecundum obiectas res æſtimemus hanc illius iram: earum ipſemet meminit, cum dicit: cum audiſſem clamorem eorum ſecundum verba hæc. Quibus verbis ſignificat ex eorum querimonijs ſe potuiſſe colligere, eos rebus illis premi, quæ maximarum ſeditionum cauſæ ſemper extiterunt. Cum antiquo & honeſto loco natis ciuibus ita facultates ſenſim minuuntur: vt vel ipſi iam non ſint ordinis ſui dignitatem tuendo, vel vt id eorum liberis accidat, futurum prouideant ac pertimeſcant. Cum item ipſorum prædia tanta ſunt onerata annuorum cenſuum ſeruitute, vt interuentu mediocrium etiam calamitatum prouentus non ſufficiant cenſibus exoluendis, eoque pacto quotannis augeatur æris alieni magnitudo, & eo tandem res deueniat, vt cogantur miſeri libertatem cum ſeruitute commutare. Cumque ſit omnium grauiſsima ac moleſtiſsima ſeruitus ea, qua ciues ciuibus notis, vicinis ac contribulibus ſubijciuntur: omnia prius experiri malunt inopes illi, quā eiuſmodi ſeruitutis iugum ſubire. Iam cum illis rebus hos angi Nehemias ex eorum querimonijs cognouiſſet: nec mirum, nec iniquum neque indignum fuit, quod harum querelarum authoribus iraſceretur. Altero modo, quoad motus ipſius magnitudinem: vt in ira, cum quis vel nimium iraſcitur, vel non ſatis. Vnde & Ariſtoteles quaſdam iræ ſpecies ponit, vbi aliam alia vincit. Iam huius ira valde magna fuiſſe dicitur: non autem additur vllius facti narratio, qua modum exceſsiſſe demōſtretur. Sicut modum exceſſerunt in ira, Alexander Magnus rex Macedonum, cum Clitum interfecit: Theodoſius Imp. cum Theſſalonicenſem plebem promiſcua cæde graſſaretur: Saulus rex, cum Abimelechum pontificem, & vnà cum eo Nobenſes omnes trucidaret: Commodus Cæſar, cum balneatorem ob id ſolum, quod ſubtepidum balneum feciſſet in ardentem fornacem conijceret. Iam cum ira Nehemiæ talis non fuerit: certè quoad modum vitioſa dici non poteſt. Sin obiectum reputemus; ipſe docet cauſam minimè leuem fuiſſe, eo quod dicit: vt audiui clamorem illorum & verba illa. Id eſt, cum ex alto clamore & hiſce populi querimonijs intelligerem, & habere malè ciues, & futurum vt hæc eorum miſeria ciuitati ipſi magnum aliquod olim daret damnū: ſane pro eo ac pietas Deo pariter atque patriæ debita tulit, id quod accidit animum mihi, fateor, ardore irarum maximo concitauit. Quæ res argumento eſt, eum tam publicæ, quàm ſingulorum ciuium ſalutis rationem habuiſſe: cumque & ſingulis & vniuerſis bene vellet, vtriuſque partis nomine dolorem eius animo allatum fuiſſe. Eſt enim bonorum virorum proprium, moueri malis miſerijſq; humanis: primum quia ſunt homines, & habent inſtrumenta affectuū ſecum nata: dein quia prudentes ſunt, ac quæ vident alijs accidiſſe, ea non ignorant ſibi quoque poſſe accidere: denique quia pij ſunt, & agnoſcunt ortus ſui cauſam atque fructum præcipuè Deo, dein & eccleſiæ & amicis deberi. Nunc ea ſunt tempora, & hi ſunt mores hominum, vt quaſi in animos humanos nulla amplius miſericordia cadat, ſic plerique nullos hominum quantumuis metuendos vndique caſus commiſerentur. Equidem paucis his annis haud raræ ſunt querimoniæ, crebræ calamitates, multæ miſeriæ: triſtiſſima fortunæ ſpectacula: quibus tamen perpauci mouentur: multi ne mouentur quidem etiā ſuis proprijs ærumnis vel ad implorandam opem Dei, vel ad vitæ & morum emendationē, vel etiam ad inijciendum aliquod ſaltem exultanti petulantiæ frenum. At qui pij ſunt & ſancti, & quibus

turæ est regni Dei propagario: hi non possunt non ardore quodam pio & sancto concitari ad depellenda pericula ac detriments ab hominibus afflictis. Qua profecto consideratione deducimur ad spectandas ac considersndas formas iræ. nempe vt cogitemus iram aliam esse diuinam, aliam aliàs cum virtute coniunctá, aliam vitiosam. Ira diuina, nec iniusta est, nec excedit modum: quando vel minatur Deus, vel punit, vel homines eos, qui sunt impietate deplorata ac perdita, sd internecionem delet. Cum virtute coniuncta est ira eorum, qui rebus turpibus sc malis grauiter offenduntur, easque detestantur ac depellunt. Qusm bestus Gregorius irá per zelum appellat, & optimi quique maximè probant: quippe quæ videatur placare Deum: vt in Phineis, Mosis, Heliæ, Christi, aliorumque exemplis videre est. Hæc esdem quoque excitat proximum quenque ad pietatis officia: vt cum Iudæum sacrificsntem Matathias interficit, exemplo suo Iudæos reliquos excitat sd auitæ religionis ac libertatis defensionem suscipiendam. Vitiosa autem est ira, cum inordinata appetitione vindictæ concitamur ad conuicia atque ad cædem. Quam D. Augustinus hoc ipso explodit, quod dicit: Ne transeat ira in odium, trabem faciat de festuca, animam faciat homicidam. Et Ephes. 4. Sol non occidat super iracundiá vestram. Ab hac iræ forma aliena fuit hæc ira Nehemiæ: quippe quæ iustissimis ac sanctissimis causis fuit excitata: sc propterea quò maior ac feruentior fuit, hoc meliorem sanctioremque fuisse est existimandum. Etenim hac ipsa Deum placauit, sontes in peccati abs se perpetrati notitiam induxit, reliquos ciues ad auertendum atque explodendum hoc malum excitauit. Ac si qua ira possit coticula virtutis appellari: hæc, quia non illius solum, verum etiam cæterorum ciuium animos ad virtutem suscitauit atque exacuit, hoc nomine præsertim digna duceretur. Quantæ vero curæ fuerit ei, vt cum iratus esset, animo suo, ac dictis atque factis suis moderaretur, secundo versu dicens: cogitauitque cor meum, ostendit. Hebraica enim verba וימלך לבי עלי, si reuocentur ad suam propriam vim, idem valent, ac si quis dicat: & regnauit cor meum super me. Qus phrasi nimirum ostendit, iram ita abs se repressam, vt animus deoneratus perturbationis omnis mole non modo facilius obedire consilio rationiq; posset, in sedandis turbis, & exequendis negotijs pacis: verum etism principia causasque rerum cernere, rebusque præsentibus annectere & adiungere futuras, & collatione similitudinum quid faciendum fugiendúmue esset prospicere & decernere. Qua in re multa summis laudibus digna concurrunt. Primum, quod reprimit & coercet iram. Quo nomine Architas Tarentinus & Plato laudantur: qui cum ira commoti essent, de seruis, qui peccauerant, sumere pœnas noluerunt: ne iræ impetu vltra vires iustæ castigationis propellerentur. Prudenter item Athenodorus Augustum monuit, vt prius alphabetú Græcum literas numerando percurreret, quam eum, à quo fortè offensus esset, castigaret: nempe vt ira deferuesceret inter numersndum, dumq; mens serenitati suæ reddita posset quid faciendum aut vitandum esset, videre & considerare. Existimant etiá Romanorum fasces & Venetorum gladium iræ moderationé significare. Rectissimè ergo Nehemias quoque animi sui imperium penes se esse maluit, quàm iræ permissum. Perinde pulchrum & laudabile fuit, quod de malo illo declinando consilia, quemadmodú idem verbú innuit, cæpit. Decet enim principes viros, vt in huiusmodi curss ac cogitationes incúbant, quibus auerti publica mala queant. Obseruandum est autem inprimis, quod Hebræo verbo מלך regnandi partes cordi attribuuntur. Id enim planè fit secundum natursm: quando cor quasi vicem regis in humano corpore gerit: enim quia spiritus vitsles ad conseruandum omnium potentiarum actiones gignit: tum quod est affectuum omnium sedes, & ad ipsum quicquid accidit homini primum omnium tanquam ad regem refertur. Quare tam decet quàm expedit, huic imperiú permitti: quemadmodum se fecisse Nehemias dicit hoc loco.

Iam quoniam pietas omnis hoc quasi proprium habet, vt non solum quæ praua atque iniqua sunt oderit ac detestetur, verum etiam es quanto maximo queat opere & studio oppugnet atque explodat: præclarum perfecto specimen veræ pietatis exhibet hoc ipso Nehemias, quod se grauiter in msgistratus & optimates inuectum dicit: quemadmodum Hebræum Verbum ריב increpare, litigare, iudicio contendere significat. Agebat autem hoc Nehemias grauibus de causis. Primum displicebat, quod eos degluberent, quos debebant pascere: quodque eos iniurijs afficerent, qui ipsis essent aduersus omne genus iniuriarum defendendi. In quo sanè tutorum eorum similes erant, qui in pupillorum suæ fidei tutelæque creditorum bonis apertissimè prædsntur: itemque eorum qui depositos apud se thesauros ipsi furantur: eorú denique militum, qui populantur agros eos, ad quos defendendos sunt ab incolis conducti atq; accersiti. Quibus rebus vix quicquá esse potest & iniustius & atrocius. Accedebat eódem, quod eos, qui redacti iam ad inopism essent, maioribus oneribus grauarent. Ac quò magis & scriptura sacra passim, & in Politicis Aristoteles, magistratibus inopes & afflictos curæ esse iubent: hoc grauius peccant hi magistratus, qui ipsi illos miseros affligunt, exhauriunt, premunt. Rectissimeque viri graues & sapientes existimarunt eam

Dei

Dei legem, quæ de mendicandi consuetudine tollenda Deut. 15. scripta extat, magistratibus ipsis custodiendam diuinitus datam, vt qui pro imperio possent, mendicos ab Israeliorum finibus arcerent. Hanc rem adeo nulli curæ fuisse magistratibus illis, vt quos aduersus inopiæ malum tueri debuerant, ipsi adigerent ad mendicitatem, Nehemias nimirum reprehendit.

Eiusdem versus membro vltimo dicit congregatam abs se magnam concionem. Quod, si leuiter aspiciatur, seditiosè fortasis ab eo factum videri queat: quasi plebem suscitarit ad opprimendos magistratus. Quam rem, quoniam coniuncta fuisset cum aperta impietate & perfidia, nemo bonus probarit, nedum ipse fecerit. At cogitandum est, hoc tempore & loco Nehemiam, neq; priuati ciuis personam gessisse, nec impulsu priuato suo quicquam fecisse: sed quia legatus regis esset, & vicem regis in his terris adeo gereret, vt eius imperij vi cohiberet etiam Samaritanos: pro imperio potuit ac debuit in illos se inferiores magistratus hanc censuram suscipere, & vt homines regis imperio subiecti ius suum obtinerent, quoquo modo operam dare. Accedebat eodem quod causa publica publicè debuit agi, in conuentibus ciuium atque in concione: vt iudices simul ac testes præstò essent: præsertim cum esset agendum pro multis eisdemque ad seditionem iam inclinantibus, aduersus non paucos eosque valde potentes. Verum hæc eum non minus modestè egisse, quàm grauiter & prudenter, huc appositum eius orationis exemplum facilè confirmarit.

Cæterum vt constaret, hæc eum omnia consideratè fecisse & dixisse, & conatibus atque actionibus eius omnibus ipsum etiam aspirasse Deum: tam euentum huius rei, quàm exemplum habitæ ad magistratus orationis septimo & octauo versibus comprehensa narratione ob oculos ponit. Eius orationis quidem hæc est summa: vos ne eos opprimere decreuistis, qui tam vobis quàm mihi ipsi fratrum sunt loco? vos ne in seruitutem traditis eos, quos ego ne cuiquam seruirent, ære meo redemi? Iniqua atque indigna nomine populi Dei res est. Quin potius benignè est reddendũ, quod iniustè ablatũ fuit. Etsi vero sit accuratè & artificiosè facta oratio: tamen iustas ob causas nõnulla ex parte ab artis præceptis discedit: quando exordium prætermittit: tribus, vt videtur, de causis.
Vna, quod hæc ipsa, quam agebat, causa, iustior ac melior esset, quàm vt ad eam obtinendam, vel 1.
insinuatione, vel beneuolentiæ captatione egeret: altera, quod hi quibus cum agebat, essent rei, mi- 2.
nimeque digni, quibus quasi re bene gesta blandiretur: tertia, quod ipse esset vir bonus, pius, gra- 3.
uis, magnus: ac neque piè posset neque honeste blandis verbis eos excipere, quos iure patriarum legum & officij sui tenebatur increpare. Propositionem autem per interrogationis formam effert: vt & iram suam aperiat, & ipsam causam exaggeret, sontes denique excitet ad pœnitentiam ac vitæ emendationem. Obseruandum est autẽ Hebræo nomine משא, quo Nehemias est vsus, non vsuram, cuius nomen in versione Vulgata ponitur, verum onus, pondus, durum quiddam & difficile significari: eumque prophetarum munus valde graue sit & laboriosum, huius vsum nominis ad idipsum quoque translatum reperiri. Qua de causa Carolus Molinæus Iureconsultus Parisiensis insignis in eo quem de commercijs & vsuris scripsit, Tractatu bene longo, profitetur: existimare sese, Nehemiam neque de formali vsura, neque de centesima legali dicere. Idque duabus de causis credendum censet: vna, quòd hæc vsura Iudæis fuerit execrabilis, minimeque potuerit inter eos exerceri: altera, quòd alijs nominibus duobus apud Hebræos vsuræ nominentur: quorũ vnum à morsu, alterum ab incremento, deriuatur. Indicat deinceps hic agi de centesima parte redituum, quæ stipendij vice prouinciæ rectoribus ab Iudæis quotannis persolueretur. Ac quoniã Hebræum nomen multò plenius est & amplius Latino: credibile est, nõ vsuras, aut contractus vsurarios tantum, verum etiam onerum & iniquarum exactionum, & earum, quibus ciuium facultates omnes exhauriuntur, malarum artium omnium omne genus, hoc ipso comprehendi. Idque etiam eorum querimoniæ, quibus onera varia proponuntur non obscurè videntur indicare. Sed & ea quæ paulo post ab ijs concedi postulat, & abs se suisque antehac data profitetur Nehemias, eandem sententiam videntur approbare. Porro fratrum nomine videtur dicere, eos hoc minimè fraternum dedisse: verum hæc onera contra naturæ, gentium, & ciuilia iura Iudæis imposuisse: quando natura fratres ad misericordiam & afferenda fratribus auxilia solicitat: iura omnia vetant, augere cũ aliorum incommodo rem suam familiarem. Hæc propositio licet grauis esset & valde vehemens: tamen argumento ab exemplo suo adducto magis ab eo confirmatur & amplificatur. Nos, ait, vt scitis, redemimus fratres nostros &c. Quibus verbis sic exemplum suũ ipsis proponit, vt alijs etiam id rationibus inserciat ac firmet: præsertim collatione quadã, qua fidem, pietatem, beneficentiam suam cum illorum perfidia, immanitate, auaritia confert. Iam cum ad exemplum principum reliqui ferè ciues se suamque vitam componant: ipsorum intererat, vt eius ipsius obseruantia ab omni iniuriæ genere sese cohiberent. Pudendum etiam erat eos ab ipsis in seruitutẽ tradi, qui paulo antè ab alijs essent in libertatem asserti: quasi ipsi in eum essent finem procreati, vt quos alij suis beneficijs adiuuissent, eos ipsi perditum irent. Et hæc res paulo altius repetita non potuit non aliquos

ſaltem aculeos relinquere in animis eorum: quò nimirum in peccati ſui notitiam citius ac facilius inducerentur. Quid autem hac oratione effecerit, euentu commemorato perſpicuum facit, hoc modo: & ſiluerunt, nec inuenerunt, quid reſponderent. Lætum quidem illa verba ſucceſſum præ ſe ferunt: ſed id quicquid eſt Hebræa verba cũ plenius ac melius exprimunt, tum magis amplificant & extollunt. Sic enim habent illa ויחרישו ולא מצאו דבר: id eſt, obmutuerunt, nec inuenerunt verbum: ſcilicet, quo facinus ſuum vel excuſarent, vel tuerentur. Nam חרש verbum non ſilere & conticere ſolum, verum etiam obmuteſcere: & nomen דבר reſponſum, hoc quidem loco, ſignificant. Ex quo colligi poteſt, non ſilentium tantum, ſed ſtuporem etiam dici. Veluti videmus attonitos eſſe eos, qui non ſolis hominum accuſationibus petuntur, ſed & internis conſcientiæ ſuffragijs ad pœnas condemnãtur: qui cum videant peccata ſua cum verius eſſe patrata, quàm vt inficiatione diutius tegi queant, tum teteriora quoque eſſe, quàm vt vel excuſari, vel minui vllo modo poſsint: rectà ad ſilentium confugiunt. Velut Achanus ſorte deprehenſus in ſacrilegio, conticuit: & Hamanus ab Heſtera accuſatus obſtupuit. Tanta vis eſt conſcientiæ, cum mille teſtes crimen admiſſum affirmantes ſiſtit, eorumque teſtimonijs ora ſontibus ſic occludit, vt nihil inueniant ad patrati criminis purgationem. Quod ſpectauit Paulus Iureconſultus, cum dicit: Qui tacet non vtiq; fatetur: ſed tamen verum eſt, eum non negare. l. qui tacet. ff. de reg. iur. Tantum autem ponderis hoc ſilentium habet, vt & ſi in eum, qui ad propoſitas quæſtiones tacet, non repente pronuncietur: tamen ſi taceat etiam cũ iuſſus fuerit reſpondere, poterit condemnari: iuxta ca. fin. de confeſsis in vj. Eodemque iure pro confeſsis haberi Iudæi illi magiſtratus poſſunt, quando nulla ſui facti defenſione inuenta conticuere. Quod eorum ſilentium LXX. interpretes ἡσύχασαν, id eſt, quieſcendi verbo notarunt: quo tranquillitas maris etiam notatur, quæ fit ſedatis fluctibus ac ventis. Cauſam autem tranquillitatis huius indicat author eo quod dicit nullum ab ipſis inuentum reſponſum eſſe. In quo tantam vim veritatis cernimus, quantam nec eorum, qui indomiti futuri videbantur, confidentia queat ſuſtinere. Ibidem etiam videre eſt ſingulari beneficio Dei fieri, vt quæ res nullo modo fieri poſſe credebãtur, eæ nullo propè negotio conficiantur. Velut in confeſſo eſt, ea ſcelera ægrè è medio tolli, quibus ipſi quoque principes impliciti tenentur: quod hi non ſolum omnis caſtigationis impatientiores ſint, quàm homines vulgares, verum etiam opum ac potentiæ fiducia freti multò audaciores, & amicis pariter ac opibus ſic muniti, minus vt facilè coherceantur. At horum caſtigationem Nehemias non minus fœliciter conficit, quàm ſuſceperat fortiter ac piè. Quæ res omnes homines inprimiſq; magiſtratus ita debet animoſos & fortes reddere, vt perpetuo meminerint, hocque perſuaſum animis habeant: pias cauſas, vtut difficiles ſint & arduæ, nunquam tamen eſſe deſerendas: cum videamus Deum his aſpirare, & efficere cura ac potentia ſua, vt conſilijs negotijſque illis reſpondeant euentus. Et valde eſt opus auxilij diuini cum fiducia, tum imploratione: quando coercenda fuerit hominum ſuperborum & præpotentiũ libido.

Iam & ſi quę ſedandi tumultus huius cauſa tentauerat, ex animi ſui ſententia omnia ſucceſſiſſent: tamen in his adeo lætis actionis eius initijs gradum minimè ſiſtit, verum in ſuſcepti negotij cura atque executione euſque procedit, vbi ſuæ ciuitati pacem concordiamque plenam acquirit. Etenim ei caſtigationi, qua in magiſtratus ipſos modo inuectus fuerat plurimumque profecerat, deinceps admonitionem grauem ſubiungit, & vnà res eas adhibet, quibus arbitrabatur pacem publicam perinde bene retineri atque recuperari poſſe. Quæ res ita deſcribitur: vt huius admonitionis exemplum, fructus, vſus ordine ſuo referantur. Et admonitionis quidem exemplum nono, decimo, vndecimo, verſibus continetur. Eius hæc eſt ſumma: Illud indigniſsimè atque iniquiſsimè factum: vt quod pugnet cum vera numinis obſeruantia, cum exiſtimatione & dignitate populi Dei, cum ipſius ac ſuorum frátrũ exemplo. Quamobrem quicquid æris alieni ſit hoc modo conflatum, id omne debitoribus eſſe condonandum. Verſatur autem hæc oratio in eo genere cauſarum, quod deliberationis appellatur. Dehortatur enim ab hoc quæſtus genere, extimulátque ad commiſerationem ac charitatem. Tribus item partibus tota conſtat: Propoſitione, confirmatione, concluſione. Exordium, quoniam oratione priore eos iam ad obſequendum adegiſſet, nulla neceſsitas requirebat, planè prætermittit. Cęterum de eorum facto quid ſtatuendum cenſeat, propoſitione declarat, dicens: non eſt bona res, quam facitis. Quæ verba apertè ſignificant: eum ingenuè, candidè, liberè edicere, rem illam eſſe & videri ſibi tetram atque nefariam. Eſtque hæc ſententia diuinis quoque legibus conſentanea: quæ etiam ipſæ pauperum oppreſsionem vetant & reprehendunt, & contrà facientibus graues pœnas decernunt: velut Exod. 22. viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos vociferabuntur ad me, & audiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, percutiam vos gladio. Amos 2. inter ea peccata, quibus Iſraelitæ Deũ maximè offenderant, etiam pauperum oppreſsio refertur: & dicitur quod anhelent ſuper puluerem terræ in caput pauperum. Et cap. 4. Audite verbum hoc vaccæ Baſan, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ opprimitis

mitis pauperes, conteritis egenos. Et cap. 5. Quapropter quia vos opprimitis pauperem, & onus frumenti ab eo accipitis, ædificatis domos ex quadris lapidibus sed non habitabitis in illis: vineas plantatis amœnas sed non bibetis vinum earum. Et cap. 7. Audite hoc qui absorbetis pauperem & exterminatis inopes terræ &c. In Nouo Testamento pauperes nobis passim commendantur. Lucæ 14. iubemur pauperes potius ad conniuia, quàm eos qui referre gratiam possunt vocare. Huc referuntur etiam ex Matth. 25. & 1. Corinth. 11. plura. Sed si peccant, qui pauperibus necessaria de suo non largiuntur: quantò grauius peccant, qui pauperibus id auferunt quod habebant? Si pauperes contemnere, hoc est existimatione sui nominis fraudare malú est: quanto peius erit eis opes suas auferre eoque in contemptionem miseriamque maiorem adducere? Rectissimè ergo Nehemias malè agere eos dicit, qui ciuium inopum bona ad se transferunt. Est autem hæc Nehemiæ in monendo libertas maximis digna laudibus: cùm quia suum vitio debitum tribuit nomen, &, vt ait propheta, ligonē ligonē vocat: tum quia castigatione libera ac graui sontes ad peccati sui notitiã ac detestationem adducit. Oderunt libertatem illam impij: sed hanc spiritus sanctus requirit, et in sanctis viris, vt Helia, Baptista, Petro, Stephano, in ipso filio Dei magnis laudibus vehit. Iam vt huic iudicio suo fides & authoritas adiungeretur, confirmatione deinceps tria ad probandum propositum suum argumenta affert: quorum prius ex eo quod impium sit illud, secundum ab eo, quod turpe sit, tertium ab exemplo contrario ducit. Ac primum vt hoc ipsum pugnare cũ pietate indicet, ait: quare non in timore Dei nostri ambulatis? vel, vt est in veritate Hebraica: Num non in timore Dei nostri ambulabitis? quasi diceret: Equidem miror, qui fiat, vt nec obseruantia numinis à tam immani auaritia vos cohibeatis: num non Deum, qui pauperum oppressionem tot tantisq; legibus vetuit, tamque diris supplicijs vltus est, reueremini? Est hoc argumentum minimè leue, præsertim apud eos, qui nõ omni prorsus Deo vacant, & prorsus alienis sunt à Deo animis. Quod gentis homines vt effrenes Dei cultores semper fugiendos censuerunt, minimeque in ea loca sibi cõmigrandũ rati sunt, in quibus homines sic affecti habitarent. A turpi rationes ducit, quãdo ait: ne exprobretur nobis à gentibus inimicis nostris: vel, vt sonant ipsa verba Hebræa, ab opprobrio gentium inimicarum nobis. quasi diceret: Ob id saltem abstinere ab hac re debebatis, quod apud exteras gentes magno vobis sit dedecori futura. Quocirca vel vestro honori parcendum erat, si diuinas leges negligatis. Est & hoc argumentum valde efficax apud eos præsertim, in quibus honestati simul ac pietati reliquus aliquis est locus. Idque duabus de causis. Vna, quod hostes ecclesię sunt in res & fortunas nostras intenti, & admodum propensi ad maculandam famam nostram. Ac siue rebus aduersis premantur, siue secundis abutantur, siue dicto factoue parum peccent boni: statim eis religionis professio obijcitur. Ergo, vt vel isthac acerba vexatione leuarentur: cauere sibi deberent & abstinere. Altera causa, quod offensis & ad blasphemias irritatis illis, in Deum, in ecclesiam, in illos ipsos peccatur. Illi enim impediuntur aditu salutis & confirmantur in malo: ecclesia tota malè audit, & inficitur malo exemplo: Deus, quod maximum est, contumelia afficitur, aut saltem minus honoratur. Quocirca mirum non est tam graues pœnas ijs decretas esse, qui infirmos offenderint, aut impios malo exemplo suo in sua malitia confirmant. Hæc commonefactio Nehemiæ præsertim his tam perditis moribus & temporibus valde vtiliter poterat ad emendationem vitæ communis transferri: quando multa videmus nunc impunè fieri, minimèque mala aut turpia putari, quæ Ethnici quondam detestati sunt & profligarunt. Iam auaritia mille artes acquirendi excogitauit, quas Ethnici minime tolerassent. Ab exemplo contrario ducit argumentũ his verbis: Ego & fratres mei & pueri mei commodauimus plurimis pecuniam. quasi dicat: Non vobis solis sunt debitores: nec est quod mihi quisquã obijciat, mihi isthic nec feri nec meti, nihil illos mihi debere, aliàs me in contrariam sententiam consulturum. Quin ego meiq; omnes plurimum eis & pecuniæ & frumenti commodauimus. Ego vero mearum rerum iacturam libenter faciam, modo vos idem faciatis. Etiam hoc argumentum quoniam nullam excusationem relinquebat, satis firmum fuit. Quod enim ipse feceris id ab alio non iniurià requiras. Atque hæc quidem argumenta, quoniam apud eos, in quorum animis pietas, honestas, pudor aliquid valent, satis efficacia sunt & firma, sola contentus est attulisse, & conclusione finit orationem ad hunc modum: Reddite eis hodie agros &c. Hoc est, quoniam omnibus pecunijs ac bonis sic exhausti sunt, & in tam misera tempora inciderunt: aliquid est cum eorum inopia, tum illis temporibus concedendum: præstat opum quàm hominum iacturam facere. Est & hæc petitio legi Dei conueniens. Exod 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum: quasi exactor: nec vsuris opprimes. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentũ, ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: Si clamarit ad me, audiam, quia misericors sum. Eadem lex extat etiam Deut. 24. Reprehensionem grauem merentur creditores illi, qui nulla plane misericordia debitorum tanguntur, eos.

que omni fruitione bonorum priuant. Contrà laudantur Aratus Sicyonius, & Cimon,& alij qui communem inopiam à suis ciuibus propulerunt. Hocque ipsum ab his etiam Nehemias postulauit. Admonitionis autem huius fructum, vt quantam vim hæc illius argumenta apud eos habuerint, videamus, ipsorũ responsum profert. Quod illi sic ad huius postulata perpulchrè accommodant vt & res rebus, & ipsa penè verba verbis respondeant. Ad id enim quod agros eis & vineas & domus reddi postularet, excusatione omni prætermissa, respondent se reddituros. Credibile est, hæc prædia vel eis vendita, vel oppignerata: sed quia debitoribus nihil erat reliquum, vnde victum haberent: æquitas ipsa admonebat vt cederent necessitati. Idque illi se facturos pollicentur. Equidem ineunte anno iubileo hæc aliàs reddere lege tenebantur. Ac si id temporis spacium non longum fuit, tanto minore cum iactura fieri restitutio poterat. Est autem hæc stipulatio similis ei legi, quæ paulo ante est adducta de pignore eo reddendo, quo carere citra damnum ingens debitor non potest. Ei legi subiecta est Exod. 22. comminatio: si clamauerit ad me, exaudiam eũ. Deut. vero cap. 24. pręmij promissio: vt dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas iustitiam coram Domino Deo tuo. Secundum hanc legem & petijt Nehemias & illi largiti sunt indultum illud. Quid enim facias aliud, vbi nihil est quod possis auferre? wo nit ist da hat der Keiser sin Recht verloren: nedum homo priuatus. Ad id dein quod dixerat, Non repetamus in commune istud, æs alienum concedamus quod debetur nobis: respondent illi, ab eis nihil requiremus: eoq; pollicentur se chirographa abolituros. Hoc erat donum datum egentibus. Præterea petierat, illis dari argenti & frumenti partem centesimam, quam ab ipsis prius exegissent. Hic rursus est tenendum memoria, quod antè est dictum ex Molinæi sententia: hic neque de formali vsura, neque de centesima legibus expressa agi: sed centesimam redituum portionem, quæ prouinciæ rectoribus stipendij loco soluebatur, dici. Idque vel ex eo perspici potest, quod ex vsitans apud Hebræos vsuræ nominibus nullum promit, quod his exactionibus tribuat, sed eas oneris nomine appellat: cũq; postea vellet ostendere, se eas non accepisse, dicit se annonas ducibus debitas non accepisse: priores magistratus oneri suis subditis fuisse. Quo exemplo docemur, deberi quidem sua cuique magistratui pręmia atq; stipendia: sed si ciues aliàs exhausti sint, ac vel liberide nudiores, & is qui pręest, habeat aliunde ad victum necessaria: certè de iure suo cedere & aliquid eorum inopiæ condonare, est humanitatis, piæque & laudabilis magnificentiæ. Eiusmodi beneficentiã Paulus & commendat, 2. Corinth. 8. & 9. & ipsemet seruauit, quando à quibusdam ecclesijs nihil stipendij accepit. Requirit autem apostolus vt prompti simus ad dandum: ac pro ratione suarum facultatũ quique largiantur. Non enim, ait, vt alijs relaxatio sit, vobis angustia. Affert etiam argumenta quibus moneamur: primum imitationem Christi, qui cum diues esset, pauper factus est, vt nos illius paupertate ditesceremus: dein quia Dei benedictio sit beneficis ac liberalibus hominibus affutura: vt sementem feceris, inquit, ita & metes: &, potens est Deus efficere, vt totum beneficium in vos exuberet: iuxta illud, dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum. Et sanè Act. 9. Tabitha, Acto. 10. Cornelius centurio, Act. 28. Publius Melitæ insulæ dominus, alibi alij beneficentiæ nomine commendantur. Extat etiam Act. 20. eadem de re pulchra ad Ephesios Mileti habita Diui Pauli oratio: Argentum & aurum (ait) aut vestem nullius concupiui, imò ipsi scitis, quod necessitatibus meis, & his qui mecum sunt suppeditauerunt manus hæ. Omnia ostendi vobis, quòd sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verborum Domini Iesu: quoniam ipse dixit, Beatum est dare potius, quàm accipere. Sed & Hebr. 13. inter eas quæ gratissimæ Deo sunt, victimas, hæc virtus numeratur. Inueniuntur etiam in externis historijs præclara virtutis huius exempla. Equidem Ptolemeus Lagi filius apud Ælianũ amicos suos studuit locupletare dicens melius esse ditare, quàm ditescere. Alexander rex Macedonum hoc egregiè studuit, vt ne à quoquam beneficentia superaretur. Gillias Agrigentinus apud Valerium Maximum lib. 4. cap. 8. Pauperibus alimenta & subsidia, virginibus pauperibus dotes dabat, & Gedensium equites quingentos vi tempestatis ad ipsum propulsos fouit, & ita liberalis erat, vt & Agrigentina ciuitas omnis & vicinæ gentes ex eius opibus ingentes caperent vtilitates. Cimon Atheniensis bello aduersus Barbaros gesto opes ingentes compararat: verum ijs vtebatur egregiè: agros suos sepibus ac muris nudabat, vt omnibus integrũ esset, quę vellent excerpere: cuique egeno in ædes ipsius venienti cibus ac potus apponebatur: iuuenũ vestes & pecunias post se portantium comitatu vtebatur, & eas egentibus dono dabat. Qua de causa Gorgiam Leontinum dixisse ferunt: Cimonem in hoc opes comparasse vt eis vteretur: ac rursus eisdem vti, vt honorem pararet. Vespasianus etiam apud Suetonium hoc nomine laudatur, quòd iudicaret non oportere quenquam à facie principis tristem discedere: & ipsum adeuntes, vt si quid vellent, ingenuè postularent, hortaretur. Eodem modo Marcus Antoninus apud Dionem Niceum commendatur, quod Athenis Romã reuersus aureos octo viritim distribuit, & fisco debita remisit, syngraphis ea debita complectentibus in foro combustis.

Ad hu-

Ad huiusmodi liberalitatem hosce etiam Iodæos principes Nehemias exhortatur, atque etiá ope & gratia Dei illius conatibus aspirante, obtinet quod postulabat. Hoc admonitionis suæ adeo vbere fructu secundoqne conatuum horum successo quàm prudenter vsus sit, iam versu duodecimo & decimotertio ostendit: ac dicit, se, tametsi promissa publica nactus esset: nihilominus tamen hoc operam dedisse, vt illis ipsis optimè caueretur. Quam ad rem duas res se dicit adhibuisse satis augustas & ad custodiendam fidem efficaces. Vna fuit iurisiurandi religio, qua annuentes & promitteutes illos magis obligauit. Hanc rem pluribus verbis poterat explicare: sed tribus tantum capitibus omnem comprehendisse contentus fuit. Primú enim dicit se sacerdotes adhibuisse: seu quia moris esset illis, vt sacerdotes iuramentú partibus deferrent: seu quia religionis causa, cuius administri sacerdotes & interpretes essent, adhiberentur: seu quia Deum testem innocarent iurantes, ijs præsentibus, qui Dei ioternoocij & interpretes essent: certè magna eum religiooe fieri prisci patres voluere. Per eum vnum etiam iurandom est, cuius administri sacerdotes erant. Velot Esa. 65. dicit Dominus: Qui iurauerit, iurabit per Deum verum. Et Ios. 23. Cum veneritis ioter gentes istas, ne iuraoeritis per nomen deorum earum, & ne colatis, aut adoretis eos. Et Ierem. 5. Filij tui deseruerunt me, & iurauerút per deos, qui dij nó sunt. Vnde Polycarpus potius flammis absumi, quàm iurare per fortuoas Cæsaris voluit: teste Eoseb. lib. 4. cap. 15. Videtur ergo Nehemias sacerdotes adhibuisse, vt & eo, qui lege præscriptus erat, modo, & per eum, qui colebatur, verum Deum Iehouam, religione eò maiore iuraretur. Deinde vero dicit se eos adiorasse, vel vt habet Hebræi verbi forma, fecisse iurare. Quo exemplo rursus indicatur: & licere & expedire, vt com vsus postularit, iurameota adhibeantur. Quam ad rem probandam, vt omittam alias, vel ex efficiente causa ac fine rationes efficacissimæ somuntur. Qui enim possit id videri malum, quod ex ipsa in Deum veritatis testem certissimum & veritatem ipsam fide proficiscitur? Quam saoè fidem qui iurant tunc profitentur, com innocentiæ atque fidei suæ testem Deum iouocant, eumque sperant qoocunque modo hoc quod dicunt probaturum. Comque ex D. Pauli sententia, in vitio sit, quicquid alionde quàm ex fide existit, & fides sit optimarum actiooom omnium parens ac procreatrix: certe insiurandum necessarijs ac iustis de causis & rectè & legitimè factum, in illicitarú actionom numero qui quidem pios sit nemo censebit. Iam quoniam in eum etiam finem iuratur, vt rei dobiæ fidés fiat, & vt indicat Hebr. 6. apostolus, controuarsijs ac litibus finis imponatur: qui sinceram pacem & concordiam qnanti par est, facit, iurisiurandi vsum nequaquam potest improbare. Igitur postremo dicit Nehemias quam ad rem præstandam eos adegerit: nimirum oon, vt vel in publicam, vel in cuinsquam hominis priuati perniciem, vel in religionis ac pietatis abolitionem secum conspirarent: sed vt facerent (inquit) iuxta quod dixeram: vel, vt habet veritas Hebraica, secundum verbum istud. Quo nomine stipulationem suam notat: nempe vt habita ratione tantæ inopiæ ciuiom, tantisper de suo cedereot iure, dum meliora tempora forent, & eorum fratres qnoquo modo respirarent. Hæc res, qoàm æqua atque pia fuerit, cum antea dictom sit, non est quod pluribos verbis explicetur. Illud potius est cogitandum, eum prudentissimè spectasse inconstantiam mutabilitatemque mentis humanæ, qua breui post fieri poterat, vt amissi lucri dolore ad promissi facti pœnitentiam propulsi, soluta concione promissa rescinderent. Quod ne fieret interposita iuramenti religione perinde iustè sanctus princeps, ac prudenter & vtiliter cauit. Idem etiam Iosias & alij item boni, in similibus casibus factitarunt. Altera auté res, qua stipulationi suæ cauere & firmamentum qnoddam afferre voluit, est vanusta quædá chria, quam exponit ad hunc modum: Insuper excussi sinum meum, & dixi sic excutiat Deus omnem virum, qui non compleuerit verbum istud. Hanc Chriam ideo nimirum iuramento subiunxit, vt ad id seruandum vindictæ diuinæ metu quasi cogeret inuitos. Eam enim vim habent chriæ, vt aculeos relinquant in animis humanis, eosque subinde quasi punctis quibusdam aut calcaribus adigant ad diuturnam quandá propositę rei recordationem. Cumq; ex chrijs ipsis maximam eæ vim habere videaotur, quæ neque solo dicto, neque facto nudo constant, sed mixtę sunt & ex verbis pariter ac factis compositæ: etiam eius generis chriam Nehemias abs se adhitam refert. Etenim facti fuit, quod se dicit sinum excussisse. Est autem חצן Hebræis sinus ex eo dictus, quod quasi medio hominis loco esse videatur. Iam quoniam tutissimum locum habere ea censentur, que in medio fuerint collocata: fit vt in sinu esse dicantur, quæ in tuto fuerint: velut infantes in sinu matrú, beati cœlites in sinu Abrahami. Excutere vero sinum nihil aliud est, quàm quæ isthic quasi in tuto erant reposita ceu è suo asylo eijcere, & quibusuis obijcere colligenda & asportaoda. Huic facto ceu externo quodam symbolo iam addit ipsum explicantia verba: Sic executiat Deus omoem virum &c. Aptatissima illa atque efficacissima ad frangendam auaritiam chria fuit. Cum enim auari ideo de sinubus siue thecis quæ egentibus largiantur ægrè promant, vt in thesauris sois quasi in tuto atqoe in vado conquiescaot, nec eorum fortunæ vllo casu debilitari queant: iusto iudicio Dei fit interdum, vt

improuiſu aliquo infortunio opes eis ſuis è thecis excutiantur, quæque in vſus pauperum expendere noluerunt, ea vel rapina aut furto auferantur, vel incendiu ſubito conflagrent, vel alio quocunque pereant modo: vt & proprijs ædibus atque bonis, & patria tota eiecti, profugi paſsim oberrare & mendicare cogantur. Hanc miſeriam Nehemias minatur, eiuſq; etiã metum hac chria incutit ijs, qui non modo condonationem illam tam crudeliter recuſarent, verum etiam ſuſceptam iuriſiurandi religionem adeò impiè violarent. Quæ res etiam animos eorum ſic permouit, vt & in imprecationem illam, ſubiecta ſolenni illa ac populo Iudæo vſitata voce, Amen, conſentirent, & quod poſtulabatur, reuera è veſtigio præſtarent. Tali tamque læto ſucceſſu pios Nehemiæ conatus dignus duxit Deus.

14 A die autem illa qua præceperat rex mihi vt eſſem dux in terra
Iuda, ab anno viceſimo vſque ad annum triceſimum ſecundum Artaxer-
xis regis per annos duodecim, ego & fratres mei annonas quæ ducibus
debebantur non comedimus,
15 Duces autem primi qui fuerunt ante me, grauauerunt populum
& acceperunt ab eis in pane & vino & pecunia quotidie ſiclos quadra-
ginta: ſed & miniſtri eorum depreſſerant populum: Ego autem non fe-
ci ita propter timorem Dei.
16 Quin potius in opere muri ædificaui, & agrum non emi, & omnes
pueri mei congregati ad opus erant.
17 Iudæi quoque & magiſtratus centum quinquaginta viri, & qui
veniebant ad nos de gentibus quæ in circuitu noſtro ſunt in menſa
mea erant.
18 Parabantur autem mihi per dies ſingulos bos vnus, arietes ſex ele
cti exceptis volatilibus, & inter dies decem vina diuerſa & alia multa tri-
buebam: inſuper & annonas ducatus mei non quæſiui. Valde enim atte-
nuatus erat populus.
19 Memento mei Deus meus in bonum ſecundum omnia quæ feci
populo huic.

Sequitur iam poſtrema pars capitis quinti, qua ſeditionis huius cauſæ cõmemorantur. Quæ commemoratio omnis huius mali fontes melius aperit & oſtendit, eſtq; cum ad eruendam veritatem vtilis, tum ad excuſandum Nehemiam maximè neceſſaria. Etſi enim certæ ſint & euidentes cauſæ, quibus ciuitates non modo motibus inteſtinis concutiuntur & debilitantur, verum etiam interdum euertuntur: tum & huius ipſius motus cauſæ ex ipſorum ciuium querimonijs patefactę ſint & cognitæ: ſemper tamen quæri ſolet, quorum ordinum culpa ac vitio, vel tumultuum ac diſſenſionum, vel interitus cauſæ in ciuitates ipſas irrepſerint, inq; eis ſint graſſatæ: idqua propterea quod ita natura comparati ſimus, vt vacare culpa quique velint, ac malorum admiſſorum cauſas proximo cuique ſoleant imputare. Ac quoniam magiſtratus quaſi quædam ſunt inſtrumenta, quibus vel ad conſtituenda, augenda, conſeruanda, vel ad debilitanda atque euertenda regna vtitur Deus: & penes ipſos magiſtratus omnium vel emendandarum, vel depellendarum rerum plena ſit poteſtas: certè fit, vt ſi quod ingruãt in ciuitate malom: ſtatim omnis culpa magiſtratui ipſi imputetur: cur videlicet non ipſe pro ſe digna cura, proque officiu ſibi demandato, hoc malum prouiderit, & prius depulerit, quàm eouſq; increuiſſet. Qua criminatione vt ſe Nehemias liberet: non negat malum hoc magiſtratuum culpa accidiſſe, verum tamen id non ſua ſed priorum præſidum vitio factum oſtendit. Hæc narratio bene conſiderata plurimum cum plebi tum magiſtratui prodeſt. Ac magiſtratui quidem expedit cogitare, ne tantum tamq; arduum munus temere ſuſcipiat, nedum expetat ambitioſè: ſin omnino ſit ſuſcipiendum, ſummã curam adhibeat, ne quod malum incuria malitiaúe ſua vel priuatis hominibus, vel ciuitati toti accerſat, ſed ceu Deus quiſpiam omnibus ſtudeat prodeſſe. Plebem vero tam iuuerit quàm decuerit hoc eniti, vt pium & prudentem & gnauum magiſtratum pijs precibus impetret diuinitus, eumq; nacta gratis animis ſuſcipiat ac revereatur. Hanc autem expoſitionem Nehemias quatuor partibus abſoluit: quarũ prima culpam motus huius abs ſe depellit, verſu decimo quarto: ſecunda culpam eius prioribus magiſtratibus imponit, verſu decimoquinto: tertia ſua in rempub. ſtudia atque officia prædicat, 16. 17. 18. verſibus: quarta iudicio Dei iſthæc omnia remittit, verſu decimo nono.

Ac primum quidem decimo quarto capitis huius versu quemadmodũ diximus, omnem motus huius colpam abs se depellit, indicans, tam abesse, vt iniquis exactionibus ipse cuiusqoã facultates exhauserit, vt oe debitam quidem portionem vnquam acceperit, io eoque proposito perseuerarit hueosqoe ab eo tempore, quo rex eum terris illis præfecerit ducem. Quo facto magistratus alios docet, præclarè ab ipsis fieri, si parcant publicis sumptibos, ac quàm minimum pensionũ vel ex ærario ciuitatis inopia, vel ab egenis cioibus eapiant, quando victum habere de soo possunt. Sie enim pij fuerint in patriã, velut ioopem parentem: cui nolint necessaria subtrahere. Qui vero vel inseraiunt reipub. diuiti, vel oon habent victum de soo, illi id operam dabunt, vt pro eo qood à patria habent, stipendio gratiam referant quantam maximam possont. Exaggerat autem Nehemias beneficij sui magnitudioem ratione ducta à tẽpore scilicet duodecim annorũ. Hoc enim tempore plorimum ipse potuit insumere de suo, non parum etiam vtilitatis illi capere potuerunt ex tã diuturna centesimæ portionis remissione. Auget etiam eam ratio ducta ex officio. Com enim prineipis apod eos obtioeret locum, vt qui illis à rege præfectus esset: tanto magis & ad sustentandos sui moneris sumptus atq; ad tuendam ordiois huios dignitatem amplis stipendijs opus habuisset, & tantò iustius hasce pensiooes exegisset. His duabus rationibus tertia, ex persona petita accedit, quòd non solum ipse verum etiã fratres, hoc est, agnati & propinqui nihil acceperint. Sæpe enim fit vt ioscijs principibus vel famyli, vel propinqoi, vel filij quid à subditis ferant. Nehemias & si illos fouerit, tamen oe quid caperent pręmij, diligenter cauit. Quartam præterea hanc adiungit ex reipsa assumptam, dicens: annooam ducibus debitam non comedimus: hoc est officij nostri oomine debitas nobis pecunias noo exegimus. Vbi sanè annonæ, seu vt habet Hebraica veritas, panis oomine alimenta significat, eaque panem ducum appellat, vt ostendat iore gentium & ciuilli et diuioo magistratibus deberi: oimirũ vt ex ijs possiot publicos pariter ac priuatos sumptus sustinere. Quo pertioet etiam cogitandum, quod magistratus priuata negotia atque commoda sua publicis postponunt, idqoe eis damnom ex publicis bonis iure pensatur. Qua de causa panem ducum, hoc est, victom ducibos debitom vocat. Ac rursos dieit se eum panem non comedisse, eoque significat se de iure suo cessisse, nec vsum iore suo. Hoc eius factum primum ad singulos dein ad magistratus, postremò & ad ecclesiæ ministros translatum præclara admodum documenta præbet. Singulis enim hominibus documento est, vt quamplurimum alios homines iouent, mioimum grauent. Magistratibus indicat, enitendom, vt quàm minimo sint oneri suis ciuibus, & omoes querimooiarum ac seditionum ansas præripiant plebi: ab omoi suspicione nedum crimine auaritiæ, crudelitatis, iniustitiæ sibi caueaot. Grauiter reprehensi sunt quicuoqoe nimijs exactionibus subditos suos vexarunt. Admirabile est quod de Dario Histaspis filio apud Herodotum scriptum extat: Cyro & Cambyse regnaotibus nulla adhuc tributa à Persis persolota, sed tantummodo muoera allata: Darium autem rerum summa potitum vigioti satrapias per vniuersum regnum constituisse, eisdemq; exactores tribotorum præfecisse, eorũq; opera quotannis Euboica argenti talenta 9540. auri Babylonica talenta 4680. tulisse. Vnde vulgo apod Persas iactatum, fuisse Persis Cyrum patrem, Cambysem dominum, Darium institorem. Magis mirandæ auaritiæ fuit quod eodem libro apud eundem scriptum legimus, fuisse io Asia quandam planiciem monte quinque locis iotereiso cinctam, ex qua Aces amnis promanans totidem gentiom regiones irrigarit: ijs meatibus obstructis Darium vicinis aquas abstulisse, easdemque pecunijs redemptas iterum concessisse. Alij sont perinde auari: sed id ioco defendunt crimen. Velut Antigonus rex cuidam, quod acrior in pecunijs exigendis esset, quàm Alexander ante eum fuisset, obijcienti, fertur dixisse: Alexander Asiam metebat, ego culmos lego. Vespasianus etiam obijcienti filio, qood ex lotio vectigal caperet, sacculo naribus admoto dixisse dicitur, nunquid ea peconia lotium oleret: &, locri boonũ esse ex re qualibet odorem. Melior sane Pisistratus, qui mooitis talibus flexus est à proposito, quando hominis priuati habitu sompto quendã io petroso solo serentem, quid isthie ageret pereontatus, & is diceret, sphacelos sero, & horũ tamen vectigal Pisistratus exigit, eo dicto mollitus, id vectigal remisit. Auaritiæ suæ pœnas meritas Achæus Lydorum rex persoluit, qoando oouis tributis impositis plebi, per seditionem captus & demerso in Pactolom flooiũ capite ad pedes suspensus est. Ab huiosmodi aoaritia tam alienus Nehemias fuit, vt etiam commoni iure debitas pensiones remiserit ac ciuibus sois condonarit. Quæ res hoc illi commodum attulit, vt in coercenda ac castiganda aliorum magistratuũ auaritia tanto liberior ipse esset. Deinceps hoc etiam ad ecclesię ministros transfert Beda: ac dicit hoc illius factum typicè expositum à Paulo 1. Cor. 9. Quia Domioos (inquit) statuit eos, qui Eoaogelium anooneiant de Eoangelio viuere, ipse autem nullo horum vsus sit. Quæ liberalitas vt honesta Paulo, sie perquam vtilis ecclesiæ fuit. Sed quemadmodũ Nehemiæ factum extra casom necessitatis alios magistratus suo iure minimè priuat: sic exemplum Pauli mioistris verbi Dei sua debita stipendia nullo modo aufert: quando causæ illæ, qoibus Paolus adductus hos

fecit, nullum amplius habent locũ. Primum enim videbat Paulus manifestũ periculum, si stipendij quicquã à Corinthijs accepisset: scilicet impeditũ iri Euãgelij cursum. Maluit ergo de suo iure cedere, quàm ecclesiæ & Christo damnũ dari. Dein arte mechanica parare sibi victũ poterat, & tanta ad docendũ facultate diuinitus instructus erat, vt licet parũ vel legeret, vel cõmeditaretur, nihilominus pre ceteris egregie docẽdi munere fungeretur. Quorũ neutrũ alius prestaret. Habebat deniq; ex Maced. & alijs ecclesijs subsidia, quibus id quod Corinthij nõ suppeditabãt, pensabatur. His causis cessantibus etiã vsus illius exẽpli cessat. Eodẽq; modo statuendũ est de facto Nehemiæ.

Decimo quinto deinde versu, cum dicit: Duces autem primi, &c. Quasi digito monstrat eos, qui motus huius fuerãt causa. Neq; vero fuerit putandũ, his verbis vel Esdram, vel Zorobabelem perstringi, sed alios, quorum nomina propterea fortasse silentio præterijt, vt parceret sgnatis & propinquis eorum. Ostendit autem eos bifariam peccasse: primum quod ipsimet exactionibus iniquis ciuium facultates exhaurirent. dein quod seruis suis, vt idem facerent etiam ipsi, indulgerent. Quid quantumq; exegerint, notatione summæ exponit, dicens: acceperunt ab eis in pane & vino & pecunia quotidie siclos quadraginta. Quæ verba subobscura sunt: quippe quæ non satis exprimant, vtrum panis & vini precium cum pecunia coniunctum effecerit summam quadraginta siclorum: an præter illos quadraginta siclos acceperint aliquam frumenti & vini certã portionem. Verum Hebræa verba, siquidem singula singulis Latinis sigillatim reddantur, scrupulum eum eximunt omnem: quando אחר dictionem, quæ aliàs plerisque in locis præpositione, post, exponitur, hic pro præpositione, præter, accipimus: sicut solent Hebræi. Etenim Hebræa ad verbum sic habent: Et acceperunt ab ipsis in pane & vino post argenti siclos quadraginta: pro eo quod Latinè diceremus: & acceperunt ab ipsis præter argenti siclos quadraginta etiam aliquid frumenti & vini. Graue peccatum est ciues ab ijs premi, qui ne à quoquam premerentur, cauere diuinitus sunt iussi. Huic illud alterum accessit, quod seruis idem licuit in plebem. Quæ res ipsis etiam magistratibus nocet. Quemadmodum olim Cordalus quidam Mausoli Cariæ regis familiaris fuit: qui non sine incommodo sui regis, si qua arbor in vias propenderet, fructus ipse decerptos venderet: ac si quis ouem aut vitulum ei dono offerret, eum cogeret referre domum & tantisper alere dum eum sibi mitti postularet. Quæ res ipsis plerunq; principibus male cedũt: velut Heli pontificis Hebræorum, & Samuelis prophetæ, & Commodi Cæsaris, & aliorum complurium principum exemplis ostendi posset. Quo oneris genere hi grauarint ciues suos, hoc quidem loco non expressum habetur: seu quia clandestinæ, seu quia multæ & variæ fraudes essent. Vitio vertitur Vespasiano quod profiteretur hoc genere præfectorum sese tanquam spongijs vti: non minus illis turpe fuit quod iniurijs quas illis miseris ipsi inferebant, etiam seruorum suorum iniurias accumularent.

Illa decimi quinti versus particula & deinceps 16.17.18. versibus sua in remp. studia atq; officia prædicat, quasi à contrario ducens argumentum in hanc sententiam: tam abest, vt vel publico vel priuatorum hominum incommodo mea commoda pronexerim, vt non solum id quod iure meo mihi debebatur, non exegerim, verum etiam ab alijs ad commodum ac lucrum meum oblatis ansis manum abstinuerim: ac præterea de meo sumptus in rempub. ipsam atque in omnis ordinis homines fecerim magnos. Recitat autem & multa & magna in rempub. beneficia, & his ipsis causam efficientem præmittit, timorem Dei; ac si dixisset: Etsi illorum exemplo potuissem exactionibus iniquissimis patrocinari: tamen nec eorum exemplum secutus sum, nec more eorum quenquam damno affeci: sed reueritus sum Deum, qui cum hæc detestatur & punit, tum diuersum præcipit ac requirit. Qua in re duo latent documenta. Vnum ne malo exemplo vllo inficiamur: nec quod sonat Pythagoræ symbolum, per publicam viam ambulemus: sed quemadmodum Nehemias spretis excusationibus quas ad sordidam & rigidam & auaram gubernationem defendendam antecessorum exempla suppeditabant, officium clementis ac benefici principis fecit: sic quidquid vulgo fieri videamus, nos quod est officij nostri faciamus. Alterum, vt quicquid impunitatis & licentiæ nobis vel iura municipalia, vel acquisita priuilegia, vel diuitiæ, vel potentia pol liceantur: semper tamen nos vel sola numinis omnia cernentis, iudicantis, vindicantis & remunerantis obseruantia, tanquã freno cohibeamus, quò minus vlla iniuria vel leuissima, præsertim miseros atque inopes homines afficiamus. Sicut Nehemias indicat etiam se pietate seu timore Dei cohibitum quo minus iure suo, diuersum suadente subditorum ciuium inopia, vteretur. Verũ sigillatim singula cõmemorat. I. In opere muri laboraui, hoc est, Etsi potuissem immunitatis iure me excusare: tamẽ perinde laboraui ac si priuatus homo fuissem. II. Agros nõ emi. Potuissem interdum bono precio commoda prædia acquirere: sed ne viderer alienis ærumnis ad lucrum meũ abuti, illas occasiones omnes prætermisi. Et honestum est certè proconsulem nihil à prouincialibus, tutorem nihil à pupillis emere, ne qua spectati priuati cõmodi sui sinistra suspicione sese grauẽt. III. Omnes pueri mei congregati ad opus. Potuissem vnum aut alterum, aut totidem saltem ex

meis

meis familiaribus ad illud opus destinare, quot alij patresfamiliàs isthic habuerunt, ac reliquis ser uis meis meas ad res vti: sed meos omnes volui communis patriæ cõmodis potius quàm meæ rei familiari inseruire. IIII. Iudæi, senatores, hospites omnes ad mensam meam. Præclarum exemplum liberalitatis. Sed cõmendat eam magis causa: quia videlicet aliàs grauis seruitus populo incubuerit. Quo ostendit se nõn laudis aut vllius commodi studio, sed sola ciuium misericordia adductum hoc fecisse. Ergo vera virtus fuit. Talis liberalitas erat Rom. mulierum, quæ captis Veijs, cum aurum Apollini Delphico mittendũ esset, propter decimas à Camillo deuotas, nec ærarium adeo locuples esset, ornamenta sua obtulere. Idem etiã bello Punico secundo factum memoratur, cum eius belli sumptibus ærarium exhaustum esset. Simili de causa Aratus Sicyonius apud Ciceronem laudatur. His exemplis addi illorum quoq; liberalitas potest, qui de suo vel ecclesiam, vel egenos adiuuerunt.

Hanc suorum in rem Iudæam publicã studiorũ atq; officiorum narrationẽ vltimo cap. huius versu claudit dicens: Memento mei Deus meus in bonum secundũ omnia quæ feci populo huic. Qua profecto clausula videtur cum optimo animi proposito omnia fecisset, optimeq; sibi conscius esset, hãc rem omnem remittere iusto iudicio Dei: & fixã animo suo spem diuinæ remunerationis publicè profiteri. Quæ sanè spes est iusta & veræ fidei conueniens, & nititur scripturis sacris præmia virtuti decreta promittentibus. Quocirca non debet eius professio ad erigendã in animis humanis fiduciam operum transferri, verum potius ad excitandum in nobis pietatis & honestarum actionum studium, & ad spem cœlestiũ bonorum confirmandã accommodari. Quocunque enim officij genere vel membra ac ministros ecclesiæ, vel ecclesiã, vel ipsum Deum prosecuti simus: meminerimus tamen id tanti minimè faciendum, vt eius merito nobis ad nos vel honoribus ornandos, vel augendos opibus ipsum Deum iam obligatũ & deuinctum opinemur. Multæ enim & variæ fiduciam eam frangunt causæ. Ac primũ quoniam nostri ipsorum iuris non sumus, sed liberti Christi, illius sanguinis empti precio, testibus apostolis 1. Corinth. 6. 7. & 1. Pet. 1. ab eo, cuius toti sumus quid exigeremus? Cumq; Deus sit is, qui in nobis & voluntates & facultates ad id quod bonum est, reddit efficaces, teste Paulo 2. Cor. 3. Philip. 2. illi ipsi potius quàm nobis honores & præmia debebuntur. Ac si rectè prohibentur apud Esaiam cap. 10. securis & serra, & reliqua instrumenta omni gloriatione rerum per ipsa effectarum: nos, qui nihil nisi instrumenta Dei sumus, de rebus quas per nos gesserit ille, multò minus habebimus, quod gloriemur. Cogitandum est etiã tantam inesse naturæ nostræ vitiositatem, vt ex nobis quod probari Deo mundumq; videri queat, nihil omnino possit proficisci. Sicut apud prophetam omnis nostra iustitia nihilo mundior quàm linteamina menstruis muliebribus fœdata iudicatur: & Augustinus libro sexto Confessionũ exclamat: Væ vniuersæ iustitiæ nostræ, si remota misericordia iudicatur. Sin quis promissa præmia dicat ijs qui fecerint officium: obijci statim potest quod dominus dicit: Cum hæc omnia feceritis, dicite, serui inutiles sumus. Hæc agnouisse Nehemiam vel id argumento certissimo esse potest, quod ipsemet fatetur se suis & corporis & ingenij viribus reliquisque bonis adeo nihil tribuisse, vt quoties vel tantillum tentaturus esset opus, ad id perficiendũ semper opem Dei imploraret. Quod si rursus aliquis roget: cur ergo vel Nehemias, cum nulla suorum meritorũ fiducia niteretur, spem præmiorum cœlestiũ professus fuerit: vel Deus ipse, cum non ignoret nulla esse nostra merita, tam virtutibus præmia, quàm supplicia vitijs proponat: iterũ est in promptu quod respondeamus. Ac Nehemias quidem his verbis non exigit à Deo præmium: sed vt sua studia atq; officia in optimam partem accipiat, quo spes remunerationis ei salua atque integra esse possit, potius petit: tum profitetur etiam hæc abs se nullo priuati cõmodi quæstusúe sui studio facta: verum diuinã potius ac cœlestem, quàm mundanam humanamque remunerationem spectatã ac quæsitam esse. Vtrũque est eorũ, qui sunt vera fide præditi, proprium: agnoscere videlicet etiam quæsita atq; expectata cœlestia præmia non deberi sibi nisi ex gratia: & omnia facere Dei potius amore & cultu, quàm sui ipsius vel honoris vel commodi prouehendi causa. Deus autem præmiorum pollicitatione partim excitat ad pietatis officia cunctantes ac segnes, partim consolatur fraudatos ac destitutos præmijs humanis. Nam vt excitamur & ad laborum malorumq; omniũ tolerantiam spe & expectatione gaudiorum & bonorũ cœlestium: sic si impios homines abundare bonis, omnis generis & gaudijs suauiter affici, & triumphare videamus, multò minus offendimur, si cogitemus illorum gaudia in mœrorem perpetuũ & sempiternas miserias abitura, nobis cõtrà potiora parata bona apud Deũ, quibus simus in omne æuũ fruituri. Et sane cũ Dominus apud Matt. cap. 10. dicit: quicunq; ad bibendum dederit vni ex pusillis his poculum aquæ frigidæ tantũ nomine discipuli, amen dico vobis non perditurus est mercedem suã: quis ibi non videt, tam prophetas ac præcones Euangelicos erigi consolatione in spem alimenti necessarij sibi in ministerio suo semper affuturi, quàm homines Christianos spe remunerationis ad alendos ipsos excitari? Cum item apud eundem Euange-

lutam cap. 5. beatos dixisset futuros eos, quos homines impij contumelijs ac conuitijs persecuti fuerint: mox quasi rationem sui propositi veritatem astruentem subijcit, cœlestis mercedis expectationem, dicens: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. Plurima alia testimonia aliunde conquiri possent, quæ perspicuum facerent: Deum promissione præmiorū segnes incitare, imbecilles corroborare, afflictos consolari, spoliatos ac bonis omnibus exutos spe souere & sustentare. Possent item exempla adduci, quibus manifestū efficeretur: ipsos sanctissimos quoque Dei seruos his promissis premiorum adeo non elatos ad suarum fiduciam virium & actionum bonarum: vt semper agnouerint se diuinitus consecutos esse & bonas voluntates & necessariam vim facultatemq; rebus magnis gerendis. Existimarunt enim sic se rem habere, vt expressum legimus in sententijs D. Augustini: deberi mercedem bonis operibus, si fiant: sed gratiā, quæ non debetur, præcedere, vt fiant. Existimarunt item quod D. Augustinus ad Sixtum presbyterū epist. 105. scribit, nullum esse meritum humanum ante gratiā, quo ipso gratiam consequamur: cū omne meritum nostrū, ait ille, non in nobis faciat nisi gratia: & cum Deus coronat merita nostra nihil aliud coronet, quàm munera sua. Preclarè etiā eodem loco D. Augustinus hoc addit: Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed vt essemus: sic in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos sicut scriptū est in miseratione & misericordia. Non itaq; frustrà Deo cantatur, Et misericordia eius præueniet me: & misericordia eius subsequetur me. Vnde & ipsa vita æterna, quę vtiq; in fine sine fine habebitur, & ideo meritis pręcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostrā sufficientiam, sed in nobis facta per gratiā, etiam ipsa gratia nuncupatur. Ex his patris illius verbis intelligitur & quid meritis nostris sit tribuendum, & vnde hæc eadem existant: ex fide videlicet, quæ est donum Dei mera ex gratia Dei concessa credentibus, proficisci, & consequi bona quæ propositis fidei promissis demonstrantur. Quo maiore vero præditi fide fuerimus, hoc & maiora præstantioraq; opera faciemus, & maiores agenti in nobis gratiæ Dei, quàm nobis ipsis laudes tribuemus: maiore etiam studio, vt nostra officia benignè suscipiat, ab op. max. patre petemus. Eodemq; animi proposito D. Nehemias, quæ Dei voluntatem, salutē sui populi, rationem sui ipsius officij potius quàm vel gloriam, vel vtilitatem caducam spectans fecerat, hæc eadem, vt sibi ipsi quoq; saluti sint, precatur.

CAPVT VI.

Propositis hactenus atq; explicatis primum externis, deinceps intestinis impedimentis, quibus vrbis sanctæ restauratio oppugnata fuit: consequens est, vt tertij generis impedimenta, quæ cū partim ab hostibus, partim ab ipsis ciuibus sint obiecta, mixta diximus, deinceps etiā ipsa consideremus. Ea vero sexto capite referuntur. Estq; hæc earum quæ de ipsis recensentur, rerum omnium summa: Hostes vbi muros vrbis in integrum restitutos cognouissent, vt saltem reliquā partem operis impedirent, Nehemiā ipsum primū simulatione amicitiæ circumuentum opprimere, dein ea re necquicquā tentata, minis ab inchoato opere deterrere, conati sunt. Nehemias contrà eum insidias prudenter declinauit, tum minas fortissime contempsit & elusit. Ei vero periculo illud postea successit nouum, quod inter suos ciues nonnulli & quidem viri primarij, essent malefidi, qui cum hostibus colluderent, eumque eis prodere conarentur. Quæ res omnium pessima ac maximo cum periculo cōiuncta fuit: sed tamen aspirante pijs conatibus Deo, etiā hac ipsa frustra tentata, opus haud multo post totū perfectum est & absolutū. Atq; hoc impedimentū duabus de causis valde graue & periculosum fuit. vna, quod esset mixtum, hoc est, tam ab ipsis ciuibus, quàm ab hostibus obijceretur: altera, quod huius operis princeps & administrator præcipuè peteretur. Egregium sanè, & ex præcipuis præceptis disciplinæ militaris petitū stratagema: quo hoc potissimum agebatur, vt operis huius authore & duce extincto, ordines reliqui dispersi et perturbati desisterent ædificando. Solent enim imperatores industrij & gnaui id agere, vt in ipso conflictu vel supremus dux hostium vnus maximè petatur, vel aliquis saltem de eius obitu rumor in confertissimos hostium ordines spargatur, eoq; nuncio territi atq; in fugam versi milites victoriā ipsis relinquant. Sicuti legimus in Israeliorum regum historia Syriæ regem suis mandasse, vt omnē impetum belli in Achabum vnum conuerterent. eoq; consecutū, vt occiso rege citra maiorem cladem vtrinq; receptui caneretur. Sed & de sua ipsorum morte rumores ipsi duces spargunt, quando cupiunt efficere socordes negligentesq; hostes. Id quod nostra memoria Carolum V. Cęsarem quandoq; factitasse suspicati sunt homines: quando de eius obitu sparsos rumores ferè semper aliquod eius facinus memorabile consecutum viderunt. In eo vero quod Nehemias sui populi dux vnus maximè petitur: præclarus Christi, illius seruorum excellentium, præcipuorum capitū doctrinæ Christianæ, typus inest. Cum enim Christus vnus salutis nostræ caput sit & fundamentū,

hoe vel

hoc vel oppresso, vel nobis erepto, vel aliter ac se habet ac gerit erga nos, depicto, satan sperat, nos extra salutis possessionem eiectos. Ex quo fonte manarunt & insidiæ Christo in his terris versanti ab Herode, Pharisæis, Iuda & alijs structæ: & Simonis Magi, Menandri eius discipuli, Cerinthi, Ebionis, Arrij, Aerij, aliorum hæreticorum dogmata falsa ac praua, quibus vnius Christi persona præcipuè semper est petita: & quod in Ecclesia veteri vitulus aureus, æneus serpens, falsi Dij, pro illo sunt ad cultum præstituti. Quoties etiam insigne aliquod ecclesiæ columen diuinitus suscitatum fuit, huic vni satan maximè est insidiatus, & excellentes Dei seruos vel in odium & contemptum adduxit, vel in exilium profligauit, vel trucidari curauit, vel infames reddere conatus est, vt hominum animos ab his abstraheret, & ab ipsa quoque doctrina alieniores efficeret. Eadem arte & præcipua capita nostræ doctrinæ, vt de iustitia fidei, de resurrectione, de sacramentis in ipsis initijs ecclesiæ apostolicæ euertere conatus est: vt Act. 15. 1. Cor. 11. & 15. videre est. Atque hæc strategemata satanæ vt & agnoscere & cauere disceremus, hoc aduersum se vsurpatum Nehemias hoc diligentius censuit describendum. Ac quoniã satan hoc aduersus Nehemiam egit, partim per professos hostes, partim per malefidos ciues: duabus partibus narrationem hanc distribuit: quarum priore quid hostes, posteriore quid amici falsi fecerint, ostendit.

FActum est autẽ cum audisset Sanaballat, & Tobias, & Gosem Arabs, &c. inimici nostri, quod ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio, vsque ad tempus autem illud valuas non posueram in portis.
2 Miserunt Sanaballat & Gosem Arabs ad me dicentes, veni & percutiamus fœdus pariter in vitulis in campo Ono. Ipsi autem cogitabant vt facerent mihi malum.
3 Misi ergo ad eos nuncios dicens, opus grande ego facio, & non possum descendere: ne fortè negligatur cũ venero & descendero ad vos.
4 Miserunt autem ad me secundum verbum hoc per quatuor vices & respondi ei iuxta sermonem priorem.

HIS quatuor versibus priorem partem narrationis huius complectitur, eaque significat hostes diem dixisse & locum, quo conuenirent ad deliberandum seu de ineundo fœdere, seu de rebus communibus: sed astu illo animaduerso, Nehemiam, licet iterum atque iterum ad colloquium euocatus esset, tamen venire noluisse. Qua in re narranda Nehemias eum ordinem tenet, vt primum hostium astum, dein suam in eo cauendo ac declinando prudentiam ac constantiam declaret. Ac hostium astum sic describit, vt exprimat omnes [illegible] personas, causam, modum, locum, finem. Personas suis ipsarum nominibus notat: Sanballathum, Tobiam, Gosemum Arabem: & cæteri (inquit) inimici nostri. Hi primum sua ad opus illud auxilia obtulerant, dein ædificantes absterrere minis conati fuerant, denique & aperto Marte opus ipsum oppugnarant. Iam iterum ad dolum nonum confugiunt. In quo videre est, hostes ecclesiæ Dei, si infestam doctrinæ sanæ & pietati naturam eorum, & inimica bonis ac pijs viris ingenia spectes, perpetuo sui similes esse: sin eorum vitam ac mores obseruemus, in horas mutari, & quouis Protheo magis varios esse. Etsi enim existimes eos, vel odij perpetui dolore & molestijs fatigari, vel officijs obsequijsque mitigari, vel miserijs molestijsq; bonorum ad commiserationem flecti, vel pro eo ac tempus omnia consumit, fore, vt etiam diuturnitate temporis animi illorum acerbitas euanescat: natura tamen eis vsque recurrit. Sin eorum inspicias vitam ac mores: si spes sit blanditijs elici posse bonos ad interitum, malitiosis assentationibus se in eorum consuetudinem penitus insinuant: si minis ac terrore eos commoueri videant, vt metum terroremq; eis incutiant, quicquid periculorum & malorum comminisci possunt, id eis ad timorem omne proponunt: si illos violentiæ impetu opprimi posse existiment, atque ipsi fuerint ita parati, vt vim eorum bonis vitæq; afferre possint, impetu in eorum perniciem maximo feruntur: si qua necessitas eorum appetitũ reprimat ac frenet, ad eorum pedes se abijcere, & tendere manus supplices, & captare misericordiam minimè grauantur. Ad summam, quemadmodum Chamæleon ad omnem colorem, quem contigerit, suum ipsius colorem mutat, eandem autem perpetuo retinet naturam: sic illi, in qualiacunque tempora inciderint, ad ea vitam ac mores mutant, naturam veritatis inimicam nunquam deponunt. Eodemq; modo legimus Herodem, Pharisæos, Sadducæos, alios hostes Christi varijs dictis officijsque Christum excepisse, naturam eius odio flagrantem nunquam deposuisse. Tales Nehemias etiam hos in se suosque fuisse refert. Idque expedit scire, vt ne decipiamur. Causam offensę

dicit, quod ædificasset ipse murum. Ergo murorum vrbanorum instauratio dolorem eis attulit, eosque impulit ad eas artes excogitandas, quibus ædificantes à maiore progressu impedirent. Cur autem eis dolorem afferat, quod mœnia restituta essent, ipsa iuris gentium ratio docet: nimirum quod his ipsis ciues, ciuitates, publicæ priuatæque res ciuium aduersus omnem violentam irruptionem quasi quodã septo muniuntur, hocq; ipso ciuitas omnis incolis suis quasi portus, tutum perfugium, sacrum quoddam asylum efficitur. Qua ratione Cicero in tertio de Natura Deorum libro, muros vrbis sanctos dicit: & sacrilegij simile putatum est, struendæ domus causa mœnia demoliri. Et vetus lex Romuli fuit: Mœnia sacrosancta sunto. Sed & in municipijs muros esse sanctos, Sabinum rectè respondisse Cassius refert: prohiberique oportere, ne quid in his committeretur, vt legimus in l. sanctum. §. fin. ff. de rer. diuis. & qualit. Vnde & Imp. Iustinianus pœnam capitis constitutam in eos refert, qui aliquid in muros deliquerint: in §. sanctę. Inst. de rer. diuis. Qua ratione ductum Romulum existimant, Remum fratrem, cum muros transcendisset, supplicio capitis affecisse: quod videlicet muros vrbis, quos ἱεροὺς καὶ ἀσύλους esse voluerat, ipse violasset. Videntur autem ex eo tantam authoritatem & hanc sanctitatis opinionem accepisse, quod & publicas priuatasque res vniuersorum ciuium tuerentur ac conseruarent, & has ipsas quasi in tuto collocarent: quod opus maxime est Dei, qui sanctissimus est & sanctitatem rebus alijs impertit. Quò referendæ etiam sunt ex quas Plutarchus recitat, causæ: nempe quod ciues promptius pro illis aduersus hostes tanquam pro re sacra pugnarent, & his ornandis magis studerent. Has rationes Homerus etiam videtur secutus esse, quando vigiles, qui in castris excubias agunt, sacros appellat, dicens: ἱερὸν τέλος φυλάκων: hoc est, sanctum ordinem vigilum siue custodum. Hæc opinio quoniam & iudicio & moribus omnium gentium est approbata ac recepta, non obscurè significat, sua cuique ciuitati mœnia ornamento, præsidio, religioni censeri: & hos Samaritanos sua Iudæis ornamenta, præsidia, religionem inuidisse. Credendum est etiam veritos eos esse, ne Iudæi non solum promptiores ad vrbis recens instauratæ defensionem essent, verum etiam ad proditionem minus adduci possent. Eadem enim ratione ciuitatis Atticæ muros extrui Lacedęmonij quondam noluerunt. Videre est autem in hoc speculo, quod satan etiam ecclesiæ perpetuo conatur eripere, quidquid ei vel ornaméto, vel pręsidio, vel solatio, vel qualicunq; bono esse, & præsertim mentis tranquillitaté afferre potest: vt Christũ, verbũ Dei scriptũ, sacramenta, fidé, conscientiá bonã ac saná. Cum enim nil conscire sibi, nulla pallescere culpa, ahenei muri instar esse rectè prędicet Horat. hoc agit satan, vt eam sauciet, aut quacunq; aspergat labe: cum fides ea nobis effecta pręstet, quę vel humanis viribus effici nequaq̃; vel nullo vnquá modo fieri posse videbantur, hocq; ipso nobis in Christo quasi diuiná quandã omnipotentiá afferat: certè & hanc quoquo modo potest, aut omné auferre, aut debilitare saltem conatur: cum sacramenta magnũ fidei robur afferant, hæc eadem etiã vel erroribus inuoluit, vel abusibus contaminat, vel in sui dissimilem habitum transformat, vel penitus subducit. Cum item verbum Dei scriptum sit speculum illud, in quo tam humanã sortem nostrã, quàm Deum, in primisque iter ad Deum videamus: & huius quoquo modo potest minuit authoritatem, & ipsum infercit placitis ac commentis humanis, & ab eo nos remittit ad dubias ac perplexas reuelationes. Cum denique Christus vnus nobis sit tutissimum perfugium, ab eo quaqua potest ratione auocat nos & auellit. Sic Iulianus olim, quã sibi suisq; hominibus ornamento simul ac emolumento esse vidit, ideoque attraxit ac coluit, hanc Christianis inuidit & eripuit bonarũ literarũ & liberalium artium doctrinam. Quò maius peccatum admittit papa, quando animabus ac conscientijs nostris diuinitus tributum pabulum, verbum diuinum, ceu canis quispiam in præsepi fœnum bobus, cum ipse fastidire, tum nobis inuidere & præripere consueuit. Obseruandum est autem, quod dicit valuas nondum fuisse portis appensas: quod argumento est, eas res, quæ ad vrbis decus ac tutelam pertinebant nondum omnes acquisitas, & tamen apud hostes inuidiæ locũ fuisse. Nam & portas in rebus sacris & ijs quæ sunt iuris diuini, Caius in l. j. ff. de rer. diuis. & Hermogenianus in l. ij. ff. ne quid in loco sacro fiat, censent: & ad portas olim Iudicũ subsellia posita habuisse Hebræi memorantur. Ergo tanto odio filiorum Dei impij flagrant, vt etiam manca atque imperfecta bona soleant eis inuidere, & si possint, auferre. Eorum igitur in nos odium sanequàm dirum est, & plusquam Vatinianum. Atque hæc erat causa, qua ad illas insidias incitabantur. Modum autem, quo in his sunt exercendis vsi, ipse peculiaribus circunstantijs suis effert. Primum non ipsimet accedunt eum, sed per internuncios agunt: seu vt suam apud eos authoritatem amplificent, seu quod verisimilius est, facilius eum in opportuna positis insidijs loca pellectum opprimerent. Deinde vero fœderis spem faciunt, vt habet volgata versio. At verbum Hebræum יעד significat aliquid testatum facere, addito iuramento aut signo condicere & polliceri, constituere, decernere, confirmare. Vnde & ad sponsalia, fœdera, decreta publica transfertur. Siue ergo conueniendi, vt Vatablus Munsterus & Pagninus, siue consultandi, vt Tigurina versio, verbis, Hebræum verbum exponatur,

exponatur, à translatione veteri non multum deflectetur: quando ad sanctionem fœderis omnis & conuentus & colloquia, & deliberationes, & vltro citroque datæ & acceptæ obligationes ac cautiones requiruntur. Cum autem fœdera afferant & animorum & bonorum omnium coniunctionem & societatem: hac illi nunciatione videntur & beneuolentiam maximam, & rerũ, quas possiderent, omnium communicationem detulisse. Quæ res videbatur neutiquam contemnenda: & omnino talis, vt si initiò prorsus sincera atque integra non esset, tamen indies plenior & integrior futura videretur: præsertim accedente frequentiore communicatione officiorum. Atque hoc genus aureorum montium promissis hostes nostri solent illicere nos & irretire: ni mature eorum insidias prouideamus ac declinemus. Locum autem vulgatæ versionis author exprimit his verbis: in viculis in campo Ono: vel, vt exemplaria alia habent, in vitulis in campo Ono: vel, vt Lyranus indicat in quibusdam legi, in campo vno. Equidem vitulorum nomen Beda & Lyranus ad cerimonias fœderibus adhiberi solitas referunt: quòd, vt Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 3. dierum Genialium memorat, complurium gentium consuetudine receptum fuit, vt circa fœderum sanctionem aliquæ victimæ cæderentur, eoq; significaretur capitale crimen ab ijs admissum putari, qui fœdus initum violassent. Etsi vero Munsterus in Lexico suo, eo videlicet quod anno vigesimo tertio Basileæ excusum extat, בכפירים nomen Hebræum vitulos hoc Nehemiæ loco significare doceat: tamen in versione sua, in villis, vertit. Verisimile est autem ipsum villas potius aut vicos, quàm vel vitulos vel catulos significare: partim quia vallis nomen additum est: partim quia nec opus erat, nec moris, vt cerimoniarum fœderis sanctioni conuenientium meminissent: partim quia LXX. Interpretes etiam ipsi, ἐν ταῖς κώμαις vertunt. Ono autem nomen fuit oppidi cuiusdam quod à Samud homine Beniaminita tribu oriundo fuisse ædificatum author Paralipomenon li. 1. cap. 8. scribit. Eiusdem etiam oppidi ciues cum Zorobabele Babylone egressi Esr. 2. memorantur. Hic Ono vallis appellatur: seu quia vallis ab oppido, seu quia oppidum à valle, seu quia commune nomen haberent. Credibile est, quia Beniaminitæ tribus oppidum fuit, ab vrbe non remotũ fuisse. Qui locus, quoniam in Iudæa fuit, Nehemiæ cum opportunus, tum satis tutus esse videbatur: ipsis, quia angustior, & vicinior, & ab vrbe quantumcunque remotus esset, commodior ad insidias erat. Ita vel in loco aliud præ se ferunt, aliud in animo habent. Finem illis propositum ostendit eo quod dicit: Ipsi autem cogitabant mihi facere malum. Et hic ferè finis est omnium quæ ab hostibus indicuntur conciliorum, comitiorum, colloquiorum, conuiuiorum. Idq; nobis omnes omniũ gentium historiæ attestantur. Philippus rex Macedonũ olim petijt, vt sibi in frequenti Sarnusiorum cœtu liceret verba facere, eaque re impetrata venientibus ad colloquium militibus suis lora sub axillis occultanda dedit: post ceu indicturus silentium manum extendit, eoque signo animaduerso milites Sarnusijs manus inijciunt & decem millia captiuorum in Macedoniam abducunt. Idem Thracum oppidum quoddam dum missis legatis oppidanos oratione detinet, improuisos adortus cepit. Eodemque modo Alcibiades Agrigentinos & Antophradates Ephesios, & Hannibal primo bello Punico Corn. Asinam consulem spe pacis euocatum ad colloquium, ceperunt. Sed & Bochus instituto colloquio Iugurtham prodidit Syllæ: & plenum insidiarum id quod Rabsaces cum Ezechiæ legatis habuit, colloquium fuit. Eximiæ ergo prudentiæ Nehemiæ est tribuendum quod latentes sub colloquio laqueos vidit ac declinauit.

Hasce vero eo modo sibi structas insidias qua arte & industria Nehemias cauerit ac declinarit, tertio & quarto versibus refert, cum dicit: Misi ergo ad eos nuncios dicens, opus grande ego facio, & non possum descendere, &c. Et eius narrationis partes singulæ sua peculiaria documenta præbent. Primum enim quod euocatus ad colloquium non venit, id cum rectissimè, tum potissimum tribus de causis videtur factum. Vna, quod quanto odio eius simul ac ciuitatis omnis flagrarent, quamq; parum aut omnino nihil esset eorum fidei tribuendum, non ignoraret: cum imprudenter se suamque vitam & fortunas omnes, tum parum piè in præsens ac prœuisum periculum præcipitasset. Hoc documentum etiam apologus Æsopicus præbet, quo vulpes ad leonem, qui se ægrotare simulabat, inuisendum inuitata, introducitur excusans hoc modo suam absentiam: optare se leoni bonam valetudinem, & deos super hac precaturam, verum vestigijs versus antrum leonis euntium, non inde redeuntium animalium edoctam, vt isthuc iret, sibi parum tutum arbitrari. Quem apologum paucis & perspicuis versibus reddidit Horatius:

Olim quod vulpes ægroto cauta leoni
Respondit, referam: quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia nulla retrorsum.

Ad eũ apologũ videtur etiã Rodol. comes Habsporg. is, qui Rom rex creatus erat, allusisse, cũ à multis procerib. ad id vt Romã iret, solicitatus diceret, superioris ætatis Imperat. in Ital. itinera magnifica ac læta, redit[s] tristes & aduersos, fuisse. Eadẽq; de causa quidã patres adire ea cócil. noluere,

in quibus sibi simul ac veritati positas insidias animaduertissent. Et vulgus Germanorum dictitat lupum, vtut blandis agricolarũ verbis inuitetur, in pagum tamen intrare nolle. Qua de causa Nehemias quoq; in ea loca se venturum negat, in quibus sibi paratum exitium sensit. Altera, quod periculum erat in quæstionibus fallacibus & captiosis, quibus ipse poterat irretitus teneri: quemadmodum Christum his ipsis etiam Pharisæi, Sadducæi, Herodiani circumscribere & decipere conati sunt. Etsi igitur viri pij & prudentes, qualem planè constat Nehemiam fuisse, facile vel effugere, vel dissoluere laqueos tales queant: tamen quia cauti sunt, nec subeunt pericula nisi cogente necessitate: malunt ab hoc genus captiosis colloquijs prorsus abstinere quàm periclitari doctrinam & prudentiam suam. Est enim coniuncta cum periculo ostentatio omnis, ac plerunq; dedecus & opprobrium incurrit. Qua de causa Christus ad huiusmodi quæstiones modo quæstionibus oppositis, modo nihil omnino respondit. Sapienter etiam admonet Solomon, picem non esse attrectandam. Tertia, quod eum, si venisset, vel insidijs circumuentum oppressissent, vel incolumem ac saluum dimisissent, sparso rumore concordiæ, quo in odium ac suspicionem apud suos adductus esset. Si fuisset extinctus, temeritatis & stultitiæ labem vnà cum morte sibi attraxisset: sin grauatus aliqua suspicione ad suos redijsset, quicquid deinceps dixisset ac fecisset, cum hostibus colludere visus fuisset. Non latuit autem virum prudentem quod astutis imperatoribus ars est vsitata, eos, qui videntur plurimum obesse posse, vel grauare suspicione proditionis & perfidiæ, vel in odium & contemptum adducere. Veluti P. Villius Hannibalem, qui bello fractus ad Antiochum regem profugerat, eique bellum in Romanos molienti multum consilijs poterat prodesse, frequenti consuetudine & collocutione cum apud proceres, tum apud regem in tantam suspicionem adduxit, vt consilio tandem excluderetur. Quæ causæ satis graues fuerunt ad impediendam illam profectionem. Deinceps est obseruandum quod per legatos potius causam agit, quàm ipse in colloquium descendat. Idem plane suadet Philippus Comminæus in Commentarijs historiæ Ludouici vndecimi: propositis cum rationibus firmis, tum illustribus exemplis. Exempli gratia recitat Ludouici vndecimi cum Heinricho Castiliæ rege, & Caroli Burgundi cum Friderícho Cæsare, Eduardi Angliæ regis cum Carolo sororio suo, Caroli Burgundi cum principe Palatino Rheni, Sigismundi Ducis Austriç cum Carolo, colloquia: ex quibus omnibus simultates, remissiones amicitiarum, suspiciones, & aliæ res malæ enatæ sunt. Causarum vice refert, quod principum familiares de rebus anteactis colloquuntur non absque molestia atque indignatione alterius partis: quod alij sint alijs elegantius vestiti, ex eoque risus & acerbi ioci nascantur: quod inter eos, qui lingua sunt & & moribus diuersis, vix æqualitas aliqua societasque vel sanciri vel conseruari queat: quod ipsorum quoque principum alij sint pulchriore quam alij corporum constitutione & forma, atq; ex eo deformioris vituperatio quædam oboriatur: quod soluto conuentu varij, ijque primum tacitè, mox apertè seminentur rumores. His rationibus accedebant illę nimirum apud Nehemiam: quod non nullos habere legatos posset, quos illi minus quã ipsum vel odissent, vel magis è medio sublatos vellent: tum quòd legati minus irretiri stipulationibus possent, vt qui plenam ad concludendum potestatem non haberent. Quamobrem vt hæc pericula declinaret, rectissimè nuncios misit. Est autem laudibus illius modestiæ tribuendum, quod non dedignatus est eos omni prorsus responso. Id enim fuisset plenum suspicione superbiæ: à qua voluit alienus haberi Nehemias. Et sanè monet D. Paul. Thessalonicenses ab omni mali specie prorsus abstinendum. Tertiò considerari debet, quod ad excusandam absentiam adhibet suas circa propositum opus occupationes. Id enim est & prudentiæ, & integritatis eius. Prudentiæ, quod causas grauiores etiamnum reticet & dissimulat: nec prætendit insidias, quas poterat eis exprobrare: integritatis, quod ex ijs, quæ sine periculo referri poterant, eam, quę vera & passim cognita esset, causam obtendit. Nam & verè magnũ atq; arduum opus erat, & ipse ab eo sine incommodo abesse poterat nequaquam. Quicquid enim propere & bene expeditum velis, id ipse cures atque administres, apologus de cassita monet. Quo exemplo discimus, sic studere sinceritati, vt si causæ grauiores reticendæ sint omnino, saltem nullas alias, quàm quæ veræ sunt, obijciamus. Quarto memorabile videri potest, quod & si quater expetitus ad conuentum esset, tamen in sententia primum explicata constantissimè perstat. Cumq; illi in euocando impudentes ac pertinaces essent, ipse sibi in recusando esse graui & constanti concedit. Hæc constantia magistratum præcipuè decet. Atque hac quidem constantia coniuncta cum prudentia singulari tandem hoc est consecutus Nehemias, vt quas indicti colloquij bene sibi cognitas causas ipse reticuisset, eas hostes iam nulla tortura adacti vltrò effutirent. Qua ex re deinceps sibi suisque ciuibus ad cauendos illos occasionem tanto pleniorem melioremque appræhendit. Idque ex ijs, quæ proximis quinq; versibus referuntur, perspici potest.

5 Et misit ad me Sanaballath iuxta verbum prius quinta vice puerum

rum suum, & epistolam habebat in manu scriptam hoc modo:

6 In gentibus auditum est & Gosem dixit, quod tu & Iudæi cogite-
tis rebellare: & propterea ædifices murum, & leuare te velis super eos re-
gem:

7 Propter quam causam & prophetas posueris qui prædicent te in
Hierusalem, dicentes rex in Iudæa est: auditurus est rex verba hæc, iccir-
co nunc veni, vt ineamus consilium pariter.

8 Et misi ad eos dicens, non est factum secundum verba hæc, quæ
tu loqueris: de corde enim tuo componis hæc.

9 Omnes enim hi terrebant nos: cogitantes quod cessarent manus
nostræ ab opere & quiesceremus: quam ob causam magis confortaui ma-
nus meas.

His quinque versibus indicat Samaritanos prioribus insidijs aduersus ipsum frustra tentatis, ad minas deinceps confugisse, & vt his ipsis eum a proposito opere deterrerent, conatos esse. Qua in re commemoranda, ordinem eum tenet, vt primum quemadmodum ipsum denuo adorti sint, dein vt se ipse defenderit, deniq; de eo genere conatuum quid statuerit, exponat.

Ac primum eum partim noua legatione sunt adorti, partim epistola sanequàm minaci. Et epistolæ quidem hoc erat argumentum: Rumore non omnino incerto ferri, ipsum aspirare ad regni fastigium, in eumque finem eum prophetas, quorum verbis populo commendetur, instituisse, tum qua se suosque asseclas tueatur, vrbem ædificare. Cumq; eius rei fama regem sit offensura: vt offensa declinetur, se consilium ei, siquidam veniat, allaturos. Ergo summa accusationis est, esse eos rebelles, & affectare regnum. Vetus hæc est querimonia, & inde à primis seculis vsque ad hæc tempora semper aduersus ecclesiam proposita. Hoc ipsum enim de Mose Pharao, de Dauide Saulus, de Helia Achabus, de Mardochæo Hamanus, de Esdra Samaritani, de Christo Iudæi conquesti sunt, & de nobis hodieq; Papa ac Cardinales, licet ipsi magnos ac superbos titulos de Maioritate & obedientia concinnarunt, ac propè patriam potestatem omnem è medio sustulerunt, iniquè & impudenter conquæruntur. Verum obseruandæ sunt rationes, quibus illi suam fulciunt accusationem. Primum (inquiunt) auditum est in gentibus: hoc est, vulgo fertur: in ore est omnibus populis: longe lateque sparso rumore est ad nos perlatum. Est autem hæc à fama, seu quod idē est, rumore ducta ratio. Etsi enim Quintilianus inter famam & rumorem id interesse existimet: quod rumor sit authoris incerti sermo, vel vt in Othone Plutarchus ait, ἀδέσποτος φήμη: fama autem non careat omnino omni authore: tamen apud Latinos authores plerosq; velut etiam in vso quotidiani sermonis alterum pro altero vsurpatur. Porro quale & quàm firmum hoc sit argumentum, & quantam vim habeat ad probandum: de eo multa sunt cum apud viros sapientes, tum apud Iureconsultos maximè disputata. Eorum, quatenus ad propositam tractationem faciunt, hæc sit ferè summa: Famam ipsam per se & solam ad probandum aliquid adductam, momenti parum afferre, sed vice coronidis alijs adiunctam argumentis, probationem non omnino infirmam efficere: vt habet glossa in cap. veniens, in verbo illorum, de probationibus. In quam sententiam est quod Bartholus etiā scribit in l. proprietaris. C. de proba famā non manifesto quidem probare dominium, sed coadunare. Et Calistratus in l. iij. ff. de proba asserit famē consentientē rei de qua l. quæritur fidem cōfirmare. His illud addi potest, quod hæc ad permouendos animos humanos maximā vim habet: ac statim ratiocinamur, flammam esse fumo proximam: nec raro vera fuisse, quæ diu vulgo dicta sint, ideoque nec id quod modo feratur negligendum. Verum hæc eadem perinde facile refelli possunt atque obijciuntur. Quemadmodum enim est confitendum flammam esse fumo proximam: sic rursus negari non potest, nullum interdum ignem esse: verum sceleratos ac nefarios homines damni dandi libidine ignes in eorum, quos oderint, ędes inijcere, vnde mirum non sit & fumos, & flammas, & incendia suscitari. Eodemque modo constat homines improbos sic interdū maledicendi mentiendiq; libidine in transuersum abripi, vt ea de bonis & innocentibus viris spargant, quorum eis in mentem nunquam venerit, nedum ea designarint: quæ tamen indies accedentibus circunstantijs atque appendicibus nouis subinde magis ac magis verisimilia facta, stulta credulitate, suspicione, errore mortalium pro veris tandem accipiantur. Qua de re multa in vtramq; partem dici & disceptari possent: ni viderentur hæc sufficere ad propositam tractationem. Secundò aiunt: Et Gosem dixit. Id est, vt intelligas autem hos rumores & satis constantes, & non sine authore sparsos: an tibi Gosemi nomen edo. Atq; hæc à testimonio est adducta ratio. Quæ priore est multò melior ac firmior. Quod enim testes præsertim in iudicio dixerint, id omne maximam ma-

ximeq; necessariam vim habet: quia testes non solum in ijs quæ contra scelus ac maleficium instituuntur, actionibus, verum etiam in alijs litibus ac pecuniarijs, causis adhibentur: quemadmodum indicat Arcadius in l.j.ff.de testibus. Considerandum est autem inprimis, quæ res in testibus debeant spectari: vt fides, conditio, vita ac tracta, existimatio, dignitas testium: quæ pluribus verbis in l.iij.ff. de testib. à Callistrato commemorantur. His addendum est etiam quod in re propria testimonij dicendi facultatem nulli etiam in aliquo dignitatis gradu constituto viro iura concedunt: sicut Pomponius in l.nullus.ff.de testib.& ad Iulianum Præsidem Constantinus Imperator, in l.omnibus.C.de testib. scribunt. Verum de his extant peculiares tituli in Codice pariter ac pandectis: itemque Bartholi non indignus lectu liber. Et testium vel commendandorum vel confutandorum ratio proponitur in Ciceronis partitionibus oratorijs: afferuntur etiam in Actionibus Verrinis, in Ora. pro L. Flacco, pro M. Fonteio, pro Murena, & alijs in locis exempla. Sed & ad Gosemi huius testimonium vel commendandum Sanballato, vel confutandum Nehemiæ rationes suppetebant. Sanballatus enim dixisset Gosemum illum esse illustrem virum, eundemque maximis ac grauissimis in negotijs versatum: fidem & grauitatem eius longo rerum vsu cognitam ac spectatam; eam etiam sortem, vt nulla necessitate fortunæ ad mentiendum adigi posse videatur. Et hoc genus homines facilè reperiunt apud omnem populum fidem: vt qui videantur excelsioribus animis esse, quàm vt confugerent ad mendacia: præsertim cum citra fucum ac fraudem vel authoritate & potentia sua quidquid velint, consequi possint. At contrà statuendum est: eos, qui sunt in imperio, si sint improbi, facilius quàm vulgares viri posse ad mentiendum adduci: quando homines plebeij sibi timent, ne deprehensi pœnas luant: illi suis animis persuasum habent, se, si maximè deprehendantur, nec verbis castigari, nec vllo genere supplicij à quoquam affici posse. Nec dubium est quin illius Gosemi animo quoque hæserit hæc persuasio. Dein erat Arabs, quæ gens & avitum aduersus Iudæos odium fouebat, & iam antea cum Samaritanis in perniciem ciuitatis huius conspirarat. Huc accedebat etiam, quod communes cum Tobia ac Sanballato actionis in Iudæos partes antea quoque Gosemus hic susceperat: ideoque iura in causa propria dicendi testimonij facultatem ei recusabant. Præter hæc omnia solus hæc dicebat: quod ipsum etiam iura prohibebant: quando vnius testis assertio præter suspicionem aut nihil aut perparum fidei facit: vt videre est in l.iurisiurandi religione.C.de testibus. His alijsque de causis testimonium huius

3\. Nehemias iure poterat repudiare. Tertiò dicunt: propterea ædifices murũ, &c. Hoc est, ex ijs quę dicis atque facis non incerta de consilijs ac conatibus tuis coniectura capi potest: muros ac propugnacula nimirum ad tui tuorumque defensionem paras: at defensione illa quid opus sit ei, qui sit patrocinio regis contentus, & æquali cum alijs regni incolis iure & sorte sit victurus? Nec frustra fit quod prophetis est ita tui commendandi studium propositũ, vt quicquid tute agis & proponis, id illi commendandum populo prædicatione sua doceant. Argumentum hoc est ductum à signis. Habent autem hoc genus argumenta non aliam vim, quàm quæ eis à signorum ipsorũ qualitate suppeditatur. Nam si necessaria signa fuerint, quæ τεκμήρια Græci vocant, euidentes efficiunt ac firmas probationes: sin tantum verisimilia sint, quæ εἰκότα Græci dicunt, singula quidem infirma sunt, sed coniuncta grauem mouent suspicionem. Sicuti præclarè cecinit Ouidius: Nam quæ non prosunt singula, multa iuuant. Hi contra Nehemiam duo tantum proferunt signa: quorum alterum plane erat infirmum, alterum falsum, ambo in contrariam partem detorta. Quod enim ædificabat mœnia, id factitabant alij item fidi & sinceri serui regis. Quod prophetę eum pronunciarent regem id erat prorsus fictum atque ementitum: quando religionem, & quicquid huic conueniens erat, vnum prophetæ populo proponerent ac docerent. Vtrumq; fiebat indulto, mandato, auxilio regis: in regis perniciem nullo modo. Quod cum ita sit, consequens est, id quod Nehemias iure fecit, id illos iniuria accusasse. Quo in speculo cernimus, quæ qualisque sit in his terris sors seruorum Dei: nempe vt & si concessa, recta, necessaria faciant: tamen ob hæc eadem grauem reprehensionem incurrant. Quò magis illis est enitendum, vt ἀμέμπτως viuant: sicut præcepit apostolus. His propositis rebus quid obtinere Samaritani studeant, paucis & quidem illis verbis exponunt: Veni igitur & consilium ineamus: id est, Cum hæc res tam magna sit & varia, vt per literas expediri commodè non possit, & tamen tua referat, vt super ea maturè consilium capiatur: tuæ salutis ac dignitatis tuendę causa magis, quàm quod nostra magnopere referat, petimus: vt ipse venias, quo consilium de declinanda offensa capiamus. Mirabilis astutia. Qua parte maximum illi damnum parant, hac ei plurimum prodesse velle videri volunt. Ita altera quod aiunt, panem ostentant, altera lapidem ferunt. Atque hoc quidem nouo modo sunt aggressi illum.

Duobus versibus illis quibus dicit, Et misi ad eos, &c. refert: & vt impetum eum fregerit, & de eo ipso quid statuendum iudicarit. Et octauo quidem versu tria significat se eorum conatibus opposuisse genera machinarum. Primum videlicet, quod nuncios nuncijs iterum opposuerit: ac ratio-

ac rationem oppugnandi pristinam repetentibus illis, se quoq; antea vsitatam rationem defensionis sumpsisse. Quo facto monemur, pijs hominibus, vt vt Crambe bis repetita videatur mors esse, & eandem subinde cantileoam occinere sit res plena fastidij: tamen nequequam committendum, vt extre iostas ac legitimas defensionis rationes ideo se præcipiant, quod earum repetitio bostibos sit acerba & odiosa. Equidem est malo nodo malus quærendus cuoeus: & boni medici quoque πικρᾷ χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ, id est, expurgant amarum humorẽ emaro genere medicamenti, vt Sophocles, ioqoit, apud Plotarchũ io libro περὶ τῆς ἀοργησίας. Sed et Grammatici quo casu rogatus sis, eo ipso iudicent respondendum. Eodemqne modo Iudæorum quæstionibus captiosis vtrinque constringentia argumeota quæ διλήμματα Græci vocant, Christus opponere consneuit. Cuius generis fuit, qood qua authoritate numularios templo eijceret, ioterrogatus, ab àdoersarijs vicissim quæsiuit, è cœlis ne en ex hominibus baptismus Ioanois esset. Et nostri maiores aduersarijs sobinde instantibus, vt nooũ hoc doctrinæ & religionis geous abijcerent, vnum hoc responsum perpetno obiecerunt, si quis eos testimonijs ac iudicijs sacrę Scripturæ melius quid edoceret, libenter se recepta sententia cessuros. Vetus hæc & odiosa cantilena poterat iodicari: sed oulla tutior ac melior fuit. Eadem ratiooe etiam Nebemias, tutissimam illam & optimam per internuncios colloquendi rationem, vt vt ipsum hostes expeterent, rectè seruauit. Deinde etiam intentatum crimeo inficiatione facti ebs se depellit, ad honc modum: Non est factum secundum verba hæc quæ tu loqoeris. Et rectè, cur enim, vt ne illos offenderet, vel taceodo vel dissimulando suspicionem culpæ sibi attraxisset? Equidem ingenuis nedum Christianis hominibus indignum fuit, quod quidam olim diris tormentis ea abs se patrata scelera confessi sunt, quorum culpa prorsus omni vecarant. Sic enim & se & familias suas, & ecclesiam doctrinamq; Christianam graui iniuria affecerunt. Didicerunt hoc potius ab ipso Christo magistro nostro, vt iustis defensiooibus aduersus improborum hominum morsus atqne cootumelias innocentiam famamq; suam propugnarent: oe iniquè eis inusta iofamiæ nota, Christo & ecclesiæ fœditatem aliquam afferret. Is enim ipsum ed supplicium quærentibus Iudæis patientissimè se viociendum dedit: sed tamen id etiam eis fortiter exprobrauit, qood ceu ad latronem laneijs ac fustibus instructi ipsom ad supplicium inuestigatum exissent: qua si vero setellitio homionm factiosorum stipatus nisi vi manuq; armata compræhendi non posset, qui tameo inermis publicè docuerat io conueotibus hominũ atq; io templo. Idem etiam in Concilio rogatus de doctrina ac discipulis respondit: se nihil io angulis & clam egisse, & ijs qui Hierosolymis tunc versarentur, hominibus omnibus de doctrina ac discipulis eios constare. Quorum altero seditioois suscitatæ, altero sparsæ hæreseos crimen depellit. Horum exemplis ad omnem famæ & innocentiæ nostræ legitimam defensiooem nostram instruimur atque excitamur. Postremò, ait: De corde enim tuo compoois hæc: id est, dirum illud odinm qnod aduersus me meosq; foues, hæc coouitie tibi dictat. Et sanè fit ferè, vt odium, inuidia, suspicio, suggerant multa in vulgus spargenda, quæ suot ab omni vero longè aliena: sæpe etiam nonnolli qnod ipsi, nisi impediti fuissent, facturi fuerant, id alijs audent imputare. Quam malignitatem atqoe impudentiam ille cum in his animaduertisset, liberè eis edicit: vt & se excuset, & illorum conscientia verberata, libidinẽ eorum quoquomodo frenet. Antea quidem hæc reticuerat: iam cum hulcus impudentiæ eorum ad menifestam repræhensionem maturuisset, nihil amplius reticendum arbitratur.

Quorsum autem tenderent his oppositis minis, iam vt animaduerterat, sic aperte versu 9. edieit: nimirum vt maximorum periculorum denunciatione eum ab opere proposito deterrerent, eoq; efficerent, vt illo vel oppresso vel perculso, cæteris in desperationem deiectis ædificetione desisteretur: se vero conuersum ad Deum, vt is animum ipsi obfirmaret ad perseuerantiam, petijsse. In quo tria præeipuè sunt obseruanda. Vnum, qnod impiorum hominum minæ tantummodo sint inanes periculorum nunciatiooes, qoę in hoc vnum pijs opponantur, vt terrorem afferant ac metum: quare si solum metum exclodas nihil obesse possint. Metus eoim est maximum optimarum actionom impedimentum: & ob id pijs incutitur minis malorum, vt honestæ actiones impediantur. Idq; docet Nebemias dicens, terrebant nos. Alterum, quod impij non tam piorum Dei seruorum, quàm operis diuioi odio laborant, ideoque eos vel persequuntur, vel terrent, vel corrumpere conentur, non vt ipsos eant perditum, sed vt ab operis Dei perfectione retrahant. Causam oderunt magis quàm actores. Vnde & Machabænm illum senem Antiochi serui, & discipulos Iudæi, & Polycarpum præfecti Cæsaris absoluere voluissent, modo eonfessione Dei, prædieatione nominis Christi destitissent. Tertium, quod cum ingens humanis animis robur ad excludendom metum requiratur, pij id diuinitus impetrare precibus contendant. Idque significari Nehemiæ verbis iotelligemos, siqoidem ad veritatem Hebraicam vulgatæ versionis verba conferamos atq; illustremus. Quod enim in vulgata versione legimus: *quam ob causam magis confortaoi manos meas*: id Hebraicis verbis Nehemias clarius effert ad bunc modum: ועתה חזק את ידי, id est,

& iam corrobora manus meas: scilicet ô Deus. Videtur enim quasi per apostropham conuersa ad Deum oratione postulare, vt contra has illorum formidines animus ipsi diuinitus confirmetur. Eodemque modo Helias olim minis Iesabelis territus fugit, sed diuinitus adeptus consolationem mox ad officium reuersus est: & Apostoli, cum Pharisæi illis, si porro nomen Iesu Christi populo Iudęo commendassent, diras pœnas comminati essent, pijs precibus ad Deum tanquam ad sacram ancoram confugerunt. Atq; sic quidem Nehemias has illorum minas non magnopere reformidat, sed tantum inanes quasdam ad terrorem incutiendum factas laruas arbitratur. In eandem sententiam Beda quoque ex hoc iudicio Nehemiæ documenta duo capit. Vnum, vt doctores pij meminerint, sibi nullas ob minas in sententiam hominum improborum descendendum: verum in virtute sic constanter perseuerandum, vt quo pertinacius atq; acrius inimici minis terroribusq; obiectis restiterint, hoc maiorem illis ipsi bene agendo metum terroremq; incutiant. Alterum, vt quoniam in ædificatione spirituali satan communis hostis frangere & impedire conatus nostros subinde nititur, nos confirmandis viribus nostris opem diuinam pijs precibus impetremus.

10 Et ingressus sum domum Semaię filij Dolaiæ, filij Metabeel secre-
to, Qui ait tractemus nobiscum in domo Dei, in medio templi & clau-
damus portas ædis: quia venturi sunt vt interficiant te, & nocte venturi
sunt ad occidendum te.
11 Et dixi num quisquã similis mei fugit? & quis vt ego ingredietur
templum, & viuet? non ingrediar.
12 Et intellexi quod Deus non misisset eum: sed quasi vaticinans lo-
cutus esset ad me, & Tobias & Sanaballat conduxissent eum.
13 Acceperat enim precium vt territus facerem, & peccarem, & ha
berent malum quod exprobrarent mihi.
14 Memento mei Domine pro Tobia & Sanaballat, iuxta opera eo-
rum talia: sed & Noadiæ prophetæ & cæterorum prophetarum qui ter-
rebant me.

Commemoratis prima parte cap. sexti, insidijs ijs, quas hostes populi Dei Nehemiæ per se ipsi posuerunt: eæ deinceps referuntur, quas vsi Iudæorum opera clam ei tetenderunt. Eam autẽ narrationem tribus membris absoluit: quorum primo prophetarum perfidiam, & vt huic occurrerit, describit: secundo tristissimam de Iudæorum erga ducem suum perfidia narrationem illam iucunda parenthesi quadam interrumpit, eaque recitat, vt opus illud etiam inuitis inimicis tandẽ sit absolutum: tertio reuersus ad inchoatam narrationem optimatum perfidiam & insidias recenset. Ac prophetarum quidem perfidiam atque etiam huic oppositam defensionem, 10.11.12.13.14. versibus sic describit, vt loco priore insidias, posteriore defensionem commemoret.

Igitur decimo cap. huius versu, cum dicit. Et ingressus sum domum Semaiæ, &c. Sic pseudoprophetarum insidias depingit, vt occasio, genus, ordo, modus in omnium oculis appareant. Occasio fuit, quod in ædes pseudoprophetæ Nehemias ingressus est. Cur id factum fuerit, hic non indicatur. Fortasse enim vel capiendi consilij gratia, vel quod aliqua consolatione prophetica se recreatum iri speraret, vel quod ab eo vocatus esset. Vtra de causa factum fuerit, tetra certe est prophetæ illius improbitas. Nam si consilij capiendi gratia eum accesserit: quantò plus illius fidei Nehemias tribuit, tantò nequior ille, qui fefellerit, fuit: quando tetrũ facinus est, eum insidijs circumuenire, qui ne ab alijs circumueniatur, consilium quærit. Præclarè enim Solomon Prouerb 3. monet, ei imprimis nullum dandum damnum, qui sibi de nobis optima quæq; polliceatur. Sin acerbitatem & dolorem animi leniri prophetæ verbis quoquomodo voluit: inhumanum admodum, imò belluinum est dolorem veterem nouo quodam genere iniuriarum augere, & eum, qui sit aliàs miserabilis, facere miseriorem. Sin quod verisimillimum est, vocatus venerit ad Semaiam: nimirum vt insidias ei instinctu Samaritanorũ structas indicaret, suamque in his declinandis operam afferret: proditoris partes suscepit malefidus vates, & ad id efficiendũ occasiones quęsiuit. Quemadmodum Iudas etiam occasionem ad prodendum Christum quæsiuit & captauit, postquam ab Iudæis corruptus esset. Igitur huiusmodi hypocritarum studia, dicta, facta omnia memineris esse captatas ad prodendum occasiones. Nomen & genus pseudoprophetæ suis ipsorum notis exprimuntur: Semaias filius Dolaiæ, filij Metabael. Additur autem Dolaiæ parentis eius nomen, ad constituendum discrimen inter ipsum & Semeiam eum, qui Sechenię filius fuit, & inter reges Iuda numeratur, & quinq; filios dicitur habuisse, 1. Par. 3. & apud Hieron. in li. de nominibus Hebraicis. Huius

tis. Huius nomen & genus alibi nusquam, quod sciam, celebrantur. Ordo seu vitæ genus partim ex ijs, quæ postea referuntur, partim hic vno verbo ostenditur. Postea enim ordini prophetarum accensetur, & hic dicitur עָצוּר, id est, clausus fuisse. Interpretes LXX. vertunt [illegible], hoc est, eum, qui intra loca secretiora se continebat, ac sit ab omnibus & delitijs & hominibus remoto ac segregato loco, totus deditus considerationi & contemplationi rerum diuinarum. Hoc genus hominum, quoniam simplex ac sincerum, & integrum, & sanctum, & ad imitationem Dei factum videtur esse, & affectibus prauis vacuum, plurimũ authoritate & beneuolentia apud homines potest. Quod cum homines improbi non ignorent, eorum operam ad proditiones ac veneficia, promissis, pecunijs, muneribus, quoquo modo possunt, acquirunt & vtuntur. Sæpe etiam tanta horum est malitia, vt vltro ad id offerant operam suam, si qua spes sit magno munere potiundi. Eius generis homo Iudas & ante eum Doeg Idumæus, insignis typus Iudæ: & nostra patrumq. memoria multi cesarij homines amicitiæ & interdum etiam religionis simulatione, eos, qui in illorum fide & pietate quasi conquiescerent, falsos, occiderunt. Qualis monachus ille fuit, qui Heinricho sexto Imp. venenum in sacræ Eucharistiæ sacramento bibendum propinauit. Quemadmodum Egnatius & Volaterranus scribunt. Qui sanè Artemisiæ Cariæ regina, quę & ipsa religionis simulatione deceptos Latmios interfecit, tantò deterior fuit, quantò pręstantiora sanctioraq; sacra ea, quibus is abusus est, ijs fuere, quorum vsum illa transtulit ad exitium Latmiorum. Modum autem in hac re seruatum illius ipsius verbis exprimit: Primo, Tractemus nobiscum: id est, vnà deliberabimus: communicemus inter nos consilia ad tuendam salutem ac dignitatem tuam. Eius tuendi & conseruandi studium simulat, cuius opprimendi libidine flagrabat. Secundò, In domo Domini: vtut simulet sanctimoniam, tamen adeo aliena est ab omni sanctimonia, vt sacro etiam loco ad cædem abuti constituerit. Sic Iudæi sanctimoniam præ se ferunt obseruatione purgationũ & aliarum ceremoniarum: cum tamen & templo abuterentur ad quæstum, & religionẽ omnem venalẽ haberent. Sic Antichristiani nostri queruntur omnia sacra per nos in contemptũ abripi: cũ ipsi interim verbum diuinum, sacramenta, Dei dona, diuos, omnia sacra habere quæstui soleant. Tertiò, in medio templi: nimirum in atrio interiore, in quod nisi sacerdotibus nemini licebat introire. Existimat eum vitę suæ tuendæ studio ad legis transgressionem, quam postea exprobrasset, adduci posse. Quartò, claudamus portas ædis. Simulat id agere sese, vt omnia ad Nehemiam aditus hostibus illius præcludatur: cum eum conclusum in potestatem hostium tradere conaretur. Idque est altera panem ostentare, altera lapidem ferre. Quintò, quia veniunt te occisum, qui id ipse poterat scire? Erat sanè & Sanballati consiliorum ac conatuum conscius, & totius factionis eius administer: sed nimirum aut famam, aut coniecturas prætendebat. Eximius typus hypocritarum, qui veritatis odium simulatione beneuolentiæ & auxiliorum tantisper occulunt, dum apti ad eam opprimendam ansis potiti, impunè eam oppugnare queant. Atq; ex his quidẽ perspici potest quæ qualesq; fuerint eæ insidiæ, quas Samaritani per Iudæos ipsos Nehemię posuerunt.

Iam quemadmodum his insidijs occurrerit, sic vndecimo cap. huius versu docet, ac depingit, vt primum quàm fortiter & prudenter quod ab ipso petebatur, facere recusarit: dein quibus rationibus animum ad perseuerantiam obfirmarit, ostendat. Quorum alterum huc est referendum, vt meminerimus omnes omnino seu turpes & ea quam gerimus persona indignas pacis concordięque conditiones, seu iniquas ac parum honestas petitiones, seu fœdas & illegitimas periculi depellendi rationes potius repudiandas, quàm vt quicquam cum dignitate & officio pugnans admittamus. Alterum documento præclaro fuerit, sanis rationibus animos sic ad constantiam obfirmandos, vt nec specie boni veriue decipi, nec spe cuiusquam commodi flecti facilè queant. Ac quemadmodum iniquas ac turpes euitandi periculi vias declinarit Nehemias vndecimo versu recitat ad hunc modum: Num quisquam mei similis, &c. Quibus verbis significat, se, quicquid obstet difficultatis ac periculi; tamen suæ dignitatis personæq; rationem habiturum: idq; bifariã: primum vt ne suis hominibus desertis, ipse fuga saluti consulat suæ: dein vt ne more sontium ad aram confugiat. Ac fugam omnem officio personàque sua indignam videtur hoc ipso ostendere, quod dicit: num quis mei similis fugit? Id est, Num quisquam eorum, qui cum imperio sit alicubi, qui cura pariter ac potestate sua alios tueri & conseruare debet, adeo vecors est & timidus, vt ijs, quos & consolatione reficere, & consilio iuuare, potestate eripere & conseruare iure mandatoque diuino debet, desertis, fuga saluti consulit suæ? Ostendit haud obscurè viri principis interesse, vt incolumitatem publicam saluti suæ anteponat. Quæri igitur occasione illa queat, an ne viro principi, cuius curæ atque fidei vel ecclesia, vel respublica sit credita, siquid ingruat periculi, fugere liceat. Et extant hac de re multa in vtramq; partem piè & prudenter dicta ac disputata: nec desunt in vtramq; sententiam inclinantia exempla. Etenim Esaum fratrem Iacobus patriarcha, Pharaonis minas Moses, Saulis furorem David, Iesabelis iram Helias, Herodis insidias Christus, hostium suorum

vim ac persecutionem apostoli, fuga deuitare conati sunt. Veluti Paul. de muris Damascenis in spurta demissus Act.9.2.Cor.12. Paulus & Barnabas Antiochia Pisidiç eiecti puluere excusso Iconium veniunt Act.13. Iidem cum cognouissent, quod Iudæi & gentes Iconij sibi conarentur vim afferre, ad ciuitates Lycaoniæ confugiunt Act. 14. Orta persecutione Thessalonicæ Paulus & Sylas opera fratrum in Berrhœam emissi sunt Act.17. Extat etiam apud Sozomenum lib.5.cap.10.exemplum Hilarionis monachi, qui cum à Gazæis quæreretur ad martyrium in Siciliam fugit, & ex montibus ligna portandu victum quæsiuit. Est & notum exemplum Athanasij, qui ipse quoque Constantium fugit. Quam fugam ipse excusat apud Socratem Eccl. hist.lib.3.cap.8. Primum in aduersarios crimen regerit: idque bifariam: vno modo, si fugere sit malum, persequi sit peius, cum fuga arceat, persecutio quærat, cædem: altero, quòd bonos fugiat nemo, tantum malos. Dein affert exemplo aliorum itē bonorū qui fugerunt: ac dicit Christi de fuga præceptum veteri de asylis legi substitutum ad tuendam salutem Christianorum. Quibus omnibus sanè accedit, id quod in Apologia sua D. Athanasius adducit, præceptum Christi, iubens ex vna ciuitate in aliam fugere. Verum his exemplis penitius inspectis in contrariam sententiā rationes colligentur. Moses enim mandatum educendi populum nondum acceperat: post eo accepto in Ægyptum redijt, atque in ipsius regis conspectum venit. Dauid & priuatus homo, & seruus, & gener Saulis, cum fugeret, fuit: ac nefas esse duxit, arma contra principem, patronum, socerū sumere, & vt ait ipse, Christum Domini tangere: tum & suspicionem ambitus, qua aliàs inimici illum grauabant, quasi violenta in regnum facta irruptione, si regi restitisset, prorsus auxisset ac confirmasset. Helias autem in eam quam deseruerat, reductus stationem officium strenuè fecit, quasiq; vir fugians denuo pugnauit. Christus autem & Herodis insidias, & Nazarethanorum vim, & aliorum impetum fuga sæpe declinauit, quòd præscriptum mortis suæ tempus spectaret: cumq; id adesset fortiter ictus omnes excepit. Apostoli deinde, vel ijs ex locis fugerunt, in quibus alij doctores manebant, qui ipsorum loco prædicarent, vel vt vno loco repudiatam euangelij doctrinam in alium afferrent. quando habebant mandatum vbiuis prædicandi Christi. Quin Paulus eos non excusat, qui ipsum in prima defensione deseruerunt: vt qui Deum oret, ne eis imputaretur: 2. Tim. cap 4. Monachorum autē ordo videtur ab ijs quasi institutus, qui desertis stationibus & officijs suis in solitudines sese metu periculorum abdiderunt. Quare eorum exemplum in turpi desertione officij neminē videtur posse excusare. Quin potius illis est opponendum Marci Arethusij episcopi factum insigne. Is florente statu ecclesiæ templum quoddam magnis sumptibus extructum solo æquarat, atque ad Christi fidem eius loci incolas adduxerat: post cum imperio ad Iulianū translato, vel id in integrū restituere, vel impensas soluere iuberetur, & alterū se indignū futurū, alterum fieri nō posse iudicaret, aufugit. Sed vbi sua fuga multis bonis ac pijs viris periculū ingens creatū cognouisset, & redijt, & diros cruciatus perpeti, quàm fugā suā alijs damno esse maluit. Quod Theodoret. li.3. Eccl. hist. cap.7. refert. Igitur exempla Christi & apostolorum singularia sunt existimanda, & illis ipsis qui peculiarem quendam muneris sui decursum seruare debuerunt, solis conuenientia. Nam & Christus vbi tempus suæ morti destinatum affuit, adeo non fugit hostium suorum quenquam, vt illis etiam occurrerit, seque ipse esse Iesum indicarit: & apostoli constantissimè stationem suam tenuerunt. Sed & reliqui Christiani, nisi in exilium mitterentur, suis locis minimè cesserunt, sed ea constanter ac fortiter tenuerunt. Veluti cum Damasco Paulus emitteretur, alij ibi Christiani viri nihilominus manserunt. Eodemque modo Philippis & Thessalonicæ nihilominus ecclesiæ manserunt, etiam cum inde apostoli secessissent. Quod ipsius Pauli & Lucæ verbis Act.17.1. Thess. 2. & in ea quam ad Philippenses apostolus scripsit, epistola, non obscuris indicijs significatur. Inprimis autem est obseruandum quod pater opt. max. vnigenæ filio suo Iesu Christo Domino nostro modo fuga consuluit, modo crucis onus imposuit. Cum ei recens nato ab Herode rege insidiæ tenderentur, vt in Ægyptum fugiendo periculū declinaret, author fuit: ac rursus cum mortis eius tempus præstò esset, angelum illi subsidio misit, vt profligato metu mortem fortiter obiret. Ex his in vtramq; partem libratis inter seque comparatis rebus & exemplis, planè perspicuum fieri cernimus: fugam aliam concessam atque honestam esse, aliam contrà turpem, illicitam, vituperandam: ac propterea quid sit ipsa, & quæ sint eius genera, & quibus de causis, quibus item ex locis, quo tempore, quibus etiam ab hominibus suscipiatur, considerandum. Ac si mihi quidem quid existimem fugam esse, more meo, puta crassa quadam ac pingui Minerua liceat definire: Videtur hęc omnino esse, sollicita quædam atque ob alicuius seu opinati, seu verè præuisi mali metum, vel sui ipsius, vel suorum conseruandorum, vel etiam cuiuscunque boni causa suscepta, atque ex eo, qui periculo videtur esse proximus, loco, in eum qui putetur esse tutior ac melior, secessio. Hic si fugam momento sui generis metiamur, nemo nescit: prudentis hominis esse & magnanimi, interdum ei cedere, quem indignum ducas, quo cum committare: sicut & Solomon monet sapientis hominis

interesse

intereſſe, vt ſermonibus ſtulti cedat: & Deus hoſtibus ſois, quos e veſtigio poterat perdere, certas ob cauſas aliquantiſper cedit: & multi non victi cedunt, verum vt victoria minore cum labore & damno potiantur. Hinc igitur eundum eſt ad cauſas: ac videndum, vt nec timor in timiditatem degeneret, nec timeamus res, quæ malę non ſint, ac propterea minimè metuendę. Etenim à malis ac noxijs rebus vt declinemus natura nobis dux eſt & adminiſtra, ideoq; timorem nobis indidit, vt is eò nos addocat. Timiditas eſt anguſti planeq; parui animi: vt quę vel rebus proſperis nimium diffidit, vel aduerſis nimium terretur. At timor cum ratione declinat mala, eoque cautionis nomen acquirit. Quod cum ita ſit, conſequens eſt, fugam, quæ ex timiditate & deſperatione proficiſcitur, eſſe turpem & malam: eam contrà, quæ prudentiam habet & cautionem ducem, ſi nihil aliud accedat mali, conceſſam eſſe & minimè vituperandam. Sed imprimis eſt cauendum ne fugiamus quæ videntur magis eſſe, quàm reuera ſint, mala. Equidem ea merito fugimus, quæ vel animo, vt quæ turpia ſunt, vel corpori, vt quæ moleſta ſunt, videntur incommodum afferre. Sed quoniam inter ea quæ ſunt eiuſmodi incidit ſæpe contentio: vt inter duo turpia atque incommoda, vtrum altero ſit turpius & moleſtius, dubitemus: eo ſanè fit interdũ, vt minoris mali metu in maius malum incurramus. Iuſsit igitur Dominus, vt eum potius, qui ſempiternis ſupplicijs afficere, & animas nobis pariter ac corpora perdere poteſt, quàm eos, qui corpus ſolũ affligere & trucidare poſſunt, metuamus. Idem etiam, cum dicit ſe eoram patre cœleſti & ſanctis angelis abnegare velle eũ, qui ipſum corã hac adultera natione abnegarit: non obſcurè ſignificat, pernitioſum metũ ijs ineſſe, qui dum mundanam eamq; ſaltem opinatam ac falſam infamiã affugere diſsimulatione ſui nominis ſtudent, cœleſtem & meritò formidandam ignominiam incurrunt. Multa in hanc ſententiam Luc. 12. & Matt. 10. Dominus de timore & timiditate verba facit. Ac quoniam ex his quæ dici ximus colligi poteſt: fugam ex efficiente ſui cauſa iudicari oportet, vt timiditatem & diffidentiam alijs & quidem Chriſtianis habitibus animorum profligemus. Sunt autem Chriſtianorum hominum virtutes præcipuæ fides, charitas, ſpes: quibus quicquid fuerit aduerſarium, ſtatim fore vitioſum: quicquid rurſus conſentaneum fuerit, idem etiam eſſe rectum arbitremur. Hic fides explodit opiniones Epicureorum, qui cæco arbitrio fortunæ mundum regi putarunt: & credit voluntate & prouidentia Dei res omnes fieri, & minutiſsima quæq; Deo curæ eſſe: omnes plagas diuinitus immitti, ideoque æquis animis ferendas: eaſdem non temere & citra delectum graſſari, ſed in numerato eſſe eos apud Deũ, qui viſi fuerint è medio tollendi, nec capillos Deo nolente & ignorante de capite decidere. Cumq; fides ſpectet voluntatem iuſtè, prudenter, clementer caſtigantis Dei ſtatim ad obedientiam & patientiam animos flectit, eoq; adigit, vt admiſſam culpam agnoſcamus ac deprecemur, nóſque ſupplices ad ſedem percutientis patris abijciamus. Huic ſi deinceps charitas acceſſerit: efficacia ac virtute eius toti in amorem fratrum ac ſororum abripiemur, eoq; eos perinde ac nos ipſos complectemur: ita vt alter alterius ærumnarum ſenſu moueamur, & ad ſubleuandum iuuandomque mutuum propenſi paratique ſimus. Spes deinde cum deſperatione & metu confligit, ac ſi dignitates ciuiles, opes mundanas, oclum terreſtre, ſalutem corporis interire contigerit, in expectationem centuplæ remunerationis ac bonorum cœleſtium erectos animos conſolatur ac firmat. His virtutibus inſtructus, ornatus ac confirmatus animus hominis Chriſtiani, nec facilè, nec quouis leui momento in timorem fugæ efficientem inijcietur: ſed habebit eius in quem diuinitus ſit conſtitutus, loci rationem: nempe vt ne temerè eo deſerto cum alios ope debita deſtitutos, tum ſe ipſe neglecti officij crimen incurrens, perditum eat. Qui igitur alicubi ſunt cum imperio, qui doctorum & paſtorum officio funguntur, qui patres familias ſunt, qui ſunt ductores copiarum, qui milites ſunt & in acie ſtant, qui nautæ ſunt & multas non ſolum merces verum etiam animas ſuæ fidei commiſſas habent: quibus quàm turpe ſit ac malum officio deeſſe, loco cedere, ſui ipſorum conſeruandorum cauſa alios perditum ire, etiam atq; etiam eſt conſiderandum. Vſuuenire poteſt, vt eius qui præeſt prudens ac cordata ceſsio ſalutem afferat toti concioni: hic cedendo præſes plus prodeſt, quàm manendo. Ita ſanè cum Iulianus infenſior Athanaſio, quàm miniſtris reliquis eſſet: piè & prudenter Athanaſius eccleſiæ toti conſuluit ſecedendo. At ſi in eum eccleſiæ res redactæ ſint locum, vt carere ſui paſtoris opera citra damnum ingens non poſsit: ipſa neceſsitas diuinitus imminens manendom monet. Videtur autem Diuus Auguſtinus epiſtola ad Honoratum, quę eſt centeſima octuageſima, quando, & quibus ex locis, & quibus de cauſis vel liceat, vel non liceat fugere, piè & prudenter decidiſſe. Etenim obijcienti pręceptum Chriſti iubens de ciuitate in ciuitatem fugiendum, is reſpondit: Cauendom, ne mercenarij fiant, qui veniente lupo deſerunt oues: & obtendenti, quod populus manentibus miniſtris etiam ipſe maneat, eoque periculum ſalutis ſuæ incurrat, is dicit, inuidiam eo declinandam vt indicent miniſtri ſe populi cauſa manere, & eo fugiente fugam & ipſis conceſſum iri. In hanc vero ſummam omnis eius ſententia conferri poteſt: Si miniſter eccleſiæ præ cæteris quæratur ad ſup-

plicium: & vel nulli sint, quibus ministretur, cœtus, vel si sint, aliorum opera ministrari iisdem possit, tunc concessam fugam videri. Eodemque modo memorat Hispanos episcopos fugisse, cum ciues alij obsidione consumpti, alij nefariè trucidati, alij in diuersa loca dispersi essent: itemq; Paulum & Athanasium, cum ipsi peculiariter ad necem quærerentur, & essent qui illis absentibus in officio, succederent, fugisse: Christum item cum infans in Ægyptum fugeret, sine ecclesiæ damno fugisse, cum eam nondum collegisset. Verum hac in re, quemadmodum diximus, spectari debent fides & charitas: vt neque prouidentiæ Dei nostram solicitudinem præponamus: neque nostra fuga quenquam vel offendamus, vel negligamus: & iudicemus omnem officij desertionem esse vitiosam. Ac siquidem ea sint tempora, quæ communia mala afferunt alicui genti: qui secundas ac lætas res cum suis ciuibus, vt amici antehac communes habuerunt: quo ore? qua fronte, nedum æquitate eos deserent esurientes, quibus cum lautè & opiparè sunt olim conuiuati? quo iure eos ope & consilio suo destituent periclitantes, quorum auxilijs antehac ipsi sæpe & multum sunt è malis maximis liberati? Etenim amicorum omnia sint communia bona ac mala, necesse est: siquidē veræ sinceræque amicitiæ legibus teneri sese patiantur. Qua ratione fit, vt ijs etiam, qui nullū certum in ecclesia aut ciuitate sua habent officium, proptereaq; se putant esse liberos, hæc ineunda ratio sit ac vitetur: nempe vt ne charitatis quoque legibus ac vinculis se solutos esse somnient, & ceu hirundines essent, æstatem solum cum Christianis hominibus reliquis habere communē velint, seu bellū, seu pestis, seu alia pericula ac mala ingruant, ipsi desertis amicis in suos se recipiant portus. Nam qui sua fuga vel ecclesiæ scandalum attulerit, vel aliquod aliud dederit damnum, is se sciat culpa vacare non posse. Ac licet libertate sua fruentibus aliquid concedendum censeamus: tamen rectius agere videbuntur, qui in statione, quam ingressi sunt, manent. Est autem duabus hic cautionibus inprimis opus: Vna, vt ne deliberationem illam de fuga seu cauenda seu capienda ad id vsque tempus differamus, quo periculum iam ob oculos versatur. Tunc enim est confligendum cum metu, qui consilijs honestis aduersatur. Quin præstat animo tranquillo pacatoque pietatis & officij regulas præscribi, & rogari Deum, vt in harum obseruantia contineat nos ac firmet. Altera, vt à temeraria seu manentium seu fugientium damnatione prorsus abstineamus: memores apostolicæ regulæ: quod suo quisque Domino stat aut cadit. Rectā igitur & laudabilem rationem Nehemias videtur inijsse, vt qui illo præsertim tempore, quando hostes acerrimi populi Iudæi ceruicibus imminerent, quorundam istorum principum perfidia non obscurè sese exereret, opus magnum propositū haberetur: sibi, qui populi illius princeps, patronus, custos esset, ne eum opus ipsum impediretur, tamen partim proditis, partim desertis, partim etiā dispersis ciuibus, ciuitas omnis euerteretur, nequaquā fugiendum arbitratur. Primum ergo ne populū suum deserentis ac timidi ducis notam nomini suo inurat, periculum adire quàm fugere potius esse duxit. Dein vero hoc ipso quoque dignitati consuluit suæ, quod dixit: quis sicut ego ingredietur templum? Id est, Quis est hominum, qui si nullius criminis sibi sicut ego sit conscius, nihilominus ad aram perinde ac si fur aut latro sit, confugiat? Ostendit omnino pietate, innocentia, dignitate sua indignum esse, vt in templum confugiat. Pietate enim prohibebatur, ne in atrium interius, quod secundum legem Dei, solis sacerdotibus patebat, intraret, eoque diuinam legem violaret. Eius exemplo discimus, ne periculi quantumuis magni depellendi studio diuinas leges violemus: quando omnia nostra debent cedere obedientiæ debitæ Deo. Innocantię suæ conscientia fretus noluit vt Ioabus, vt Adonias, vt nepotes Herculis, vt homines nefarij vel in templum, vel ad aram confugere, eoque suspicionem culpæ attrahere. Sed & dignitas eius postulabat, vt maiore animo esset, quàm vt ea via vellet effugere, qua latrones atque fures solent. Concludit autem responsum suum eo quod dicit: non ingrediar: vtut magnum putes periculum imminere: tamen eius denunciatione me nequaquam huc adduces, vt me ipso indignum quicquam admittam. Eius exemplo monemur, omnes turpes, iniquas, nostra persona indignas conditiones fortiter repudiandas: nempe vt turpi deditione nec offendamus, nec damno afficiamus quenquam. Sicut Eleazarus senex ne simulare quidem nedum facere quod esset malum voluit, ne vel caniciei suæ fœdam maculam aspergeret, vel exemplo inficeret iuniores. Quod & Polycarpus in simili casu fecit. Eademque ratione ductus Nehemias indignas existimatione sua postulationes explodit.

Duodecimo & decimo tertio: & reliquis versibus illis rationes comprehendit, quibus animū ad id vt in proposito adeo pio & honesto constanter perseueraret, obfirmarit. Et duodecimo quidē versu non obscurè significat, ad cauendas insidias hasce id vsui sibi maximo fuisse, quod non tam ordinis prophetici dignitatem, quàm eam, quæ proponeretur, doctrinam spectauerit, eaq; animaduersione sit id consecutus, vt statim deprehenderet fucum. In quo si non modo consilium quod afferebatur, verum etiam eius qui consulebat, ordinem seu personam obseruemus, duo præclara documenta proponuntur: quorum vnum ad tutam vitæ viam ac rationem pertinet, alterum autem

ad te-

ad religionis sinceritatem est referendum. Ad tutam vitæ viam ac rationem confert plurimum, vt consilia, quicunque ea nobis afferant, omnia prius ad honestatis ac recti regulam examinemus, quàm sequamur. Quæ enim turpia fuerint, ea quarumcunque vtilitatum spem præbuerint, tamen inutilia ac mala arbitremur. Sicut & præceptis & exemplis propositis Cicero in officijs docet. Etsi enim in eo qui consilium affert, vt probus & prudens & amans nostri sit, spectandum esse præclarè moneat Aristoteles: tamen cum eæ res plerunque videantur adesse, reuera autem non adsint: est certè in ipsius consilij qualitatem nobis magis, quàm in personam consulentis inspiciendum. Quo conducet in primis, vt honestas naturalis ab opinione populari separetur, nec vtilitas ab honestate distrahatur. Sicut hoc loco speciem quandam vtilitatis præferebat consilium Semaiæ: sed ab honestate & officio Nehemiam seuocabat. Mauult igitur ille vitam quàm officium deponere. Atque hæc ratio quoniam & vtilitatem & honestatem & voluptatem simul connectit, ad tutam securamque vitæ viam momenti plurimum affert. Ad religionis autem veritatem vel si non habeatur, acquirendam, vel si adsit, retinendam plurimum prodest: vt ne temere quoduis religionis ac doctrinæ genus pro vero recipiamus: sed de eo quod offertur, adhibita quadam censoria animaduersione & grauitate iudicium faciamus. Quod iudicium quàm vtile sit & necessarium multis rationibus ostendi posset. Equidem fieri videmus, vt ab ijs etiam qui sinceri sunt doctores & boni viri, sæpenumero quæ mala sunt ac falsa dicantur ac fiant, veluti quod Petrus Iudæis aduentantibus alienigenarum fratrum consortio se subduxit, id ab optimo quidem & præstantissimo factum est viro, sed ob id adeo non fuit rectum ac bonum, vt id Paulus graui reprehensione dignum iudicarit. Et Cyprianus eos, qui ab hæreticis essent baptizati iterum baptizandos censuit: sed errorem eum D. Augustinus ideo non excusat, verum potius in sancto viro martyrij falce repurgatum scribit. Apollinarium Hierapolitanũ episcopum inter apostolicos doctores Eusebius refert, hocq; nomine laudibus maximis effert, quod pro veritate Christianæ fidei multa cõtra gentes & hæreticos piè & doctè scripserit: & tamen ob id Hieronymus receptum ab eo Chiliastarum errorem minime probat. Idem de Clemente Alexandrino, de Iustino, alijsque dici potest. Qua de causa adhibendum iudicium ad lectionem patrum omniũ viri graues & sapientes putant. Rursus constat Paulum ad Philippenses scripsisse, quosdam, vt Paulo detraherent de sua apud illos authoritate, euangelium prædicasse. Quod argumento est per malos etiã homines interdum bona ac vera doceri. Quibus illud etiam est addendum, quod apostolus perhibet satanam, quò facilius simplices homines circumuenire & perditum ire queat, in angelum lucis sese transformare: nimirum vt homines angelicæ dignitatis splendore stupefacti doctrinæ fucum inesse ne suspicentur quidem, nedum animaduertant. His alijsq; de causis opus est graui quadam censoriaq; dogmatũ notatione. Qua de causa Paulus 1. Thess. 5. monet, Omnia probanda, & quod bonum fuerit tenendum. Et Diuus Ioan. 1. epist. 4. ait: Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, an ex Deo sint. Eadem nimirum Nehemiæ quoq; causa fuit, vt à Semaia propositum consilium probaret. Vnde vero tantam probandæ & iudicandæ prophetiæ facultatẽ sit Nehemias consecutus: arcano aliquo afflatu Dei, an ex probabilibus cõiecturis, Liran. quærit, at partim Paulus, partim suis ipsius verbis Nehemias, docent. Paulus enim 1. Corinth. 12. descriptionem siue censuram spirituum inter Dei dona refert: Nehemias autem certas quasdam recitat notas, quibus verane sit ac diuina, an humana & falsa doctrina, deprehendatur. Earum prima paulo plenius ac melius in veritate Hebraica, quàm in versione vulgata exprimitur. In vulgata versione legimus: quasi vaticinans locutus esset ad me. Quibus verbis quid aliud, quàm quod se prophetiam quandam afferre simularit, significet, nescio. Hebraica vero verba sic habent: כי נבואה דבר עלי, id est, quia prophetiã dixisset aduersus me. Hæc nõ obscurè significant Nehemiã propterea prophetiam illam ceu falsam respuisse, quod eius operi seu proposito restaurandæ ciuitatis huius esset aduersaria. Et hanc sententiam L X X. interpretibus placuisse, eorum versio declarat: ὅτι ἡ προφητεία λόγος κατ' ἐμοῦ: id est, quoniam esset isthæc prophetia quasi mihi aduersaria oratio. Quæ versio nulla alia re differt ab Hebræorum lectione, quam quod illi דבר cum camez & patha punctis, ceu nominis partis esset, pro eo quod eandem dictionem iam Hebræi cum hirec & zere punctis, vt verbum coniugationis piel legunt. Ostendit autem Nehemias ex eo se, quod pugnantem cum mandato Dei sibi prius allato reuelationem hic afferret, sibi liquidò constitisse, quòd malefidus ac vanus vates esset. Cum enim Deus perpetuo sibi constet, nec mutetur vt homo, in contrarias sententias, ei qui quidem probe sibi cognitum habeat Deum, nemo facile persuaserit, id mandati diuini loco recipiendum, quod cum eo pugnet, quod certo constat esse diuinum. Rectè ergo Nehemias id consiliũ respuit quo reuocabatur ab opere eo, ad quod perficiendum cum perspicuum mandatum tum auxilia præclara diuinitus accepisset. In quo clarè cernitur, vti Nehemiam verbo diuino, quod iam antea acceperat, ceu Lydio lapide ad probandum id consilium, seu dogma, quod postea afferebatur,

Quæ res euidenti indicio esse potest, monumentis sacrarum literarũ mandatum verbũ Dei, quod [illegible] Græci vocant, esse quasi quendam Lydium lapidem, ad quem omnis doctrina probari debeat ac posit. Eademque regula Christus Dominus videtur vsus esse, quando suæ doctrinæ veritatem Iudæis probaturus, eã ipsam ad Mosem & prophetas reuocauit: & Paulus Eucharistiæ formam eam quæ Corinthijs erat vsitata ad Christi institutum restituit: Ioannes etiam ad id quod initiò audierant & prædicauerant euangelium, doctrinam ætate sua sparsam reuocauit. Ac si Pythagorici quæcunque placita sua nudis ac solis magistri sui decretis confirmasse contenti fuere: certè nobis multò meliora diuinæ doctrinæ principia ipsæ literæ diuinæ erunt. Et Ioan. 5. Christus nos ad scripturas inuestigandas remittit. Petrus etiã ait 1. epist. 1. Nõ enim voluntate hominis allata est olim prophetia: sed spiritu sancto impulsi sunt locuti sancti Dei homines. Et D. Augustinus contra Epist. fundamenti quæ scripturis sanctis sunt definita, censet aliorũ placitis præferenda. Est ergo optima nota veritatis ipsa Scriptura sacra, rectéq; est vsus hac Nehemias. Secundũ autem exprimit hoc ipso quod dicit, eum à Sanballato & Tobia corruptum, precioque conductum ad proferendam hanc prophetiam. Equidem eũ morem priscis seculis fuisse, vt qui consilij capiendi gratia prophetas accederent, honoris officijq; nomine munera quædam eis afferrent: id indicio fuerit, quod Saulus quærens patris asinas indignum autumat adire sine munusculo virum diuinum: & Ahiam Silonitem vxor Hieroboami regis munus ferens accessit: & Nahaman Syrus Heliseum amplissimis donis honorare constituerat. Et hæc quidem illi capere nullo iure prohibebantur: modo mandatum & afflatum Dei potius quàm ipsa spectarent: nec tam loquerentur ad gratiã, quàm diuinitus acceptam veritatem promulgarent. Sed accidit aliquibus prophetis, vt qui, pro eo ac homines sunt, humanum quiddam paterentur, & affectu minus bono interueniente, non quæ spiritus Dei suggerebat, sed quæ lucri studium dictabat, proloquerentur. De quibus & Micheas dicit: Et prophetæ in mercede diuinabant. Quo loco perprudenter D. Hieronymus annotauit: prophetiam, quando lucrum spectat, diuinationem effici, quæ in sacris literis nunquam in bonam partem accipiatur: sed se habet ad prophetiam veluti sophistica ad philosophiam: vbi quæstus vtrobique sit propositus finis. Et sanè verissimum esse existimo, quod Philippus Melanchton vir clarissimus autumat: quemadmodum Ixioni, cum appetisset Iunonem, nubes Iunonis referens speciem obiecta fuit, ex eoque coitu centauri nati memorantur: sic cum homines improbi simul & indocti animos ad Theologiæ studium appulerint, Sophisticam eis ac errores à satana obijci, ex eaque eos gignere graues ac perniciosas ecclesiæ dissensiones. Quod genus prophetæ fuere Balaamus, Iudas Iscariotes, Simon magus, alijque complures. Quorum omnium notam Petrus & Paulus dixerunt esse auaritiã 1. Pet. 2. Tit. 1. 2. Cor. 11. Eademq; nota Semeiam illum etiam Nehemias agnouit. Tertiam in eo monstrat, quod dicit voluisse eum ei terrorem incutere. Quæ & ipsa certa est maligni spiritus nota: quando spiritus impuri & mali id sibi quasi peculiare & propriũ habent, vt terreant & in desperationem conijciant animos humanos: velut Satan indutus habitum Samuelis, grauibus minis Saulum in desperationem coniecit. Boni spiritus contra timorem hominibus eximunt & consolantur: vt qui pastoribus Christum natum, & mulieribus eundem è mortuis suscitatum nunciarunt, ne timeatis, dixerunt. Quamobrem cum Nehemiam vates ille à Sancto & diuinitus mandato opere deterreret, facile deprehensus est non cœlitus, verum sedibus infernis acceptum spiritum illum afflare. Quartæ notæ loco profert, quod eũ ad peccandum, nimirũ ad id, vt contrà ac lex ferret, in medium templum, hoc est, atrium interius, quod solis sacerdotibus paratum fuit, intraret, proteruè solicitaret. Quemadmodũ igitur Balaamus olim eo quod Madianitides fœminas Israelijs submittendas, contra ac omnis pudicitia, nedum lex ferret, se falsum vatem esse comprobauit: sic suadendo quæ cum lege Dei pugnarent, vanum se & improbum vatem esse non obscuris indicijs declarauit. Est enim sanctorum vatũ hoc proprium, vt ab omni specie mali, nedum ipso malo dehortentur. Quintæ notæ vicem habet, quod dicit eum hoc egisse, vt haberent quod ei exprobrarent. Est & hoc malorum spirituum proprium, vt quæ probro esse possunt, ijs gaudeant: ac quemadmodum vulgo dicimus scorta hoc vnum maximè in votis habere, vt alia complura in societatem tam dedecoris quàm peccati sui trahant: quemadmodum item vulpes Æsopica amissa cauda cæteris omnibus, vt suis se exonerarent, suasit: sic impuri spiritus, ne soli sint impuri, vellent omnibus & conscientias ac famã maculis fœdari. Gaudent igitur scandalis, ac quo pluribus maioribusq; probris oneratur ecclesia, hoc magis eis res ex animi sententia videtur successisse. Similes sunt eius matris, quæ mater non erat, sed se esse matrem coram rege simulabat: quæ si mater infantis fuisset, non vtique perpeti potuisset vt in partes duas infans scinderetur. Eodem modo illi, si veri nuncij Dei, veri prophetæ, veri pastores ac patres ecclesiæ essent, quicquid in ecclesiæ dedecus vergeret, non accerserent, sed summa ope declinare studerent. Sic prophetæ queruntur quosdam Nazaræis vinũ propinasse, vt deinceps eis crapulam possent exprobrare. Erat hoc indicium

animi

animum à pietatis studio alieni: sicut hoc Nahemias rectè & prudenter animaduertis etiam in illis. Atqui his quidem notis deprehensa falsitate, magnũ animo robur ad constantiã potuit afferri.

Eodem facit etiam magis, quod hanc rem omnem iusto iudicio Dei remittit, dicens: Memento mei Domine &c. Quod ipsum etiam est excelsi pijque animi iudicium. Poterat enim in perfidiam huius animaduerti: quod quibus rebus prouehendis diuinitus destinatus esset, has ipsas impedire conaretur. Sed cedit tempori & communibus ærumnis. Seditionis paulo ante sedatæ dolor omnis recens facile recruduisset: erant adhue acerbi multorum animi, quibus vel nõ quantum voluissent erat datum, vel plus quàm videretur æquum ablatum: erant foris hostes, intus proditores, qui cum hostibus colludebant: erant etiam tristissima ac miserrima tempora. Mauult ergo cedere de iure suo, quàm periculum reipub. creare. Est hæc & laudabilis & admodum vtilis patientia. Adducimur autem ad eam fiducia ac spe iudicij diuini, quo demum sua cuique præmia atque supplicia parantur. Nominat autem Nehemias in his falsis prophetis etiã quandam prophetidem Noadiam. Quod indicio est, hos etiam fœminas subornasse ad eum decipiendum: forsan quod hæ non minus ad blandiendum, quàm ad simulandum suapte essent natura aptiores. Neutri tamen modo cedit animus sanis rationibus obfirmatus.

15 Completus est autem murus vicesimo quinto die mensis Elul, quinquaginta duobus diebus.

16 Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri, vt timerent vniuersæ gentes, quæ erant in circuitu nostro & conciderent intra semetipsos & scirent quod à Domino factum esset opus hoc.

Commonstrata pseudoprophetarum perfidia, dein cum optimatum perfidia commemoranda fuisset, inchoatam narrationem interrumpit iucunda quadam [illegible]: qua declarat hostibus etiam inuitis opus illud tandem absolutum, eaque re vicinas gentes cum magnopere perculsas, tum etiam huc adductas, vt agnoscerent hæc negotia diuinis auspicijs & auxilijs geri. Quæ recitandi ratio videtur instar alicuius mysterij non obscurè significare benignam illam rerum humanarum moderationem, qua Deus facit, vt quemadmodum hic tristissimam narrationem alterius lætioris rei commemoratione interrumpit: sic aliqua miserijs & molestijs nostris gaudia quasiq; refrigeria semper interponantur. Vnde etiam Dominus & prædicit nobis immimentes ærumnas, & vicissim recreationes pollicetur. Dicit quidem, Non veni mittere pacem sed gladium: Ecce emitto vos tanquam oues in medium luporum: Eritis omnibus inuisi propter nomen meum: omnes qui piè viuere volunt in Christo, persecutionem patientur: Inimici hominis domestici eius: Fiet vt qui vos occiderit, putet se cultum præstare Deo: &c. Sed rursus consolatur, Noli timere pusille grex: Non relinquam vos orphanos: dabitur in illa hora quod loquamini: Ero vobiscum ad consummationem seculi: vos qui mecum mansistis &c. Et sanè Christo sanguinem sudanti mittitur angelus illum corroborans: Stephano cũ perd[illegible]mis atque acerrimis aduersarijs colluctanti Christus stans à dextris patris omnipotentis apparet: Polycarpo cum ad martyriũ duceretur vox consolationem afferens aures ferit. Videmus etiam vt in morbis, in penuria, in alijs atque alijs angustijs mirifice Deus missa aliqua recreatione suos refocillet. Verum hanc [illegible] duobus versibus illis, decimo quinto & decimo sexto scilicet complectitur: quorum priore perfectionem huius operis, posteriore fructus ex hac consecutos describit.

Ac primum decimiquinti versus huius primis verbis perfectionem operis omnem notat: Idque potest tam ex ijs, quæ paulo ante dicta sunt, quàm ex ijs quæ capite sequenti dicuntur colligi plenius. Etenim in ipso capitis huius initio dictum est, murum sic omnem instauratum & perfectum esse, vt nulla rima superesset, quam non explessent. Rursus capite sequenti dicitur murũ totum ædificatum & portis appensas valuas. Quæ si secum ipsa conferantur, non obscurè significãt instaurationem muri iam antè fuisse absolutam, quàm insidiæ illæ nouæ Nehemiæ struerentur, hacque sic offensos hostes, vt de eo capiendo & opprimendo consultarẽt: sed interea portis etiam appensas valuas, & vrbem penitus fuisse clausam, dum literę & nuncij vltro citroque mitterentur. Quod si sit, vt est planè verisimillimum: certè hæc de muri perfectione verba, ad portarum & ianuarum perfectionem sunt referenda. Præclaro exemplo pariter ac solatio hoc est, eam esse potentiam Dei, vt quibus rebus hæc accesserit, ijs impediendis nullę vires humanæ sufficiãt. Idq; Deus sępe & multum probat: præsertim quando magnas res gerit, & ad eas perficiendas admodum imbecillibus vtitur instrumentis: vt in educto Israele ex Ægypto, in occupatione terræ Cananeæ, in reductis ex Babylone Iudæis, in propagato per apostolos regno Christi. Estque valde mirandum, nos tam illustribus diuinæ potentiæ signis ad earum, quas promiserit rerum expectationem adeo

ægrè erigi atq; excitari. Hæc autem auspicijs & auxilijs diuinis acta quasi probat duplici temporis notatione. Quarum priore id temporis momentum notat, quo fuit opus hoc absolutum: vicesimo quinto videlicet Elul mensis die. Vbi sane cum mensis, tum diei nomina præ se ferunt aliquid observatu dignum. Mensis ab apud Hebræos אלול appellatur: qua ratione, vel vnde deriuato nomine, sicut nusquã reperi, sic non facilè dixerim. Equidem sextus est apud Hebræos: incidit autem partim in vltimam Augusti, partim in primam Septembris partẽ. Siue ergo ab אל Dei nomine, quasi diuinus aut augustus dicatur: siue ab אליל, id est, nihilo quasi iam inclinata, & ad nihilum redacta, nulla sit æstas amplius, nominetur: nemo non videt vsum hac præteriti temporis opportunitate Nehemiam ad labores ædificationis: ac totã æstatem perficiundo operi tribuisse, dum esset perpetua quædam serenitas, opportuna ac facilia ad vecturam via, longi ad laborandum & sereni dies, cœli clementia nouo quasique adhuc madenti operi commoda, breues noctes, eoque minus difficiles ad excubias agendas, annonæ denique copia ad sustentandos ædificantes. Qua in re videre est rectum & vtilem occasionum vsum: vt eum tempus, amici, vires, facultates iuuerint, rebus efficiendis instemus. Quod apologus Æsopicus exemplo formicæ & cicadæ pulchrè repræsentat. In ipso vero die mensis, qui vigesimus quintus fuit, aliud elucet necessarium & vtile documentum: hoc præsertim perdito & misero seculo, quo plerique mortales quiduis magis timent, quàm Deum. Hunc diem Ethnici Infaustum censent: vt apud Hesiodum quintus, decimus quintus, vigesimus quintus cuiusque mensis ater ac infœlix existimatur. nimirum, quod vt eius interpretes perhibent, his ipsis Erynnies natæ putentur & obambulare ad plectendum homines malos. Iudæis autem Deus hunc adeo fœlicem ac faustum facit, vt quæ nullo tempore perfici posse videbantur, ea hoc die dederit effecta. Quocunque ergo die res honestas, pias, bonas, ac præsertim diuinitus mandatas auspicemur: eum ipsum auspicijs ac gratia Dei nobis fœlicem fore confidamus. Nam si Deus dat, vt operi perficiendo simus, multò magis ac facilius dederit, vt bene incipiendo simus: quando, vt ait poeta Lyricus, demum dimidiũ facti qui bene cępit habet. Neq; enim pijs & Deum timentibus quicquam est rei cum furijs: nec officiunt atri dies ijs, quibus inest veræ fidei pietatisque candor. Quanquam ad explodendam superstitionem illam huic numero infamem multa afferri in contrariam partem etiam ex illorum historijs possent: vt quod quinquatribus, id est, quinto post idus die, qui ipse etiam ater fuit visus, Cornificij causam in frequenti Senatu non inuita Minerua actam abs se Cicero quadam ad ipsum epistola attestatur: quod atro quodam die Lucullus Tigranem prælio vicit, Plutarcho teste: quod multa Platonici in illius numeri laudem solent proferre, vt quinque viuentia, nempe Deum, dæmones, heroes, homines, bruta animantia vt quinque facultates animæ: vt quinque sensus. Quare etiamsi nulla authoritas verbi diuini his spectris opponi posset: saltem hæc nonnullam ad abigenda ipsa vim haberent. Quando ergo videmus Deum secundum fecisse Iudæis suis eum diem, quem ceu atrum aliæ gentes semper reformidarunt: nobis haud quaquã committendũ, vt inani metu nos certo vinculo constrictos atq; impeditos teneamus, quò minus ad res præclaras gerendas accingamur. Quod autem altera notatione temporis indicat hanc rem totam diebus quinquaginta duobus absolutam: id multò magis indicio fuerit Deum his illorum conatibus aspirasse: estque etiã præclaro documento nihil ijs esse difficile factu, qui sint animis ad propositam rem prorsus inclinatis ac promptis.

Iam decimosexto versu cum dicit: Factum est ergo cum audissent omnes inimici nostri &c. deinceps fructus ex huius operis perfectione consecutos refert duos: vnum quod vicinæ gentes hac re quasi in quandam desperationem sint deiectæ: alterum, quod in hac re manifesta vestigia sese exerentis potentiæ Dei sic illorum oculis obijcerentur, vt quæ corãm apparerent, ea nulla fronte possent dissimulare: videlicet à partibus Iudæorum stare Deum, eorumque conatibus sic aspirare, vt huic operi impediendo frustra suam operam ipsi darent. Significat autem Nehemias has illius operis adeo subita atque admirabili perfectione tres res admirandas effectas esse. Vnã, quod timor hostium animis iniectus esset: alteram, quod conciderint intra semetipsos: tertiam, quod scirent à Domino factum esse opus illud. Quæ res omnes maximè sunt mirandæ, & omnino diuinitus factæ, & consolationis maximæ plenæ. Ac primum timorem incussum finitimis gentibus dicimus ex L X X Interpretum & Vatabli sententia: qui verbi ויראו, id est, timuit, quàm ויראו, id est, vidit, verbi præteritum legere maluerunt. Audiuerunt enim opus illud iam perfectũ esse, eoq; ceu inopinato casu perculsi sunt. Et sanè magnum quiddam fuit. Etenim vt in eorum animos timorem incidere, qui ita feroces & truculenti & terribiles sunt ipsi, maximum vt terrorem atque metum alijs incutiant: miraculum est magnum: sic pijs hominibus maxima solatia atque optatissima fomenta dolorum affert. Videmus autem vsu uenire sępe & multum, vt opere aliquo diuino opinione citius exurgente seque in quandam amplitudinem & gloriam improuisam expandente, maximus hominũ impiorum animis terror incutiatur. Sed & si quid præclari & magni dictum ac

factum

factum à contemptis Dei seruis aut populis videant, maximis timoris subiti cruciatibus affliguntur. Similis timor Samaritanos illos, qui idololatriam in decem tribuum Israeliarum terras inuexerunt, occupauit, cum viderent bestijs diuinitus immissis superstitionem suam castigari. Psaltes etiam Psal.63. pœna delatoribus diuinitus inflicta factum esse, vt omnes qui id vidissent iudicium Dei, perturbatione & timore fuerint affecti. Sic Matthæus refert Herodem & Hierosolymitanos ciues omnes maximo timore perculsos esse, cum Christum Iudæorum regem natum audiuissent. Eodemq; modo Herodem Antipam postea, cum præclara dicta atque facta Christi passim prædicarentur, idem author est, valde veritum esse, ne Iohannes Baptista reuiuixisset, eique magnũ aliquod damnũ esset illaturus. Fit hoc nimirũ & iusta lege talionis, vt quã aliorũ hominũ mortalium animis iniecerunt afflictionem, hac ipsi vicissim excrucientur: & agitantis eorũ mentes conscientiæ tortura: tum quod pœnis eorum diuinitus decretum tempus iam adesse opinantur. Quod quidem cum spiritibus immundis, quibus sese dediderunt, omnino habent cõmune: quippe qui ipsi quoque Christi aduentum sentientes dictitabant: Quid nobis tecum est rei, Iesu fili Dei? num ante tempus venisti ad perdendum nos? Eodemq; modo videre est hostes ecclesiæ, quoties aliquod signum iudicij diuini, aut aliquantam saltem rerum ecclesiæ conuersioné, aut incrementa ac progressus regni Dei obseruarint, in nouum aliquem metum incidere & de salute sua desperare. Altera autem res est, quod dicuntur cecidisse in oculis ipsorum: hoc est, tanto conatuum ac consiliorum contra opus illud susceptorum pudore affecti fuisse, vt ne sui ipsorum conspectum amplius ferrent. Qui magnarum rerum spe, vel possessione efferuntur, horum in oculis superbia ac confidentia sese prodit: qui vero spe frustrati sunt sua, ac coguntur inchoata ac præsertim multùm iactata opera sua deserere cum dedecore & damno: eis & vultum & animũ deijcit pudor. Atq; hoc quidem Caino quoque, cum simulatione pietatis fallere Deum frustra tentauisset, accidisse, vt vultus eius concideret, Moses attestatur. Videtur autem hæc phrasis grauissimum illud pondus significare, quod maleficij conscientia animis humanis imponit, sicque eos premit, vt ni diuina consolatione & gratia sustententur, in mœrore maximo atque in perpetua desperatione iaceant, necesse est. Nam vt rectè factorum conscientia animi contra accusationum ac calumniarum omne genus instar palmæ exurgunt, erectosq; ad Deum innocentiæ suæ testem vultus attollunt, etiã omnium hominum auxilijs consilijsque destituti: sic qui sibi malè sunt conscij, & si sibi contra vindictam maximis opibus atque viribus esse septi munitique videantur: Deum tamen horrent atque refugiunt, easque ipsas curas ac solicitudines, quibus eorum animi noctes atq; dies exeduntur, à prudentissimo illo iustissimoque iudice Deo supplicij causa sibi importari sentiunt ac credunt. Quæ cũ ita sint, vt sunt omnino: qui pij sunt & bene sibi conscij, stare: qui contrà mali sunt & graui conscientiæ mole deiecti, iacere dicuntur. Hoc Samaritanis illis accidit, qui videbant id opus virtute Dei mirabili perfectũ, quod ipsi proteruè & impiè ne perficeretur, hactenus impedire tentauissent. Tertia denique res est, quòd scirent opus hoc à Domino factum esse. Fit hoc admirabili Dei bonitate & prouidentia, vt in rebus humanis etiã adeo clara atq; euidentia potentiæ præsentiæque suæ luceant signa, quibus non fideles solum, verum ipsi quoque hostes moueantur, & eorum nonnulli in notitiam fidemque Dei deducantur. Elucescunt autem hæc modo in virtutibus & heroicis naturis seruorum Dei, modo in miraculis, modo in mirandis ac naturæ vires superantibus rerum euentibus, itemque in alijs atque alijs operibus Dei. Equidem in Iosepho sunt animaduersa diuinæ sapientiæ signa: sicut etiã in Solomone, Daniele, Baptista, puero Iesu, alijs prope innumeris. Velut in 3.Reg.3. dicitur: timuerunt regem videntes sapientiam Dei in illo. Sic Exo.8. dicuntur malefici Pharaonis sensisse in miraculis Mosis exerentem sese vim Dei, & quod isthic esset digitus Dei, confessi esse. Multi quoque Iudæi licet reclamantibus Pharisæis ratiocinati sunt & publicè professi, fieri non posse, vt qui merus esset, nedum peccatis infectus homo, tanta præstaret. Et centurio visis quæ circa mortem Christi fierent miraculis, dixit: hic homo verè erat filius Dei. Simile quiddam videtur esse, quod D. Petrus cum omnium opinione maiorem piscium multitudinem cæpisset, & sensit & professus est ei piscationi suæ vim diuinam affuisse: cum vellet dominum abs se, qui peccator esset, discedere. Prudenter etiã Gamaliel, nec minus piè monuit: tantisper apostolorum persecutione desistendum, donec an quæ Dei vis adesset eis, clarius cerneretur. Eadem sane ratione Deus præclarum illud opus instaurationis vrbanæ etiam inuitis Samaritanis, & cunctantibus nonnullis quoque Iudæis, ope sua admirabili sic ad perfectionem sui ipsius deduxit: vt ipsi quoque hostes hoc agnoscere & confiteri cogerentur. Quod illorum intelligentiæ exemplum ad alia quæcunque opera, quæ quidem mandato Dei perficienda suscipiuntur, est trãsferendum: nempe vt meminerimus eas res, quibus gerendis Deus vel nos, vel quoscunq; alios destinarit, nec vllorum mortalium improbitate impeditum iri, siquidem eas promotas Deus velit: nec vlla nostra industria prouectum iri, nisi diuina auxilia nobis accedant: & his ipsis comparatis

fore vt opinione citius absoluatur. Magnum est opus educationis puerilis: graue est & molestum onus gubernationis ciuilis: inprimis est arduum & difficile munus propagandæ doctrinæ Christianæ: sed vt omittam cętera, quàm paucorum eorúmque obscurorum, inermium, imbecillium hominum opera, quàm breui tempore, quàm inuitis & potentissimis & astutissimis & pluribus aduersarijs, quàm longe lateque idipsum Christus promouit ac propagauit? Conueniunt hi nimirum euentus cũ ea definitione Euangelij, quam Romanis scribens Paulus ponit: esse ipsum doctrinæ genus minimè pudendum: vt quod sit potentia Dei ad salutem omni credenti. Siue enim quod nec machinis vllis frangi, nec teneri vinculis, nec insidijs circũueniri, nec artibus eludi, nec vllis modis impediri ipsius propagatio possit, consideremus: siue quod inopinatas, stupendas, quęque nullo modo posse fieri credebantur, res in animis humanis efficiat, obseruemus: admirabile quoddam planeq; diuinum esse Dei instrumentũ, per quod is inuictam vim potentiamque suam mirabiliter exerit ad saluandum genus humanum, confiteamur, necesse est. Et sane eius ipsius fulmine potentissimos ac truculentissimos hostes, vt peccatum, vt mortem, vt portas inferorum, vt diabolum ipsum sterni videmus. Atque huius verbi vim inuictam pręsertim in Christi concionibus D. Matth. demonstrauit, quando dicit ipsum non vsitato scribarũ more, verum ὡς ἐξουσίαν ἔχων, id est, vt qui vim quandã orationis exereret, docuisse. Sed & D. Petrus, cũ in ferijs Pentecostes olim concionaretur, tria millia animarum dicitur in notitiam fidemque Christi, Euangelij prædicatione pertraxisse. Hæc aliaque diuinæ potentiæ signa, quibuscunque in rebus eluxerint, obseruanda arbitremur. Nam vt hostibus terrori sunt, sic præclara atque efficacissima solatia afferunt amicis Dei. Idque etiam tunc factum fuisse Nehemias hic docet, cum vrbs Hierosolymitana opinione citius esset instaurata

17 Sed in diebus illis multæ Iudæorũ optimatum epistolæ mittebantur ad Tobiam, & à Tobia veniebant ad eos.

18 Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius quia gener erat Sechemiæ filij Area: & Iohanam filius eius acceperat filiam Mosollam filij Barachiæ.

19 Sed & laudabant eum coram me & verba mea nunciabant ei: & Tobias mittebat epistolas vt terreret me.

Superiore illa tam suaui iucundaq; fortunæ melioris commemoratione quasi recreatis auditoribus, ad interruptã de perfidia sociorum narrationem rursus redit, eaq; significat etiã optimates cũ hostibus aduersus ipsum collusisse. Quod periculum multò maximũ fuit: partim quòd hic ordo maximè sit in quoque populo conspicuus, plurimumq; valeat authoritate, potentia, gratia, multaque possint ad gratiam dicere & facere: partim quòd Nehemiæ essent vel cum plerisque, vel cum aliquibus eorum, vel cum eorum propinquis & agnatis communicanda consilia, quę per eos facilè poterant ad hostes perscribi. Cumque hoc periculum & magnum sit illis ipsis de causis, & ferè soleat optimis quibusque maximè accidere, vt Mosi, Dauidi, Ezechiæ, Iosiæ, Christo: non iniuriã Nehemias ipsum adhibitis circũstantijs temporis, personarum, instrumentorum, modi, quasi depingit.

Ac tempus quidem decimi septimi versus membro primo notat, cũ dicit: in diebus illis. Eos enim dies nimirum putat, quibus Nehemias quanta maxima poterat celeritate murum ac quidquid ad custodiam vrbis requirebatur, perficiebat: quibus item Samaritani quantis maximis poterant conatibus opus diuinum impediebant: quibus denique Deus tam illustria atque efficacia ad id perficiendum auxilia suppeditabat, vt ex hostibus etiam ipsis aliqui viderent hæc auspicijs auxilijsque diuinis geri. Atque his quidem verbis tempus quo sunt hæc peracta, plane significat hoc modo, vt simul ostendat, malefidis Iudæis istis ex eo temporis puncto plus ad iuuandũ quàm impediendum Nehemiam incitamenti diuinitus etiam præbitum fuisse, nisi desperata quadam improbitate & malitia corrupti infectique fuissent. Nehemias enim vt prius opus perficeretur, quàm impedimenta sua hostes parare & opponere possent, summopere laborabat. Hostes etiã animaduersa admirabili illa, quam ad opus perficiendum Nehemias adhibebat, celeritate, ne perfectione operis anteuerterentur, summa ope enitebantur. Erant ergo natura degenere planeq; perdita, qui nec bonorum, nec malorum, nec mediocrium exemplis iudicijsq; mouerentur. Nos meminerimus nobis non cunctandum, ne vel mali nos industria vincant, vel boni longo post se interuallo relinquant. Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est: inquit Horatius. Cumq; tempus rebus gerendis opportunum omnes æquè mali ac boni spectent, idque vt factitent, omnibus & animantibus & plantis natura ipsa indiderit: nobis etiam suo quasque ad res tempore est vtendum.

Porro

Porro personæ partim suis proprijs, partim appellatiuis, & earum ordinem & fortunam significantibus nominibus notantur. Etenim ordinis seu fortunæ significationem haud obscuram habet nomen חרים, id est, principum, seu optimatũ: quod à חור, id est, candore eis datum videtur: vel quod essent illustres & fortunæ splendore clari, quales olim albæ gallinæ filij dicebantur: vel quod essent quasi candidati, quibus aditus ad honores & dignitates pateret: velut olim Romæ, candidati, qui in comitijs magistratus petebant, ex eo quod albo vestiri solerent, dicebantur: & postea candidati Cæsaris, qui epistolas principis in senatu legebant. Sed & albus vestitus olim penè solis magnatibus conuenire visus est: vnde & Hieronymus in Iouinianum libro secundo monachis eo habitu interdicit, vt qui sit nimis mollis ac triumphalis. Ex quibus colligi non incerta aut obscura coniectura potest, eos hoc nomine notari, qui vel iam obtinerent excelsum aliquem dignitatis gradum, vel ad eum aspirarent: cuiusmodi sunt optimates, & eorum filij & propinqui. Hi plurimũ nimirum authoritate, potentia, gratia præstabant, & trahere post se facile poterant reliquos ciues. Nominibus proprijs, primum notat Secheniam, deiu Mesollamum, qui nimirum in eo grege principes essent: affinitatis nomine videlicet. Secheniam enim Tobiæ socerum fuisse dicit, & Areæ filium appellat. Quo ipso differt ab eo, qui filius Obdiæ fuit inter posteros Dauidis nomeratus. 1. Par. 3. & qui 1. Par. 24. inter sacerdotes numeratur sorte nona. Alterius etiã fit mentio 2. Paral. 31. in eorum, quos Ezechias ordinauit, censu. Mesollami vero nomen etiam ipsum in sacerdotum simul ac principum familijs celebre fuit: vt 1. Par. 3. 5. 28. 34 videre est. Dolendum autem erat eos, qui vel Dauidis genere nati, vel cũ ejus posteris communis tribus societate coniuncti essent, eius regni instaurationem tantopere oppugnare. Sed ea fata sunt ecclesiæ, vt à suis ipsius alumnis oppugnetur. Cuius simile est, quod dicit Dominus, piorum hominum familiares & propinquos, maximos eis hostes fore. Est autem hoc tribuendum constãtiæ & pietati Nehemiæ, quod eorum perfidiam nil moratus ipse, nihilominus officium facit: nec se excusat eorum, qui regnũ hoc prouehere magis tenebantur, perfidia. Eadem etiam Mosis constantia fuit, cum nec Israeliorum principum ingratitudinem, nec ambitum Core & Darhani, nec æmulationem fratris & sororis moratus, officium fecit. Idem Dauid, cum socerum, populum, Ceilanos ingratos sentiret: idem Christus cum nec Iudæi nec discipuli responderent eius laboribus, factitarunt. Hæc exempla passim sunt obseruanda, & adhibenda ad confirmandos aduersus ingratos ciues atq; in officio retinendos animos humanos.

Instrumentorum autem, quibus illi sunt ad exercendam perfidiam suã vsi tria genera refert: videlicet epistolas, iuramentum, matrimonia. Ac de epistolis quidem dicit, quod eo tempore multæ ab illis ad Tobiam, & ab hoc vicissim ad illos fuerint missæ. Erat autem hoc instrumentum illorum hominum & naturæ & proposito valde conueniens. Etenim animi interpres est omnis oratio, & in hoc diuinitus concessa mortalibus, vt quæ volumus communicata cum alijs, eorum ipsos per orationem faciamus certiores. Sunt autem eius genera duo potissimum, quibus hoc & vtiliter fit, & cum dignitate. Vnum est incensum ac vehemens, quo non modo nostræ voluntatis certiores fiunt homines, verum etiam ad sequendum & amplectendum eam concitantur: quod iudicijs foroq; est conueniens, & παθητικὸν Græcis appellatur. Alterum autem est lene, & facile, & ad naturam, vt ait Cicero, & ad mores atq; ad omnem humanæ vitæ consuetudinem accommodatum: quod epistolis est destinatum, & ἠθικὸν Græca lingua nominatur. Quo genere colloquia mutua & vltro citroque missa epistolis continentur. Ac quoniam epistola non erubescit, vt ait Cicero, nec vllis frontis oculorumúe indicijs animi cogitationes & affectus prodit: & per ocium ac tranquillitatem accuratior & limatior scriptio, quàm oratio subita fieri potest: facile sanè est, hac & quemuis habitum animi præ se ferre, & audacius quęuis petere, recusare, profiteri. Quemadmodum ergo leuiore gladio non modo corporis agilitas ac robur facilius ostentatur, verumetiã citius ac facilius iniuria vel infertur, vel propulsatur: sic leuiore illo genere mutui sermonis facillimum est simulare & dissimulare, & iustitiæ, beneuolentiæ, prudentię, fortitudinis opinionem conciliare. Quò fit, vt qui scribit seipso plerunque maior ac melior appareat, ac quandoq; minuat præsentia famam: eaq; de causa non modo viri graues & sapientes hoc genere sint ad res pias ac honestas vsi, vt Cicero, Plinius, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius, alij multi: verum etiam ad amores, ad proditiones, ad clandestinas coniurationes id adhibuerint homines mali, vt Paris & Helena, vt Harpagus ad Cyrum, vt Catilina, Lentulus, & alij. Eademque ratione ducti quoque illi per epistolas sua negotia confecerunt: quod his ipsis quem conscientia sceleris, ori quasi obducebat, ruborem tegere, & attestari suam Tobiæ beneuolentiã, & prę se ferre nescio quas virtutes, & clam Nehemiam melioresq; ciues deferre, & sine suspicione cõficere negotia sua possent. Hæc est prudentia filiorũ huius seculi, vt eas res arripiant, quibus se tueri, sua prouehere & augere quàm facillimè queant. De iuramentis dicit: Multi erant in Iudæa habentes iuramentum eius. Quę sententia verbis Hebręis

ſic effertur: כי רבים ביהודה בעלי שבועה לו, id eſt, quia multi in Iudæa domini iuramenti ei. Etenim בעלים id eſt, dominorum, ſiue magiſtrorum nomen deductũ videtur à verbo בעל, quod ſignificat aliquid deperire, ſibi ſubigere, in ſuam poteſtatem redigere, ſuumq; in id etiã exercere imperium. Ac de coniugum amore mutuo verbum hoc proprie vereq; dicitur, quippe quorum ſocietate efficitur, vt alter in alterius quaſi poſſeſsionem mittatur. Sed ad confœderatos poſteà transfertur, quorum bona pręſidiaque ſic ſunt communia, vt alter alterius auxilia ſuo iure quaſi requirat & adhibeat ad ſe tuendum. Poſtremo ad omnia, quorum eſt acquiſita poſſeſsio, transfertur: quibus ipſis etiam vt libet, licet vti. Quamobrem qui fœdere ſancito, aut facta coniuratione ad communicationem auxiliorũ mutuam ſic ſeſe obligarunt, vt alter in alterius bonorũ quaſi poſſeſsionem mittatur: hi lingua Hebræorum, modo בעלי ברית, id eſt, Domini fœderis, ſeu fœderati, vt Gen. 14. de ſocijs Abrahami, quod iure fœderis alter alterius auxilijs vti frui queat: modo בעלי שבועת id eſt, Domini iuramenti, ſeu coniurati, quod iuramento fœdus ſit firmatũ, vt hic de Tobiæ coniuratis legimus, dicuntur. Iam quoniam magna eſt etiam apud improbos ac nefarios homines iuriſiurandi religio: plurimum momenti poterat iureiurando ad obligandos illos Tobias afferre, & huc eos adigere, vt & ſi poſt pœnitentia ducti, nõ auderent operã ſuam recuſare. Multifariam ergo peccant illi: primum in ſe ipſos, quod ſua ſe libertate deſtituunt, & ad nutum ac voluntatem alterius ſe obſtringunt: tum in patriã, cuius hoſtem & amplectuntur, & aduerſus eam iuuant: denique in ipſius iuriſiurandi religionem, quando & reſcindunt prius datã patriæ fidem, & tam ſancta re in perniciem patriæ, & in religionis abolitionem, & in contumeliam Dei nefariè abutuntur. Tanta autem impietatis vis eſt, vt hac infecti, fidem datam bonis violent, nullo iure debitam ſeruent malis. De matrimonijs dicit: Gener erat Sechaniæ Tobias, & Iohanan filius eius acceperat filiam Moſollam filij Barachiæ. Equidem hoc ad conciliandam mutuam beneuolentiam aptiſsimũ ac validiſsimum inſtrumentum fuit. Vere enim hoc eſt ab eo, qui ipſa veritas eſt, dictum, tantam fore vim matrimonij, vt homo parentibus ſuis relictis adhæreat vxori, hique duo in carnem vnam coaleſcant. Quod vel in eo videre eſt verum, quod maritum maritiq; agnatos & propinquos vxor fidelis penè ſuis fratribus & agnatis præfert, velut Horatij ſororis obitus atteſtatur: ac rurſus maritus vxoris ſuæ genus eius nomine diligit ac colit. Eſt igitur hæc inter marem & fœminam ſocietas omnium prima ab ipſo conditore conſtituta, & vnà cum natura rerum exorta, & hoc ipſo ad ſui ipſius perpetuitatem comparata, quod cũ pleriſque animantibus certa quædam ac ſtata ſint anni tempora, quibus ipſa coniunguntur & commiſcentur, hominibus liber ſit nec vllis temporum momentis aſtrictus, ſed perpetuus ſuæ coniunctionis & ſocietatis vſus. Atque hac quidem via non ſolum ad priuatas amicitias, verum etiam ad conſtitutionem ciuitatum & publicas ſocietates eſt ventum: quando ex maris & fœminæ ſocietate familiæ, ex familiabus viciniæ, ex vicinijs ciuitates, ex his amplæ & magnæ ſocietates enatæ ſunt. Cumq; ſocietas ex omni rerũ humanarum genere vna penè plurimum conferat ad conſeruationẽ generis humani: cœlibatus certè, qui ſocietatis ſit impedimentũ maximum, omniũ populorum & virorum ſapientũ iudicijs exploſus eſt, nempe vt vitaretur ſolitudo: quando pręmijs ad coniugia ſunt inuitati, pœnis itẽ à cœlibatu deterriti & retracti ciues. Sed vtut vellent contrahi matrimonia: tamen quaſi illius diuinæ de non contrahendis cum alienigena matrimonijs legis veſtigijs inſiſtere ſtuderent, ſic ne ciues cum extraneis matrimonia contraherent ſtudioſè cauendum iudicarunt. Velut in Topicis ad Trebatium Cicero ſcribit, Si mulier fuiſſet nupta cum eo, cui non connubij ius eſſet, nuncium remiſſum: vbi interpretes annotant, illicita matrimonia fuiſſe, quæ vel non inter Romanũ & Romanã, vel cum ijs quibus non permiſſum eſſet, contracta fuiſſent. Et Liuius lib. 8 Decadis 4. Campanis à Senatu conceſſum ſcribit: vt ſibi ciues Romanas ducerent vxores. Quod argumento eſt id anteqũ Senatus conceſsiſſet, non licuiſſe. Eandemque de peregrinis matrimonijs legem Athenienſibus quoque fuiſſe, non obſcurè Terentius in Andria ſignificat, eos introducens, qui indignum à Pamphilo admiſſum facinus clamitarent, quod habere loco vxoris vellet peregrinam: ac rurſus in cataſtropha fabulæ magni gaudij vice affert, quod Glicerium eſſe ciuem Atticam comperiſſent. Quam Athenienſium legem Demoſthenes in Ora. contra νεαίρας in hanc ſententiã latam refert, vt ſi peregrinus ciuem Athenienſem duxiſſet, accuſandũ eum apud theſmothetas: illi reum actum cum omnibus ſuis bonis publicent: ſi peregrina ciui nupſerit, idem ius ſit: ciuis hanc ducens mille drachmis multetur: infamia notetur ciuis, qui pro ſua peregrinam cuiquã ciui obtruſerit. Hanc legem Romani in ſuas tabulas retulerunt, ne barbari in ſuorũ ciuium genus infunderentur. Iam quoniam Deus multis ante ea tempora ſeculis etiã ipſe grauioribus de cauſis tulerat legẽ, qua ſuis hominibus interdictũ fuit vſu matrimoniorũ, quę cum alienigenis contraherentur: nempe vt nec ſemina, nec diſciplina religioq; confunderentur, nec eorũ qui bene educati eſſent, animi inficerentur vel ſuperſtitionis, vel alterius cuiuſcunque vitioſitatis contagione: illis Iudæis hæc lex multò

magis

magis fuit custodienda. Sed & ex eius violatione quantum reipub. periculum sit creatum, hi ipsi sua perfidia, in quam peregrinis matrimonijs illecti fuerant, attestantur. Atque his instrumentis illi sunt ad oppugnandum Nehemiam vsi.

Modum autem quo hæc vsurparunt, suis quoque partibus notatis exponit. Primum, ait, laudabant eum coram me. Laudandi verbum, quo Latinus interpres est vsus, actionem solam significat: Hebræa autem veritas duobus est vsa verbis: quorum altero חיו אמרים, id est, vt verbum verbo reddam, erant dicentes, actionem, altero טובתיו, id est, vt vulgo vertunt, bonitates eius, materiam notauit. Nam vt prædicandi siue commendandi, siue laudandi verbum, quo actionis genere sint aduersus Nehemiam vsi, repręsentat: sic benefactorum seu virtutum nomen materiam laudum illarum monstrat. Etenim טובות benefacta, præclara studia, honestas actiones, virtutes, ceu materiam eius laudum proferebant. Quo ipso nimirum id agebant vt, vel Nehemiá inani fuco virtutum Tobiæ, vel euecta atq; exaggerata potentiæ eius magnitudine terrerent, vel Tobiæ erga Nehemiam propensæ voluntatis pollicitatione falsa deciperent Nehemiá & irretirent. Hac tempestate multi laudant hostes Euangelij: nempe vt ipsis beneuolentiam, pijs ministris odium concilient. Alterum, verba mea nunciabant ei. Qua in re periculi plurimũ erat & damni. Sic enim consilia ac conatus Nehemiæ facile erat hostibus explorare, eaq; deinceps impedire. Velut Syriæ regis insidias opera Helisęi cognoscebant ac declinabant Israelitæ. Idem his tẽporibus multi in principum aulis hærentes aliorum principum legati solent facere. Tertium, quòd Tobias mitteret epistolas ad terrendum eum. Cognoscebat ille ex proditoribus quæ res Nehemiá maximè solicitum tenerent, quæq; ei metum ac terrorẽ maximè possent incutere. Eas ergo per epistolas obijciebat. Fuit & hoc magno cũ periculo coniunctum: quòd qua parte capi & obrui facillimè poterat Nehemias, hac ille poterat cũ adoriri. Hæ proditorũ artes ideo proponũtur, vt à pijs hominibus agnitæ caueantur ac declinentur. Estq; diligenter obseruandum, quod eum tribus generibus machinarum ad impediendum opus illud vsus sit satan: posterius quodque priore grauius ac superatu difficilius fuit. Etenim graue erat Nehemiæ, quòd trifariam eum hostes oppugnarent: grauius erat, quòd intestino motu quoque impeditum iri ipsum opus videretur: omnium grauissimum ac molestissimum nimirum fuit, quos eos etiam ipsos & quidem clandestinos & amicitiæ specie tectos aduersarios haberet, qui illius in hoc opere collegæ & socij essent. Quo profecto modo factum videmus, vt quẽadmodũ indies aucto oneris pondere suũ robur Milo Crotoniata fertur subinde magis ac magis auxisse: sic Nehemiæ fidem Deus iterum atque iterum aucta tentationum mole mirabiliter exercuisse videatur. Cumq; ei Deus in his ipsis ita pręstò semper affuerit, vt & difficultates illas & molestias omnes magna cum vtilitate & gloria superaret, & exitus suorũ negotiorum optatissimos adipisceretur, & illud ipsum, cuius causa tantas curas ac molestias sustinebat, opus per impedimenta ac pericula omnia prouectum, plane perfectum atq; absolutum suis ipsius oculis contueretur: etiam nostros animos opis & gratiæ Dei fiducia sic muniamus, vt quò maiora grauioraq; impedimenta officio nostro conuenientibus negotijs opponi videamus, hoc fortius constantius, fidentius in ministerio nostro progrediamur. Sic enim & fidelem operam Domino dederimus, & confecto cursu pręmijs expectatis potiemur. Quam ad rem consequendam, quoniam nobis nostro Marte momenti nil afferri potest, diuinitus impetratis auxilijs vt iuuemur, assiduis precibus est enitendum: nempe vt imitati Nehemię fidem & constãtiam, quam in opere maximo per tot tantaque discrimina prouehendo consecutus est, ipse prosperitatem, eam in ijs etiam ad quæ expedienda nos vocati destinatiq; sumus, negotijs experiamur.

LIBRI SECVNDI IN NEHEMIAM COMMENTARIORVM IOANNIS VVOLPHII FINIS.

IOANNIS VVOLPHII TIGVRINI IN NEHEMIAM COMMENTARIORVM LIBER III.


QVAE res de perfecto opere instaurationis Hierosolymitanæ secunda parte libri Nehemiæ memorantur, eas arbitror prolixè copioseque satis explicatas libro superiore. Sequitur igitur, vt quæ diuini illius operis absolutionem perfectionemque consecutæ parte tertia referuntur, eæ ipsæ quoq; considerentur. Eæ sunt vrbanæ custodiæ constitutio, census populi, pecuniæ publicæ contributio, concio populi audientis legem, celebrati ab Iudæis festi tabernaculorum descriptio, pœnitentia publica, eaque ieiunio, luctu, confessione & deprecatione culpę declarata, initi cum Deo fœderis obsignatio ac capita, census vrbis incolarum, census Leuitarum, restitutio ciuilis pariter & ecclesiasticæ disciplinæ. Quarum rerũ descriptio, tertia parte libri, videlicet reliquis septẽ capitibus omnis cõtinetur. Hac vero comprehendi magnam partem ciuilis scientiæ, quam πολιτικὴν Græci vocant, id argumento optimo esse potest: quod quæ res ad ciuitatis optimè constitutæ statum referuntur, eæ capitibus illis septem pleræque memorantur. Etenim in ciuitatis omnis optimo statu considerantur partes, finis, res quæ pertinent ad finem. Atque ex ijs quidem quæ referuntur hoc loco, ad ciuitatis partes pertinent, quæ de Leuitarum, vrbis incolarum, populi censibus dicuntur. Ad finem autem seu εὐδαιμονίαν, hoc est fœlicem ac beatum ciuitatis statum spectãt concio populi Iudæi legem diuinam audientis, dierum festorum ac solennium obseruatio religiosa, publica pœnitentia, pecuniæ publicæ contributio. His enim rebus pietas, religio, sapientia, prudentia, opes & honores, quæ in animi & externis bonis, quorum nomine beati iudicamur, censentur. In rebus ad eum finem deducentibus ceoseri possunt vrbis custodia, diuini fœderis obsignatio, restitutio disciplinæ: quando prouida gubernatio, vitæ & morum disciplina, obedientia ac pietas debita Deo magnum ad tranquillum pacatumq; statum ciuitatum prouehendum vim habent. Atque ex hac illarum rerũ comprehensione ad eum modum considerata perspicuum fit, huius libri parte vltima talium rerũ materiam contineri, quæ non solum ad theologos, verum etiam ad ciuilis scientiæ doctores atque ad gubernationem ciuitatum pariter & ecclesiarum prosint. Quæ doctrina sicut est episcopis & pastoribus cognitu necessaria, sic neque à principibus viris, neque ab hominibus priuatis impunè contemni potest. Etenim episcopi, si vel mediocri iuris ac legum, itemque ciuilium rerum notitia sint instructi, cum facilius tum fœlicius administrare, prouehere, conseruare ecclesiasticam disciplinam possunt: ac rursus hac destituti, cum ad rigorem Scripturæ parum bene ponderatæ, & ad monasticam disciplinam omnia reuocarint, ecclesias sępe vel turbant vel euertunt. Ac qui magistratum gerunt, si nulla iuris & æquitatis scientia culti ad rempub. accesserint, quasi belluæ in multitudinem emissa tumultuariè res gerent. Ciues autem, si ignari sint huius scientiæ pręceptorum & exemplorum, id quod esse & dici volunt, ignorare videbuntur. Eò vero melius hic propositis exemplis ac præceptis poterunt omnes ad hæc officia instrui, quod hæc sunt non incerta aut obscura, aut ab vsu vitæ ciuilis remota: sed diuinitus allata illustrata, comprobata.

CAPVT VII.


INprimis autem affine est & accommodum huius disciplinæ præceptis & institutis septimi capitis argumentum: quippe quo custodia vrbana, census populi Iudæi, collectio publici thesauri continentur. Quæ res omnes ad ciuilem considerationem pertinent: quando prima ad finem deducit, secunda ad partes ciuitatis spectat, tertia ad ipsum finem refertur. Ergo tribus partibus caput illud est distributum: quarum prima, vt vrbs sit munita præsidio vigilum: secunda, vt sit ædificijs referta atque incolis: tertia, vt ad tuendum eius statum thesauri in ærarium collecti sint & contribuți.

POstquam autem ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui ianitores, & cantores & Leuitas.
2 Præcepi Hanani fratri meo, & Hananiæ principi domus de Ierusalem: ipse enim quasi vir verax & timens Deum plus cęteris videbatur.

Et di-

3 Et dixi eis nō aperiantur portæ Hierusalem vsque ad calorem solis cumque adhuc assisterent, clausæ portæ sunt & oppilatæ: & posui custodes de habitatoribus Hierusalem, singulos per vices suas, & vnū quenque contra domum suam.

Institutū vrbanæ custodiæ primis illis versibus tribus sic describit, vt quo tempore, quorum hominum opera ac cura, quam denique ad formam hæc custodia fuerit instituta, declaretur. Ac tempus quidem versu primo ad hunc modum exprimit: Postquam autem ædificatus est murus, & posui valuas, & recensui ianitores &c. Atq; hæc quidem verba licet indicent, quibus rebus peractis instituta fuerit vrbana custodia: tamen in eam sententiam minimè sunt accipienda, vt putemus vel ante id tempus nullam prorsus vrbis custodiā fuisse, vel tunc cum institueretur, cœptum fuerit de diuina custodia dubitari. Etenim ante id tempus eos vicissim laborasse & excubias egisse, imò in acie stantes & gladijs accinctos operi instituisse, ex ijs quæ supra dicta sunt, intelligitur. Quin & Nehemias se quoque tam assiduum in susceptis reipub. causa laboribus ac vigilijs fuisse scribit, vt nisi lege præscriptarum purgationum causa nunquā deposuerit vestes. Quæ res indicio satis sunt certo, vel ante id tempus nullas vrbi huic excubias defuisse. Quod & cōmunis præcepta ciuilis scientiæ & necessitas & præsentia tempora requirebant. Nam vt indicat Aristoteles in 6. de repub libro, oportet esse fidos ac fortes viros pace & bello, quorum diligentia ac cura portæ & muri custodiantur. Habebant etiam illi Samaritanos vicinos adeo pertinaces atque impigros aduersarios, vt ab eorum vel insidijs vel impresionibus violentis parum tuti fuissent, nisi perpetua custodia sese munijssent. Rursus fides Nehemiæ tam egregijs eius dictis atque factis comprobata perinde certo argumento fuit, ipsum non eo animo custodiam vrbanam instituisse, quod diffideret curæ & prouidentiæ Dei. Quin credendum est Psal. 126. verba illa, Nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat, qui custodit eam: hoic alta mente reposita fuisse. Sicut eum Psalmū Prosper quoque rectè censet esse propheticum, & vnius vrbis atque populi nomine quæ de tota ecclesia sint intelligenda, significare. Rectè etiam existimabimus, eos, quibus vrbis custodia demandata fuerit, vigiles, patris opt. max. cura ac prouidentia, vnà cum ciuitate custodiri oportere, siquidem saluas esse res nostras velimus. In quam sententiam D. Augustinus scribit se ex officio custodire gregem Domini, sed optare tamen, vt vnà cum eo custodiatur. Sed & hoc requirit Deus, vt & sua custodia se defendi credant homines, & sui ipsorū curam nihilominus agant ipsi. Quod D Ambrosius videtur indicare eo quod in cap. 3. Luc. scribens ait: Quia vbique Domini virtus studijs eo ,, operatur humanis: vt nemo posit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo ,, quicquam incipere sine Domino. Qua ratione putemus vrbis huius custodiā ab Nehemia sic institutam: vt nec tentare Deum, nec ope Dei instauratam vrbem & huic tuendæ accommoda præcepta ciuilis scientiæ negligere velle videretur. Idque videntur eæ res declarare & comprobare, quibus peractis demum hanc instituit. Eæ sunt duæ. Vna, quòd murum prius ac portas perfecit: altera quod ianitores, cantores, Leuitas autè instituit, quàm hoc tentaret. Quarum prior est argumento, hoc Nehemiam egisse, vt rebus quæ ad tuendam ciuitatem pertinent, comparatis, iam penitus instauratam vrbem constituta custodia tueretur. Qua in re tria documenta proponuntur obseruanda. Vnum commune & omnibus hominibus conueniens: vt quæ labore & cura partā habe- 1 mus bona, ea diligenter excolamus ac custodiamus: ne vel ea frustra accepisse & inutiliter infumere velle, vel ingratis animis sumpsisse videamur. Monet idem parabola de distributis talentis in Euangelio proposita. Velut inquit ille vates: Nec minor est virtus, quàm quærere, parta tueri. Alterum magistratus peculiare spectat; hi quas nacti fuerint vel vrbes amplas, vel regiones amœ- 2. nas: eas iuuent, ornent, custodiant, tueantur: velut illud sonat: σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Monet hoc etiam pietas in patriam. Quo nomine malè audiunt, ac nisi resipiscant, malè quoque habebūt principes illi, qui suas terras permittunt aut rabulis, aut vsurarijs, aut Harpyijs alijs vexandas, nec earum vlla cura tanguntur: sed indulgent genio, aleæ, venationi. Tertium ecclesiæ ministris compe 3. tit: vt à Domino sibi creditum gregem custodiant. Atque eò nos adducere debet amor Christi: vt qui indicet, haudquaquam committendum, vt ei, cuius amorem profitemur, nostra culpa vel tantillum suarum pereat rerum. Sicut ipse Petro dixit, si me ames, Pasce oues meas. Adhanc fidem & industriā debent omnes homines excitari vel exemplo conditoris, qui ipse etiam à ciuitate abs se condita non discedit in ocium atque in rerum abs se conditarum negligentiam: sed vt ipse filius testatur, nunquā nō operatur, & omnia cura sua cōseruat ac moderatur. Hunc imitatur Nehemias eius, quam instauraret, vrbis custodia quàmprimum potuit fieri, constituta. Posterior res indicat studium religionis. Cantores enim & ianitores & Leuitæ illi, quorum institutioni prius tempus tribuit, administri diuini cultus erant. Eos, ne quod sine religione tempus elaberetur, primū om-

nium in ordinem redegit, ac deinde suscepit vrbanæ custodiæ rationem. Quemadmodum igitur hic, vtut intentus esset vrbi custodiendæ, prius tamen temporis momentum religioni tribuit, posterius vrbanæ custodiæ: sic ante omnia quæ religionis sunt, agemus, posteriores partes negotijs humanis tribuemus. Nam qui prius domi suæ res in ordinem redigere volunt, quàm Christũ sequi: hi ceu manu admota aratro respectã, inepti sunt, vt ait Dominus, ad regnum Dei. Quibus autem & qualibus viris custodiam vrbanam demandarit secundo versu partim suis ipsorum proprijs nominibus, partim alijs eorum virtutes ac statum significantibus notis declarat. Vnum enim Hanani fratrem suum vocat: eum nimirũm intelligens, qui ipsi prius in Susis agenti indicium de Iudæorum ærumnis fecit. Cuius in Deum pariter atque patriam pietas iam erat exploratè cognita. Quod documento fuerit minimè contemnendo: in distribuendis officijs publicis vt veterum & illustrium familiarum ratio diligens habeatur. Quando constat nunquam has impunè præteritas. & natura duce fieri, vt eius loci commodis atque gloriæ libentissimè studeamus, in quo nostri maiores olim opibus & honoribus floruerunt. Etsi enim multi peregrini viri maximo ciuitatibus ijs, in quas recepti sunt, ornamento simulatque commodo fuere: tamen vt præclarè Peligous vates cecinit:

Nescio qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit: & immemores non finit esse sui.

Dein Hananiam vocat alterum arcis vrbanæ præfectum. Quem officij ratio docet vsum rerum habuisse, eoque ad officium præfecti vigilum aptiorem. Quemadmodum igitur vrbis custodia rectè mandari potest ei, qui iam antea arcis custodia præclarè functus erat: sic sint in quaque ciuitate gradus officiorum & dignitatum, per quos à minoribus ad maiores altioresque ascendatur. Virtutum autem duarum laudem ei tribuit, quæ in principe viro ambæ maximè requiruntur. Vnam repræsentat אמת nomine, quod fidem, veritatem, in dictis atque factis simplicitatem & sinceritatem significat: qualem Dominus Matth. 5. requirit, dicens: Sed erit sermo vester, est, est: non, non. Porro quod vltra hæc adijcitur ex malo proficiscitur. Quibus verbis Dominus eam omirum virtutem requirit, quæ Græcis φιλαλήθεια, Latinis veritatis studium dicitur: qua veraces efficimur, & nostrapte sponte & natura, nulla vi necessitatis aduentitiæ, mero amore veritatis, in omnibus dictis atque factis nostris id quod est, esse: & rursus id quod non est, non esse edicimus. Veritas enim, vt indicat Cicero, ea est virtus, per quam immutata ea quæ sunt aut fuerunt, aut futura sunt, dicuntur. Huius est proprium, vt siue de suis ipsius rebus agatur, siue de alienis: ipsa nec simulet, nec dissimulet quicquã: ac neque tale quid facientibus alijs vel applaudat, vel assentiatur. Cum enim Dei filius qui quidem est imago Dei, ad quam & initiò conditi, & deinceps restaurandi sumus, ipse sit veritas: inquisitio sane & inuestigatio veri, sit hominis propria, necesse est. Ac si velit homo, sicut debet, id quod est ipsius proprium facere, debebit omnis eius cogitatio in exquirendo, excolendo, obseruando, retioendo vero, maximè versari. Maximas hoc studium & in umni doctrinæ tractatione, & in negotijs humanæ vitæ commoditates affert. Tantus enim est veritatis splendor, vt quemadmodum sol exoriens aerem tenebrosum illuminat, sic ipsa quicquid rebus obscuritatis, ambiguitatis, difficultatis inest, id omne prorsus abigit ac dispellit. Tanta quoque eiusdem vis est atque dignitas: vt quibus in hominibus illustris & efficax eius obseruantia fuerit cognita atque animaduersa: cum ijs nemo oon habere commercia ac consnetudinem velit, ijsque honores obseruantiamque deferre. Qua de causa Pythagoras etiam apud Ælianum in varia historia dixisse fertur: hæc duo diuinitus esse tributa mortalibus, omnium pulcherrima ac diuinarum rerum simillima: veritatem scilicet & beneficeotiam. Estq; plane verisimile, etiam illis temporibus adhuc apud Persas seueram illam puerilis educationis disciplinam viguisse, qua Plutarchus in libru περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, & Herodotus id. primo libro & alij graues authores constitutũ memorant, vt inde ab ineunte ætate Persæ mendacium fugere docerentur. Laudatur etiã apud Alexandrum ab Alexandro Epaminondas Thebaous de eo quod cõstet eũ ne iocosum quidem mendaciũ vnquam dixisse. Cuius rei laudem Pomponius Atticus summus amicus Ciceronis tanto magis meruit, quod ne ferre quidem ab alio dictum mendacium voluisse perhibetur. Atq; hæc quidem virtus in eo, qui publicum munus gerit maximè requiritur: primum quia naturæ mortalium maximè est digna, conueniens atque accommoda: dein quia veritas finis is est, quem præsertim in iudicijs vnum habent maximè præfixum, ad eumque etiam quæcunque in indicijs dicuntur ac fiunt, omnia referuntur. Litigantibus enim partibus, cum actor ait, reus negat: iudicis est inuestigare veritatem, eiusq; inueniendæ causa facere, vt tabulæ, testes, iusiurandum, aliæque probationum formæ adhibeantur. Hæc ille, si sit alieno à veritate animo, vel non patietur adhiberi, vel corrumpet, vel in odium & contemptum adducet: nempe vt sua veritati via præcludatur. Igitur non abs re est, quod tanti in illo veritatem facit. Alteram virtutem, eo quod indicat fuisse timentem Dei, repræsentat.

præsentat. Est autem pietas ad omnia quidem, vt apostolus indicat vtilis, verum inprimis viro principi necessaria: quando res eas affert ei, quibus sine suo patriæque damno maximo carere minimè potest. Equidem opus est authoritate, prudentia, continentia: & has pietas affert maximè. Authoritatem conciliat gratia diuina, quæ sola fide & pietate acquiritur. Is enim à suis colitur, ac timetur maximè, qui ipse quoque Deum timet: sicut testatur Dominus in Saulis historia. Prudentiam vsus rerum adiuuat, sed sapientia maximè. At initium sapientiæ timor Domini, inquit Solomon. Continentiam pietas affert, quia nos ceu frenum quoddam cohibet, quo minus in dicta ac facta nobis indigna effundamur. Eiusmodi viri cum exequi suum munus, tum authoritatem dignitatemq; suam tueri, tum rerum omnium euentus exoptatos nancisci possunt. Atq; hoc genus hominibus est vrbana custodia committenda: nimirum indigenis, vsum rerum habentibus, veritatis amantibus, pijs ac numen reuerentibus.

Versu tertio cum se dixisse dicit, ne portæ aperirentur ante, &c. custodiæ constitutę formā sic exponit, vt aperiendarum ac claudendarum portarum tempus, producendarum & deducendarū excubiarum modum, sua quibusq; excubijs attributa loca demonstrentur. Ac tempus quidē indicat peculiari quadā phrasi, inquiens, non aperiantur portæ vsq; ad calorē solis. Qua videtur innuere, sic institutum fuisse, vt ne summo mane, sed tunc demum aperirentur, cum sol ita altè supra horizontem eorum ascendisset, vt iam calorem pariter ac lucem afferret. Nam Hebręum nomen חם calorem & solis æstum significat. Quod nimirū ad cauendas insidias factum fuit: vt ne crepusculo quidem qui laterent ex insidijs, tegi possent. Erat hæc ratio ciuibus multas ob causas incommoda: sed ferenda tamen, vt suæ res eis hoc magis in tuto semper essent. Erant hostes admodum vicini: ciues multi malefidi: tempora per se periculosa. Estq; prudentis gubernatoris tanto magis curā diligentiamq; in custodienda salute ciuium intendere, quantò maiora pericula ciuitati viderit imminere. At vero producendarū excubiarū modum eo declarat, quod dicit portas prius non fuisse clausas, quàm astarent, qui illa nocte essent excubias acturi. Quod indicio est cito & multò ante noctē productos vigiles ad excubandum: quando verisimile est non minorem in claudendo curam adhibitam fuisse, quàm in aperiendo: nempe vt ne nimis sero clauderentur. His addit vices, quas eo repræsentat quod dicit במשמרו, id est, in custodia sua: vel excubijs sibi tributis. Id vtile pariter ac necessarium fuit: necessarium, quod continuatio vigiliarum naturæ vigilantium intolerabilis fuisset. Cum enim vigiliæ corpora soluant ac siccitate enecent: vigiliarum onus vnus perpetuo ferre nequaquam potuisset. Quamobrem si natura fert, vt existimat Aristoteles, vt nullum animal perpetuo vigilet: multo minus homo sit ad vigilias perpetuas adigendus. Vtilis autē fuit hæc ratio, quod ciues tanto promptiores ad vigilias essent, tantoque facilius in officio vigilandi retineri possent, quantò luculentius cernerent Nehemiam ipsis parcere, & saluti ipsorum consultū velle. Alterna quod caret requie durabile non est. Obseruanda sunt item excubijs tributa loca: nimirum cuiq; contra domum suam. Idq; videtur ea nimirum de causa factū, vt & ad vigilias commodius, citius, facilius prodire possent: & cum ab rebus suis minus longè abessent, libentius stationes suas asseruarent. Equidem incommodū admodum & ineptum fuisset, Orientem versus cum duci, qui in occidua parte positas ædes habitaret. Quaqua parte ergo Nehemiæ excubias intueare, semper pietas in patriam singulari cum prudentia atq; æquabilitate coniuncta apparebit.

Atque hæc quidem vrbanæ custodiæ ratio, quemadmodum diligenter est ab Nehemia, cum Hierosolymis eo tempore constituta, tum etiam hoc ipsius libro descripta: sic est digna visa grauissimis ac sapientissimis viris, cuius in consideratione nonnihil operæ poneretur. Cumq; sit ex rerum earum numero, quæ deducunt ciuitates ad finem suum, id est ad optimum ac fœlicissimū sui ipsarum statum: & hæc illius libri pars tertia tota ferè sit referta pręceptis ciuilis scientiæ: certę & plenæ eius expositioni conueniens erit huius instituti consideratio paulo altius repetita. Neq; vero quęrendū puto, sitne in rerū humanarū vsu custodiæ: cum id non solum vsus rerum ipse, verumetiā virorum sapientū de his memoriæ mandata præcepta, & ab his ad sacras res translata documenta probent verum. Etenim omnibus omniū gentium vrbibus, oppidis, vicis, castris, hominum cœtibus, suæ custodiæ semper fuere deputatæ: & ab hac communi consuetudine tractæ sunt ad omniū ordinum officia præceptiones: quando ministris ecclesiarū, & gubernatoribus ciuitatū, & magistris educationis puerilis, & parentibus, & quibusq; hominibus vigilum ac custodū nomen est attributum, & à vigilum munere & cura translatis regulis præscriptum officium. Vnde vero primum fuerit exortum hoc institutum, de eo sunt authorum veterum pariter atq; recentium diuersæ sententiæ. Et Plin quidem li. 7. ca. 56. Palamedē Nauplij Euboeæ regis filium cum vigilias, tum instructionē acierum, & tesserę militaris vsum, & alia inuenisse tradit. Fuit autem is, vt videre est apud Philostratū in Heroicis, itemq; in omni Troiani belli historia, vir summo ingenio prędi-tus, vt qui calculorum, mensurarū, ponderū, aleę, anni in suos menses atque dies ordine distributi,

quarundam etiam literarum fuerit inuentor, & Vlyſsis inſaniæ ſimulationem detexerit. Qua de cauſa credibile fuerit, cum hæc apud Græcos ſuos primum inuenisse. Sed excubiarum vſum pluſquam centum decem annis antè apud Orientales nationes in vſu fuiſſe, quàm bellum Troianum Græci ſuſcepiſſent, Gedeonis hiſtoria atteſtatur: qui tertia vigilia Madianitarum caſtra intraſſe in hiſtoria Iudicum Hebræorum memoratur. Quæ res indicio eſt haud obſcuro, iam tum Hebræis ſimul ac Madianitis excubias vſitatas fuiſſe. Arbitror igitur hoc inuentum rebus omnium antiquiſsimis accenſendum, & vnà cum ciuitatibus ipſis natum: quòd qui tuendæ ſocietatis hominum cauſa ciuitates condiderunt, ſimul etiam viderint eas, licet eſſent muris ac foſsis cinctæ, facilè tamen ab hoſtibus expugnari & occupari poſſe, niſi certa vigilum cuſtodia muniretur. Admirabilis eſt autem, & inſtitutũ ipſum multis nominibus commendat nominis eius origo. Etenim, vt Grammatici perhibent, à vi, vigeo dicitur, quaſi vim ago: & vigere dicuntur, qui validi ſunt & robuſti. Vnde vigiles dici videntur, qui minimè ſegnes ſunt aut inſtar dormitantium torpent: ſed qui in vigore ſunt ſuo. Cumque vigilare, modo inſomnem noctem ducere, modo aliquid cuſtodire ſignificet: nocturnis cuſtodibus nomen vigilum præcipuè eſt attributum. Eos igitur vigiles aut excubitores dicemus, qui fuerint ad excubias certis locis ac temporibus agendas ab ipſo magiſtratu conſtituti: vt reliqua ciuium multitudine vel ſomno ſepulta, vel ſuis negotijs occupata, ipſi quid ingruat aut immineat periculi, proſpiciant, indicent, auertere etiam quoquo modo nitantur. Multa autem ſunt & varia genera excubitorum: videlicet pro ratione diuerſa temporum, locorum, & quas habent, poteſtatum. Etenim alij ſunt nocturni, qui propriè vereq; vigiles dicuntur: vt qui cęteris ciuibus dormientibus in vigore ſint ſuo & viuentium faciant munus. Diurni vero qui interdiu vigilant, qui & excubitores propriè vocantur. Vnde & Latinis excubiæ diurnæ, vigiliæ nocturnæ videntur dici. Quæ ratio ſignificat opus eſſe ciuitati cuilibet tam diurna quàm nocturna cuſtodia: quando ciues ſomno dediti ſunt noctu, delicijs aut negotijs interdiu detinentur: ac ni qui ſint certi ciues, qui pro ſalute publica vigilent, tam die quàm nocte poſſet ciuitati damnum dari. Locorum autem in quibus homines degunt, varietas etiam ipſa diuerſitatem vigilum introducit: ac facit, vt alij ſint caſtrenſes, qui in caſtris ſeruent ſuas ſtationes: quorum ipſorum alij ad tentoria ducum, alij ad extimas partes caſtrorum excubias agunt, itemq; alij primi, alij medij, alij vltimi ſunt. Vrbani vero ſunt, qui vel in turribus ac propugnaculis, vel ad portas ſunt conſtituti, vel per plateas ac regiones vrbis obambulant, ad proſpicienda pericula. Et eorum quidem qui portas obſeruabant atq; turres, maximus pleriſq; gentibus vſus ſemper fuit: partim quod ad portas Hebræis eſſent iudicum ſubſellia, atq; iudicia publica exercerentur: partim quod per portas omnibus aditus in ciuitates eſſet: partim quod è turribus longius proſpici, faciliuſque videri imminentia mala poſſent. Et ſanè Amnone cæſo, cum fama ad Dauidem allatum eſſet de eius liberorum omnium interitu: ſpeculator è turri vidit & nunciauit aduentantium regis liberorum turmam, 2. Reg. 13. Et è prelio, quod cum Abſolomo commiſſum fuerat, accurrentes nuncios vigil vidit & indicauit, 4. Reg. 18. Quin etiam in Iorami, Ochoſiæ, Ieſabelis hiſtoria viſus eſt è turri cum ſuis aduentans Iehu. 4. Reg. 9. Apud Græcos autem adeo diligens vbique belli paciſque tempore portarum cuſtodia fuit, vt ab hac tranſlatũ fuerit id quod omnis generis vigilibus eſt attributum nomen. Illis enim [illegible] quaſi [illegible], id eſt, ianitores à ianuis dicuntur: & [illegible] quaſi [illegible] dicebatur, quod præ cæteris rebus omnibus fide & diligentia maxima portæ cuſtodiri conſueuiſſent. Si vero curam ac poteſtatem his mandatam ſpectemus, erant in caſtris æquè atq; in oppidis & ſuis ſtationibus ac locis poſiti vigiles: & circuitores quidã à circumeundo nominati, vigiliarum inſpectores: & præfecti vigilum, quibus omnis ordinatio vigiliarum tradita fuit. Omnium autem cuiuſcunq; ordinis atq; nominis vigilum officium Hebræo nomine שומרים pulchrè ſignificatur: quippe quod à verbo שמר deriuatur. Id ſignificat, obſeruare, indicare, declinare proſpecta pericula, itemq; cauere & cuſtodire. Ergo nomen hoc ob id eis datum fuit: vt in turribus inſidias, incendia, oſtenta, quæ ſunt monita patris omnipotentis: ad portas obſeruent qui intrent aut exeant ciuitates: in ipſarum vrbium regionibus ac plateis cædes, tumultus, furta, ſtupra, alia mala prouideant. Quod oſtendi non minus Hebræorum quàm Græcorum & Latinorum exemplis poteſt. Quod enim in Canticis cap. 3. ſponſa quæritur ſe nocte media ſurrexiſſe, & vrbis plateas peragraſſe, vt amiſſum ſponſum inueniret, & in vigiles incidiſſe: id euidenti indicio fuerit, eo tempore vigiles Hieroſolymis fuiſſe, qui regiones vrbis ſuis excubijs obſeſſas tenuerint, vt ingruentia mala maturè declinarent. Neque enim à rebus ijs quæ nuſquam ſunt aut nullæ, quiſquam ſimilitudines ad propoſitum ſuum trahit: ſed ab ijs potius quæ ſunt vulgo cognitæ & omnibus notæ. Platoni quoq; placuit eſſe [illegible], id eſt vrbanas excubias certis regionibus diſtributas: velut apud eum in ſexto de legibus ſcriptum extat. Apud Romanos autem aſsidua quædam atque exquiſita vigiliarum ratio fuit. Quem-

admodum

Praefectus Vigilum.

admodum enim in castris Caius Cęsar, vt ad subitos conatus disposita ac parata præsidia haberet, duas sæpe legiones excubare iussit: sic Augustus in vrbe septem cohortes eo ordine modoq; dispositas habuit, vt singulæ binas vrbis regiones tuerentur. Harum princeps præfectus vigilum dicebatur, cuius erat extinguere incendia, cognoscere de incensoribus, effractoribus, raptoribus, furibus: & ad hæc depræhendenda per vrbis regiones in multam noctem cum dolabris obambulare, monere ciues vt cauerent incendia, in suis quique cœnaculis aquas haberent: eos qui negligentius ignes apud se curassent, fustibus ac flagellis cedendos dare, fugitiuos conquirere & Dominis reddere. Sicut ex Seueri & Antonini Impp. rescripto recitat Vlpianus in l. vlt. ff. de offic. præfect. vig. Quanquam autem magna potestas huius esset: non poterat tamen authoritate propria statuere de causis capitalibus, sed eas ad præfectum vrbis referre tenebatur. Sicut extat scriptum in l. nam salutem. ff. de offic. præfect. vigil. & in l. vnica. C. eod. tit. Atq; hoc officium ante ea tempora triumuirorum capitalium fuit, qui tunc primū Romæ creati fuerunt, cum de Samnitibus Curius Dentatus triumphauit. Quæ pluribus verbis Alexander ab Alex. lib. 3. ca. 16. Paulus Iurecos. in d. l. nam salutem. ff. eod. tit. recensent. Formam autem excubiarum eam plerique tenuerunt, quam hoc loco legimus ab Nehemia quoq; constitutam: nempe vt certis temporum vicibus ac locorum interuallis dimensæ essent & distributæ. Ac Hebræi quidem prisci tres vices excubiarum videntur habuisse, quarum quæq; tertiam noctis partem obtinerent. Eius meminit author historiæ Iudicum cap. 7. quo loco dicitur Gedeon media nocte, secunda vigilia, hoc est, media nocte, quā secunda vigilia habetur, castra Madianitarum intrasse. Quam dimensionem Dominus etiam Luc. 12. videtur obseruasse, quando dicit: Si venerit in secunda aut tertia, &c. Romanis autem, vt Vegetius perhibet, ad clepsidram fuere dimensæ & in quatuor partes diuisæ vigiliæ: vt non amplius tribus horis nocturnis vnus vigil, aut vna cohors vigilare necesse haberent: quia videretur fieri non posse, vt per totam noctem vigilantes singuli in speculis permanerent. Hanc partitionem postea videntur Hebræi recentiores ipsi quoq; secuti esse: quando Matt. 14. Dominus quarta vigilia dicitur ad discipulos nauigantes venisse. Atq; has vigiliarum vicissitudines quarum alias aliæ excipiant, Imperator Leo in suis de disciplina militari præceptionibus tanti facit, vt existimet nulli quantumuis impigro vigili, si continuas vigilias polliceatur, fidendum: quod id opus sit humanis viribus malus. Quin eos etiam, qui tribus tantum horis vigilare debent, aduersus obrepentem somnum hoc præcepto munit: quod iubet stare: eo quod stantes facilius somnū excludant, quàm qui sedent aut decumbunt. Extant autem apud Polybium in sexto libro castrensium vigiliarum, & apud Platonem in sexto de legibus vrbanarum excubiarum exquisitæ descriptiones. Quemadmodum autem hic ijs in stationibus excubitores suos collocauit, quæ cuiusque ædibus maximè essent vicinæ: sic olim apud Romanos familia publica ad portas & muros vrbis fuit constituta: vnde si opus esset, ad extinguenda incendia euocaretur: itemq; familiæ priuatæ vel mercede, vel gratia ad eandem rem conductæ fuerunt. Qua de re scriptum extat in l. prima, ff. de offic. præfect. vigil. Eum autem in finem cum ab illis, tum ab Nehemia custodiam hanc constitutam fuisse, vt salua conseruari ciuitas, atq; ab insidijs iniuriaq; ciues ac ciuium facultates possent: cum hi ipsi, à quibus illæ excubiæ constituuntur, principes, tum res ipsa palam attestantur. Idq; docet Paulus Iurecos. in l. iij. ff. de pręf. vigil. offic. quo loco recitat institutas ab Augusto excubias, docet ad hunc modum: Nam salutem reipub. tueri nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem. Qui igitur bene consultū toti reipub. volunt, & singulorum ciuium res incolumes cupiunt conseruari, hi vigilijs & vrbanæ custodiæ bene prospectū curent. Quanti vero referat eniti, vt quàm lectissimis viris hoc officiū demandetur: cum Nehem. exemplū innuit, tum ipsius officij ratio ostendit. Est officium hoc valde laboriosum & magno cum periculo coniunctum: vt requirat eum virū, qui verè sit vigil: hoc est, animi vigore & corporis robore pręstans: prudens & sobrius, qui non facilè falli blanditijs, aut vino sopiri queat: fortis vt ne metu cuiusuis periculi deijciatur: robustus, vt propulsare etiam apertam vim possit, & armis si res postulet, periculū à patria auertere. Exemplis demonstrari potest, quid vigilibus acciderit. Improuidi fuere Eglonis regis excubitores, qui non posticū, quo Ehudus egressus fuit, perinde ac fores anteriores obseruarunt, vt eò citius patratæ cædis certiores fieri potuissent. Idem etiam de Holofernis Assyriorum ducis excubitoribus statui potest, quorum incuria factum est, vt impunè Iuditha cædem ac caput ducis auferret. Heræensibus etiam obfuit, quod adeò ebriosos vigiles habuissent, vt ipsis incautis atq; ebrijs clauium vestigia ceræ impressa Achiuorum duci Diætæ mitterentur, & secundū hęc effictis ac fabricatis clauibus is eorum vrbē post apertā intraret & occuparet. Est aūt euidens argumentū huius rei in illo illustre, quod Ouid. ob oculos hominū ponit, exemplo Argi, qui licet omniū hominū naturā ac vires vigilantię perpetuitate superarit: tamē huius muneris oneri tandē succubuit, & imprudētię suę pœnas suijpsius capitis periculo psoluit. Ionē Inachi filiā virg. Iupiter custodiendā cōmendarat: ac quanq̄, vt Oui. ait,

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat
Inde suis vicibus capiebant bina quietem
Cætera seruabant: atque in statione manebant
Constiterat quocunque loco, spectabat ad Io:
Ante oculos Io quãuis auersus habebat.

Sed tamen Mercurius ab Iunone subornatus sumpto habitu pastoris, iunctisque canendo

Vincere arundinibus seruantia lumina tentat:
Ille tamen pugnat molles euincere somnos:
Et quamuis sopor est oculorum parte receptus:
Parte tamen vigilat: & vt vidit Cyllenius omnes
Succubuisse oculos: adopertaque lumina somno,
Nec mora, falcato nutantem vulnerat ense
Qua collo confine est caput: saxoque truentum
Deijcit: & maculat præruptam sanguine rupem.
Arge iaces: quodque in tot lumina lumen habebas,
Extinctum est: centumque oculos nox occupat vna.

Peruigil ille fuerat: sed oppressus est: quid alij crederemus euenturum? Stolidi quoq; Magorum Persicorum ianitores fuere, qui se principum authoritate cohibere passi non tenuerunt stationem suam, verum illis vsque ad cubiculum regium aditum præbuere. Quæ res ijs, qui custodiebantur, exitio fuit. Sed & si fidi sint & admodum gnaui custodes: moltis tamen & magnis sunt periculia expositi: vt qui ipsi primi siot periculis obiecti. Recte ergo Nehemias, præsertim tam periculosis temporibus, hoc officium præstantissimis & spectatissimæ fidei viris mandat. Quemadmodum autem apud Platonem Socrates hanc vrbanæ custodiæ rationem ad iuris ac legum, itemqoe ad vitæ ciuilia & morum disciplinam custodiamq; trahit & accommodat, & quales esse expediat custodes vrbium, & quod eorum sit officium, in secundo & tertio de repub. libris disputat: sic hæc eadem nobis est primũ ad vniuersam ecclesiam, dein ad singula eius membra transferenda. Vniuersæ ecclesiæ Deus iam olim suos posuit speculatores: primum patriarchas & prophetas, dein apostolos & euangelistas: quibus mandat, posita pœna sempiterni interitus, vt de malis impendentibus mooeant ciues. Ezech. 3. Speculatorem te dedi domui Israel. Ezech. 33. Si speculator viderit gladium, &c. Meminerimus ergo hos audieodos. Dein cum singuli mortales sua peculiaria habeant bona, quorum & custodiam & vsuram piam habeot etiam sibi diuinitus demandatam, sintq; & [illegible], & vt ait ille, [illegible]: intererit eorum, vt sui ipsorum industrij & gnaui sint excubitores. Quo referendæ sunt Christi & apostolorum exhortationes, quibus ad vigilias excitamur. Marc. 13. Quod vobis dico omnibus dico: vigilate. Et 1. Thess. 5. Noo dormiamus sicut cæteri, sed vigilemus. Et 1. Cor. 16. Vigilate state io fide. 1. Pet. 5. Sobrij estote & vigilate. In hanc senteotiam etiam Beda locum hunc exponit.

4 Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.

5 Deus autem dedit in corde meo, & congregaui optimates & magistratus, et vulgus vt recenserem eos, et inueni librum census eorum qui ascenderant primùm & inuentum est scriptum in eo.

6 Isti filij prouinciæ qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis & reuersi sunt in Hierusalem & Iudæam, vnusquisque in ciuitatem suam.

7 Qui venerant cum Zorobabel Iosue, Nehemias, Asarias, Rahamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana, Numerus virorum populi Israel.

8 Filij Pharos duo millia, centum septuaginta duo.

9 Filij Sapharia, trecenti septuaginta duo.

10 Filij Area, sexcenti quinquaginta duo.

11 Filij Pahath Moab filiorum Iosue & Ioab, duo millia octingenti decem & octo.

12 Filij Ælam mille octingenti quinquaginta quatuor.

13 Filij Zethua nongenti quadraginta quinque.
14 Filij Zachai septingenti sexaginta.
15 Filij Bannui sexcenti quadraginta octo.
16 Filij Bebai sexcenti viginti octo.
17 Filij Azgad duo millia trecenti viginti duo.
18 Filij Adonicam sexcenti sexaginta septem.
19 Filij Beguai duo millia sexaginta septem.
20 Filij Adin sexcenti quinquaginta quinque.
21 Filij Ater filij Ezechiæ nonaginta octo.
22 Filij Asem trecenti viginti octo.
23 Filij Besai trecenti viginti quatuor.
24 Filij Hareph centum duodecim.
25 Filij Gabaon nonaginta quinque.
26 Filij Bethlehem & Netupha centum octoginta octo.
27 Viri Anatoth centum viginti octo.
28 Viri Beth-azmoth quadraginta duo.
29 Viri Cariathiarim Cephira & Beroth septingenti quadragin. tres.
30 Viri Rama & Nebo sexcenti viginti vnus.
31 Viri Machmas centum viginti duo.
32 Viri Bethel & Hai centum viginti tres.
33 Viri Nebo alterius quinquaginta duo.
34 Viri Ælam alterius mille ducenti quinquaginta quatuor.
35 Filij Harem trecenti viginti.
36 Filij Hiericho trecenti quadraginta quinque.
37 Filij Lod hadid & Ono septingenti viginti vnus.
38 Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.
39 Sacerdotes filij Idaia in domo Iesua nongenti septuaginta tres.
40 Filij Emmer mille quinquaginta duo.
41 Filij Phashur, mille ducenti quadraginta septem.
42 Filij Aren mille decem & septem.
43 Leuitæ filij Iosue & Cedmiel, filiorum.
44 Oduiæ septuaginta quatuor.
45 Cantores: filij Asaph centum quadraginta octo.
46 Ianitores: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobaia centum triginta octo.
47 Nathinæi filij Soha: filij Hasupha, filij Thebbaoth.
48 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon.
49 Filij Lobana, filij Hagaba, filij Salmai.
50 Filij Hanon, filij Geddel, Gaher.
51 Filij Rahaia, filij Rasin, filij Necoda.
52 Filij Gezem, filij Aza, filij Phasea.
53 Filij Besai, filij Munim, filij Nephussim.
54 Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur.
55 Filij Besioth, filij Mahida, filij Harsa.
56 Filij Bercos, filij Sisara, filij Thema.
57 Filij Naia, filij Hatipha.
58 Filij seruorum Salomonis, filij Sotai, filij Sophereth, filij Pharida.
59 Filij Iahala, filij Darcon, filij Ieddel, filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erat ortus ex Sebaim filio Amon.
60 Omnes Nathinei, filij seruorũ Salomonis, trecenti nonaginta duo.

61 Hi sunt autem qui ascenderunt de Thelmela, Thelharsa, Cherub Abdon & Hemmer, & non potuerunt indicare domum patrum suorum, & semen suum vtrum ex Israel essent.
62 Filij Dalaia, filij Tobie, filij Necoda sexcenti quadraginta duo.
63 Et de sacerdotibus filij Habia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem & vocatus est nomine eorũ.
64 Hi quæsierunt scripturam suam in censu, & non inuenerunt: & eiecti sunt de sacerdotio.
65 Dixitq; Athersata eis vt non manducarent de sanctis sanctorum, donec staret sacerdos doctus eruditus.
66 Omnis multitudo quasi vir vnus quadraginta duo millia sexcenti sexaginta.
67 Absque seruis & ancillis eorum, qui erant septem millia trecenti triginta septem, & inter eos cantores & cantatrices, ducenti quadraginta quinque.
68 Equi eorum septingenti triginta sex: muli eorum ducenti quadraginta quinque.
69 Cameli eorum quadringenti triginta quinque, asini sex millia septingenti viginti.

Secunda cap. huius parte censum populi proponit descriptione bene longa, & inde à quarto versu ad septuagesimum vsq; protensa. In qua primum census acti causas, dein ipsum censum refert. Ac census acti causas versu quarto dicit: Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, &c. Videtur autem verbis illis significare vir pius ac sapiens, magnæ quidem voluptati fuisse sibi, quod vrbis huius instaurationem eousq; prouexisset, vt iam veteris vrbis aream muro cinctam portisque clausam obtineret: sed magno sibi rursus id dolori fuisse, quod ad occupandum ac muniendũ spacium illud incolæ pariter atq; ædificia deessent. Qua in querimonia census actæ causæ tres potissimum elucescunt. Vna, quod amplus esset vrbis ambitus. Eum autem Iosephus lib. contra Apionem, quinquaginta stadiorũ spacium habuisse scribit: adducto testimonio Hecatei Abderitæ eius, qui in Ægypto apud Ptolomæum Lagi filium fuerat commoratus. Videtur autem spacium illud habere circiter sex milliaria, iter trium horarũ. Quanquam autem alias hac ampliores vrbes fuisse memoriæ proditum legimus: fuit tamen eiusmodi illa amplitudo, vt ampliorem deliberationem postularet: nimirum, quo modo, quibusque præsidijs teneri tota, atque aduersus hostium vim atque incursiones defendi posset. Neque enim quisquam est, qui nesciat arces & angusta oppida facilius teneri præsidijs posse, quàm amplas ac spatiosas vrbes. Suberat item illud periculũ, quod in tanta paucitate ciuium, vrbs, vt sit minus esse tuta videretur ab intestinis motibus. Nam, vt iudicat in quarto de Rep. libro Aristoteles, quibus in ciuitatibus multum est moderationis, in ijs rarissimæ seditionum & dissidiorum tempestates existunt. Cumq; in magnis ac populosis vrbibus maximè dominetur mediocritas: in paruis contrà facile fit omnes in duas partes diuidere, vt nihil medium relinquatur, sintque vel egeni vel opulenti plerique, & altera pars alteram facilè offendat: non mirum est huius mali metu Nehemiam quoque occupatum fuisse: præsertim vixdũ vna conciliata ac composita dissensione. Quod si iterum accidisset: timendum vir prudens iudicabat, vrbem adeo amplam à tam paucis eisdemque dissidentibus eò minus defendi & conseruari posse. Quocirca vel ipsius vrbis amplitudo deliberationem de conseruanda ciuitate requirebat ampliorem. Causa altera, quod populus paruus (inquit) esset in medio eius. Dolebat nimirum viro sapienti & bono, quod vrbis amplitudinem tantam non æquaret illa ciuium paucitas. Sicut Mindijs exprobrabat Diogenes, quod angusto & admodum paruo eorum oppidi spacio portarũ amplitudo prorsus impar esse videretur. Et sanè decet, vt quemadmodum in ædificijs sic in ipsis oppidis atque vrbibus proportio quædam obseruetur. Sicut enim incommodum est amplas familias in angustis ædibus habitare: ita valde est alienum à proportione, si vel in paruis oppidis incolarũ multitudo nimia, vel in amplis vrbibus admodum pauci commorentur ciues. Quanta autem hominum multitudo ciuitati conueniat, à multis est & variè disputatum. Hippodamus Milesius Euriphontis filius apud Aristotelem in secundo Politicorum constituit ciuitati decem millia virorum, eosq; in tres ordines diuidit: quorum primo opifices, secundo agricolas, tertio milites comprehendit. Et Plato in quinto de legibus libro ciuium numerum eum commodissimũ censet, qui

deinceps

deinceps habeat in ſe quamplurimas alias partitiones. Ariſtoteles autem in Ethicis ad Nicomachum lib.9.cap.10.noo ineptam videtur rationem inijſſe: nempe, vt quemadmodum amicorum ſic & ciuium multitudinis ſit modus. In amicitijs conuenit, vt amicorum, neq; nimia ſit multitudo, cui colendæ nec vires, oec facultates, nec tempus ſufficiant, neque tanta paucitas vt cum opus ſit, eorum auxilijs ad propulſanda ingruentia mala non ſatis muniti firmatiq; videamur: ſed certus ſit numerus nimirum is, quem vſus vitæ præſcripſerit, & cum quibus verſari commodè queas. Eodem omnino modo certus ſit ciuium numerus, oportet in ciuitate bene conſtituta: nimirum is, qui ioter duos certos ac definitos numeros medius eſſe videatur: vnum infimum infra quem ſocietas propter paucitatem ciuium non datur: alterum ſummum, ſupra quem aſcendens multitudo ad ſocietatem inepta euadit. Nam (inquit) neque ex decem hominibus ciuitas conſtare poteſt, neque ex centenis millibus hominum ciuitas exiſtit. Quemadmodum igitur omnibus in rebus ſic in ciuium multitudine modus eſt optimus. Equidem Ioſephus eo, quem modo citaui loco, refert, olim fuiſſe Hieroſolymis 120000. incolarum. Ac de cauſis ingentium ciuitatum multa Scaliger & Cardanus ſubtiliter & acutè diſputata afferunt. Qua in diſputatione Cardanus hoc acceptum fert regionibus calidis ac ſiccis. Scaliger contra autumat Lutetiam minimè feruido loco ſitam & nihilominus intra muros 12000. domuum habere, præter eos vicos, qui ſunt in pomerijs, quorum capacitas ſuperet vrbem: nec obeſſe ei quicquam ad tantam multitudinem hominum ſuſtentandam, quod Ambianum, Rotomagum, Aureliam, quæ & ipſæ ſint populoſæ, admodum habeat vicinas ſed aſtra, inquit, condunt vrbes, non homines. Verum quod incrementa ciuitatum à benedictione & gratia Dei proficiſcantur, Sacræ literæ nobis & teſtimonijs ipſius Dei, & exemplis confirmant. Deus enim, vt Abrahamo promiſit numeroſam poſteritatem, ita ſeptuaginta oepotis eius animarum numerum pluſquàm ſexcentorum millium virorum multitudine paucis ſeculis auxit. Et quam ciuitatem Nehemias incolis deſtitui modo queritur, hanc Dauid, Solomon, alijq; poſt eos ſupra quàm credi queat, populoſam habuere. Equidem pauci nec ad defenſionem, nec ad commodam rerum communicationem ſufficiunt: ſicut exemplis agricolarum & artificum propoſitis docet Plato. Cum autem dederit Deus vt ciuitates ſint populoſæ: inſano proprij commodi ſtudio, inuidia, impatientia, luxu videmus homines huc propelli, vt quæ Deus ad iuuandum, & ornandum, & tuendum ipſos dedit, de his ipſi ceu quibuſdam incommodis conquerantur. Velut eſt in fabulis, ante bellum Troianum conqueſtā apud Deos Tellurem de nimia multitudine mortaliū, quæ nō eam premeret modo, verū etiam arando, occando, fodiendo paſsim affligeret: proptereaq; Deos, vt multitudo hominū minueretur, bellum Troianum, quo populoſiſsimę Terrę partes Europa & Aſia inter ſeſe committerentur. Sit hoc in fabulis: illud in hiſtoria ſacra cernimus, & vſu comperimus, Deum peſte & bello ſic vlciſci tetram hanc mortalium ingratitudinem, vt quas ciuium multitudine nimia viſus ſit oneraſſe, eas ſic exhauriat incolarum copia tandem, vt quanti fieri debeat eius benedictio, ſentiatur. Optandum ſit autem inprimis, vt bonis potius quàm multis incolis ciuitas habitetur. In quam ſententiam quoq; Solon apud Plutarchum, quæ ciuitas optimè habitaretur, interrogatus reſpondit, eam, in qua, qui nulla affecti iniuria fuiſſent, iniuriarum authores perinde ac ſi ipſi fuiſſent læſi, cupidè perſequerentur. Et Plato bene ciuitates eas babere dixit, in quibus non ambirent imperium, qui imperant, & in quibus non auro, ſed ζωῆς ἀγαθῆς καὶ ἔμφρονος id eſt bonis moribus rationeq; recta diuites habitareot. Nebemias ſpectat pręſentia tempora & hoſtes vrbi recens inſtauratæ pertinaciſsimè inſidiantes: ideoque ciues ad tuendam eam requirit, non impatienter & cum contumelia Dei, quæritur de eorum paucitate. Fecerūot hoc prudentiſſimi quiq; reges: vt qui viderent extare noo poſſe ciuitatem ſine ciuibus: ſicut nec ſine piſcibus piſcioa, nec ſioe militibus caſtra, nec ſine diſcipulis ſcholę. Equidem Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 1. Antiqu. Rom. ſcribit, ipſam quoq; Romam initiò perpaucos ciues habuiſſe, ſed paulatim aliunde aſcitis atque in numerum ciuium ſuſceptis incolis auctam. Quo loco Aborigenes, Pelaſgos Euandri comites, Epeos & Pheneates, Aneę ſocios: & in fine libri, poſt ſuſceptos Opicos, Morſos, Samnites, Hetruſcos, Brutios, Ligures, Hiſpanorum & Gallorum multa millia receoſet. Apud eundem etiam Seruius Tullius ampliſsimas illas Athenienſium & Romanorum ciuitates ambas hoc vno quod aduenas ſuſceperint, potiſsimum & ciuium multitudine & opibus potentiaq; auctas: & hac humanitate Romam ex parua magnam factam. Quàm bonum hoc ſit & neceſſarium ciuitati, vel ex eo perſpicuum eſſe dicebat, quod in armorum vi ſita ſit vrbium potentia: quæ nulla ſit ſine copijs numeroſis. Idem author quoq; ſcribit, vrbem Romam primum parum habitatā ab ipſo quoq; Romulo deductis eò colonijs, & Cæninenſibus atque Antemnatibus quos vicerat, ſuſceptis, & multis hac clementia allectis in eam ſua ſponte confluentibus auctam factamq; populoſam. Ad eam de augenda ciuitate Hieroſolymitana cogitationem Nehemias vel hoc ipſo potuit excitari, quod ipſam olim populoſiſsimam fuiſſe oon ignorabat. Cumq; id iuuandæ & ornandæ & tuendæ

eius causa moliretur: prudentiam videtur cum pietate coniunxisse. Causa tertia videtur in hoc elucere, quod dicit: Et non erant domus ædificatæ. Quod minimè negligendum malum fuit. Etsi enim plurimi hinc inde ex Iudæis aduenis in ciuitatem suscepti fuissent: tamen ad capiendos eos ædificia defuissent. Erant nimirum circa templum multæ iam extructæ domus, quas Leuitæ & sacerdotes obtinebant: erant item ponè eas virorum principum domus, & aliæ nonnullæ: sed reliquæ partes vrbis vacuæ erant: veluti videmus hodieq; fieri, vt circa templa prima principia quasiq; fundamenta vicorum & ciuitatum iaciantur. Hoc spacium ædificijs complendum, & vt id commodè fieret, loca ad ædificandum ciuibus distribuenda censet. Eodemq; modo Seruius Tullius rex creatus vrbi Romæ duos colles Viminalem & Esquilinum adiecit, singulos iusta oppidi magnitudine, atq; ibi loca ciuibus domo carentibus ad extruendas ædes partitus est. Sed & Plato ciuitatem suam ornare & replere ædificijs ita voluit, vt esset circus in eius meditullio, in quo Iouis, Cereris, Mineruæ templa ponerentur: reliquum spacium ciuitatis in regiones duodecim diuideretur. Rectissimo omnes consilio: qoando ciuitas nec alijs ex rebus, quàm familijs multis conficitur, nec aliud est, quàm recto ordine distributa constitutio domiciliorum: sicut in Politicis Aristoteles, & in Catonis vita Plutarchus scribunt. Hoc Nehemias spectans suscipit istam de parandis domicilijs deliberationem. Atq; has quidem agendi census sui causas habuisse videtur Nehemias: nempe, vt vacuum vrbis spacium compleret: vt quot, qualesq; sibi ciues essent, exploraret: & vt quanto aduenarum numero ad iustam magnitudinem ciuitas augeri commodè posset: & quæ quibusque loca ad ædificandum distribuerentur: qua ratione locupletiores cum ad contribuendum pecunias, tum ad ædificandum excitarentur.

His commemoratis census acti causis, versu quinto cum dicit: Deus autem dedit in corde meo, &c. deinceps eius formam describit, eoq; significat se quæsisse & inuenisse remedium huic rei satis accommodum ac bonum: videlicet censum populi, quo cum ciuium qui prestò aderant numerum, tum eorum etiam qui in ciuitatem aliunde ex alijs oppidis asscribi possent, delectum, deinde augendæ ciuium multitudinis viam ac rationem commodam, deniq; facultatum modum habere posset. Ac quoniam census nomen est odiosum & molestum præsertim ijs, qui legum & ordinis omnis vinculis soluti liberiq; esse volunt, & ægrè vel ad contribuendas pecunias & ad onera publica in se suscipienda adducuntur: vel in suam ipsorum vitam ac mores animaduerti patiuntur: ne quam sibi maleuolentiam conciliet, eoq; negotium hoc, & commodū publicum impediat: diligenter indicat, quo authore eum susceperit, quem in eo peragendo obseruauerit modum, quæ denique ad agendum eum habuerit auxilia atque exempla. Et vt constet de authore, dicit: Deus autem dedit in corde meo: hoc est, Etsi graues illas, quas modo dixi causas habuerim, quas modo commemoraui: tamen hoc inconsulto Deo, mea sponte, citra numinis afflatū non egi: quin Deus opt. max. hoc mihi dedit, vt rationem illam inuenirem, qua sunt alij item ante me boni pijq; principes vsi in simili casu: nimirum vt totius populi censu commodè explorarem atque inuenirem viam, qua ciuitas amplissima perinde ac si parua esset, bene muniri præsidijs posset: qua tam exiguus ciuium numerus augeri & ad iustam multitudinem deduci posset: qua deniq; vrbis spacia vacua pluribus ædificijs complerentur: quæ sunt optimi principis officia. Iam vero si quis roget, qui fiat, vt actum à Dauide censum Deus ægerrimè tulerit & grauissimo supplicij genere afficiendum duxerit, hic autem afflatu Dei ad agendum censum se adductum profiteatur: dicemus Dauidi, nec quas Nehemias habuit, nec vllas alias necessarias aut iustas agendi census causas fuisse. Equidem censuum agendorum causæ sunt potissimum illæ: vt constet de sufficiente ad tuendam ciuitatem & habitandum vrbis regiones, incolarum multitudine: vt colligi in ærarium pecuniæ commodè queant: vt belli tempore delectus militum haberi possint: vt in vitā ac mores optimatum pariter atq; reliquorum ciuium inspiceretur. At Dauidis temporibus hæc vrbs atque etiam tota regio sic magnificis fuerunt ædificijs refertæ, & habitatæ maxima ciuium multitudine, vt ad hanc augendam nulla Dauidis cura desideraretur. Colligendis pecunijs nullus census necessarius erat: qoando res Iudææ iam eò redactæ essent, vt vicinas gentes tributarias haberet Dauid, & fiscus pecunijs abundaret, quibus postea Solomon eius filius est vsus ad extructionem templi. Augustum Cæsarem Dion scribit, vt alendis legionibus necessariam pecuniam colligeret, per vniuersum imperium Romanum, eum cuius Lucas meminit, & Cyrenium præsidem fuisse scribit, quem ille Quirinum vocat, censum edixisse. Quæ rés odiosa admodum fuit & maximarum in Iudæa calamitatum causa: populum Iudæum autem noluit Deus vexari iniquis exactionibus: idque lata lege cauit. Cumque ei nec bellum immineret vllum, nec metu belli premeretur, & Deus pro illis militaret: nulla quoque ei lustratio militum necessaria fuit. Vitæ vero & morum disciplina, quoniam ijs, qui Sanhedrim postea dicti sunt, & sacerdotibus ac Leuitis demandata fuit, nullo opus habuit censu. Eum igitur censum, quem Dauid egit, ideo Deus improbauit, quod nullis eiusmodi

de causis

de causis, verum quadam potius ambitiosa curiositate peractus esset. Nehemiæ vero, qui cum vicinis populis [illegible], & diuturnis ædificationum profectionumque sumptibus exhaustum ærarium, & vrbem ædibus virisque vacuam haberet, vt illum ageret censum, Deus author & impulsor fuit. In eo vero peragendo quem seruauerit modum, id documento est, quod dicit optimates, magistratus, populum omnem conoocatos, in hoc vt censerentur. Nam קבץ verbom congregare, seu in vnum cœtum cogere multitudinem aliquam significat. Quo facto Nehemias iodicat se nihil arbitratu suo, verum authoritate publica: nec temere vel violenter, sed more & instituto maiorom in conuentu populi totius egisse. Optimatum autem & seniorum, quos vulgatæ versionis author magistratus nominat, & populi oomine, significat ordines totius ciuitatis: eós nimirũ qui censebantur. Eteoim habendam censuit rationem omnium. Verum census acti formam melius ac plenius exprimit eo quod dicit: vt recenserem eos. Nam verbum יחש ortum & seriem prosapiæ seu familiæ cuiuspiam, qnam γενεαλογίαν Græci vocant, significat. Inde התיחש significat, talem γενεαλογίαν recensere. Ex quo perspicuum fit familias singulas singulorum ordinum lostratas, & in earum res ac personas censoria quadam lnstratione animaduersum. Ac si quæ deinceps hoc ipso capite de collectis pecunijs, & postea de repudiatis alienigenis vxoribus, itemque de publica pœnitentia ac segregatis peregrinis referuntur, spectemus: non dubia coniectura capi potest, Nehemiam eo censu genus, facultates, & mores inspexisse & æstimasse. Ex huiusmodi census ad tuendam ciuitatem sunt necessarij. Nam quod ad geous attinet: vtile est, eorũ, qui peregrioi sunt prius probare fidem & probitatem & pietatem, quàm eos ad publica munera admittere, & in rep. periculum facere: eos autem, qui vetusta familia nati sunt, si parentes habuerint bene meritos de patria, præmijs afficere: sin malemeritis maioribus sint nati, vel cauere; si maiorum sint similes, vel honorare, si maiores superent virtute. At opes ciuium esse cognitas, perinde expedit: nimirum vt qui maiores opibus suis faciunt sumptus, legum & disciplinæ frenis coerceantur, & ciuitas quantum ipsi in suorum ciuium facoltatibus spei præsidijqoe positum sit, non ignoret. Interest etiam magistratuum, vt io colligendis pecunijs geometricam proportionem seruent, nec æquè multum à pauperibus atq; ab locupletibus requirant. Quod opibus ciuium ignoratis fieri non potest. Qua de causa Plato voluit opes quorumq; ciuium cognitas esse & exhiberi scripto compræhensas. Extat locus hac de re pulcher in 5. & 6. de Legibus. Cumq; magnopere referat bonos potius esse & honestos in quaq; ciuitate viros, quàm homines improbos ac malos: censura morum & seuera disciplina vitia profligari poteruot, & virtus custodiri. Eiusmodi sanè census Romanis fuisse, cum ipsum census nomen, tum censorum potestas & officium, itemq; census agendi modus atque causa, denique censoriæ leges declarant. Equidem censere Latiois idem videtur dici quod æstimare. Id enim significat de rei pretio iudicare. Et quoniam cuiusq; rei pretium hi plerunq; æstimant, qui vel rogantur à partibus vel deliguntur à magistratibus ad id faciendum, eaq; de causa iudicio eorum ceu legitimè latæ sententiæ statur: fit, vt inde ab hac æstimatione, ad quæq; placita ac iudicia verbi illius vsus transferatur. Qua ratione Iabolenus in l. censeri. ff. de verb. signif. dicit censere idem esse, quod præcipere & constituere: idq; probat trifariam: primom vsu quotidiani sermoois, quo solemns dicere, censeo vt hoc facias: dein quod quæ senatus consuluit ea dicitur censuisse: tertiò quod inde & censoribus sit tributum nomen. À censendi verbo deinde nomen census deriuatur, eoq; modo pensio publica, velut in l. j. C. in quib. caus. pig. ta. cootrah. modo patrimonium non annuus redditus, vt in l. ij. ff. de orig. iur. existimat Zasius, modo eorum qui censum agunt, actus ipse, velut hoc loco, significantur. Est antem is iustus ac legitimus & mandato supremi magistratus susceptus actus, qui fit à censoribus in omnes ordines ciuium, inq; eorum mores ac facultates inspectio ad delectum ciuium, ad onera reip. æquabiliter sustineoda, ad retinendam vitæ ciuilis disciplinam. Hoc institutum Liuius pacis longè maximum opus ceoset susceptum & Romanis datum à Seruio Tullio: vt quemadmodum Numa diuini iuris author fuisset, ita Seruius conditor omnis in ciuitate discriminis, ordinumq;, qnibus inter gradus dignitatis fortunæq; aliquid interluceret, apud omnem posteritatem prædicaretur. Censum enim (inqoit) instituit, ex quo belli pacisq; munia oon viritim, vt ante, sed pro habitu pecuniarum fierent: tum classesq; centuriasque & hunc ordinem ex censu descripsit. Ab agendo censu postea censores appellati sunt: qoorum initiò duo creati sunt Cains Papirius & Aulus Sempronius: cum propter diuturna bella diu census factus non esset, & alijs negocijs impliciti consules id præstare non possent: ipsis cura ac potestas census quinto quoque anno peragendi data fuit. Is magistratus postea annuus est factus. Ex his initijs tantopere eorum authoritas & potestas creuit, vt morum disciplinæq; Romanæ regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen, publicorum ac priuatorum locorum ins, vectigalia populi Romani, senatus principem describere, céosum agere, lustrum condere, equnm adimere, qnos putasseot indignos senatu amouere, in eorum potestate esset. Extat plena

ac bene longa cenſus deſcriptio apud Liuium Dec. 1. lib. 1. breuior autem apud Dionyſium Halicarnaſſeum lib. 4. in hanc ſententiam: Omnes Romanos iuſſos à Seruio Tullio ſuarum facultatum ſummam ac pretium publicè profiteri, quodq; eſſent profeſsi iuramento probare: ſimul etiam parentum, vxoris ac liberorum & loci in quo habitarent, nomina edere. Quam profeſsionem tabulis conſignatam cum legiſſet, ciuium multitudinem & opes cognouit, eiſq; conuenientem reip. regendæ rationem inuenit, atq; etiam effecit, vt periculorum & impenſarum onus diuitibus immineret: qui minimum opum haberent ab onere omni immunes eſſent: ac rurſus diuitibus, quo libentius onera ferrent & pericula adirent, reipub. poteſtatem maximam ſic interpoſito cenſu tribuit, vt ſe excludi plebs non ſentiret. Et ne quis ſe ſuaſq; facultates cenſui ſubtraheret, incenſis hęc indicta pœna fuit, vt eorum bonis publicatis ipſi virgis cæſi mancipiorum inſtar venirent. Iam & ſi cenſus eius, quem Nehemias egit, acti forma non ita ad amuſsim deſcripta habeatur, vt quantum vel ſimilis vel diſsimilis fuerit huic Romano, ſciri poſsit: ex eo tamen quod in publico totius gentis cœtu fuit actus, & pecuniarum in vſus publicos factæ contributiones, & luſtratio familiarum, & cenſura morum hunc ſunt conſecutæ, conijci poteſt alterum ab altero non multū diſcrepaſſe. Quocirca Nehemiæ exemplo cenſus illi, modo nihil habeant iniquitatis, optimis quibuſque ciuitatum moderatoribus commendantur. Ad agendum autem eum quę habuerit auxilia atque exempla, pulchrè docet hoc ipſo, quod & antè acti cenſus eorum, qui Babylone primum in Iudæam aſcenderant, exemplum inuentum abs ſe profitetur, & id ipſum profert. Et erat hoc vt faceret, illi duabus de cauſis vtile & neceſſarium: quarum vna ad rem ipſam, altera ad perſonam ſuam, pertinebat. Ad rem ipſam, vt hæc & minore negocio, & iuſtiore modo perficeretur, opus erat, vt qui veteres coloni, antiquis Iudęorum familijs nati, ſuſceptæ in patriam profectionis & inſtaurationis rerum Iudaicarum authores primi fuiſſent, ſciret, & ipſis conuenientia ac debita loca atq; præmia præ cæteris aſsignaret, planè pertinebat. Ad perſonam ſuam ſpectabat, vt oneris noui nihil imponi ciuibus, verum hæc omnia more maiorum geri, conſtaret. Qua in re videre eſt, quam opere expediat, maiores relinquere poſteris ſuarum rerum atq; conſuetudinum itemq; publicorum actorum commentarios: & poſteros ipſos hæc inueſtigare, & ad ſua tempora atque negotia, quoties vſus poſtulat accommodare. Animaduertitur autem in eo quod hoc loco ponitur, & rurſus in eo quod Eſdræ cap. 2. ſcriptum extat, exemplo nonnulla nominum pariter ac numerorum diſcrepantia: cuius interpretes aliąs atque alias cauſas reddunt. Alij id inde exiſtere exiſtimant: quod tanto interuallo temporis multi mortui, multi in locum illorum ſucceſſerint: alij, quod nonnullis bina fuerint nomina quorum alia in Eſdræ, alia in Nehemiæ exemplo ſcripta habeantur: alij putant exemplum cenſus id quod Nehemiæ exhibitum fuit, cum hominum incuria, tum iniuria temporum deprauatum ac mendoſum fuiſſe. Quod de ortu & interitu deq; propagatione & ſucceſsione familiarum prætenditur, nihil eſt: eorum enim qui Zorobabelis ætate vixerunt, & vnà cum eo Babylone profecti ſunt, non item eorum, qui his ſucceſſerant, nomina debuit hic catalogus complecti. Verum vni eidemque viro duo aut plura nomina fuiſſe, non poteſt negari: cum id in alijs genealogijs itidem factum conſtet. Numerorum autem diſcrepantiæ cauſas, niſi vel id, quod in Nehemiæ manus venit, autographum, vel quod ex eo exſcriptum erat, malè deſcriptum eſſe & mendoſum fuiſſe, exemplum concedatur, quas proferamus, vix cogitarim. Quorum vtrum factum fuerit, aut vtut ſe habeant iſti numeri non eſt magnopere laborandum: quando & facilis eſt præſertim in ponendis numerorum notis lapſus, & nihil ub id de veritate rei ipſius decedit. Equidem Vatablus exiſtimat hunc catalogum alium eſſe ab eo, qui deſcriptus extat Eſdræ capite ſecundo. Scholiaſtes Italicus obſeruauit eſſe prope eundem vtrobiq; deſcriptum: ſed inſecta magna quadam literarum & dictionum tranſmutatione, tranſpoſitione ſententiarum, redundantia verborum: idq; factum fortaſſe vel errore eorum qui illum Nehemiæ catalogum deſcripſerunt, vel negligentia quadam Iudæorum.

TABVLA

TABVLA CONTINENS ESDRAE
PARITER AC NEHEMIAE CENSVM.

A	E.	B	N.	C
1	Hi sunt autem prouinciæ filij, qui ascenderunt de captiuitate, quam transtulerat Nabuchodonozor rex Babylonis in Babylonem, & reuersi sunt in Hierusalē & Iudæā unusquisq; in ciuitatem suam.	1	Isti filij prouinciæ qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis & reuersi sunt in Hierusalem & Iudæam, unusquisque in ciuitatem suam.	6
2	Qui venerunt cum Zorobabel, Iesua, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Mesphar, Begai, Rehum, Bahana.	2	Qui uenerant cum Zorobabel Iosue, Nehemias, Asarias, Rahamias, Nahamani, Mardochæus, Belsam, Mespharath, Begoai, Nahum, Baana, Numerus uirorū populi Israel.	7
3	Numerus virorum populi Israel: Filij Pharos duo millia, centum septuaginta duo.	3	Filij Pharos duo millia, centum septuaginta duo.	8
4	Filij Sepharia, trecenti septuaginta duo.	4	Filij Sapharia, trecenti septuaginta duo.	9
5	Filij Area, septingēti, septuaginta quinq;.	5	Filij Area, sexcenti quinquaginta duo.	10
6	Filij Pahath Moab, filiorū Iosue Ioab, duo millia octingenti duodecim.	6	Filij Pahath Moab filiorum Iosue et Ioab, duo millia octingenti decem & octo.	11
7	Filij Aelam, mille ducenti quinquaginta quatuor.	7	Filij Aelam mille octingenti quinquaginta quatuor.	12
8	Filij Zothua nongēti quadraginta quinq;.	8	Filij Zethua nongēti quadraginta quinq;.	13
9	Filij Zachai septingenti sexaginta.	9	Filij Zachai septingenti sexaginta.	14
10	Filij Bani sexcenti quadraginta duo.	10	Filij Bannui sexcenti quadraginta octo.	15
11	Filij Bebai, sexcenti viginti tres.	11	Filij Bebai sexcenti uiginti octo.	16
12	Filij Azgad mille ducenti viginti duo.	12	Filij Azgad duo millia trecēti uiginti duo.	17
13	Filij Adonicam sexcenti sexaginta sex.	13	Filij Adonicam sexcēti sexaginta septem.	18
14	Filij Beguai, duo millia, quinquaginta sex.	14	Filij Beguai duo millia sexaginta septem.	19
13	Filij Adin quadringenti quinquaginta quatuor.	15	Filij Adin sexcenti quinquaginta quinq;.	20
16	Filij Ater qui erant ex Ezechia, nonaginta octo.	16	Filij Ater filij Ezechiæ nonaginta octo.	21
17	Filij Besai trecenti viginti tres.	17	Filij Asem trecenti uiginti octo.	22
18	Filij Ioræ centum duodecim.	18	Filij Besai trecenti uiginti quatuor.	23
19	Filij Hasum ducenti viginti tres.	19	Filij Hareph centum duodecim.	24
20	Filij Gebbar nongenti quinque.	20	Filij Gabaon nonaginta quinq;.	25
21	Filij Bethlehem centum viginti tres.	21	Filij Bethlehem & Netupha centum octoginta octo.	26
22	Viri Netupha quinquaginta sex.	22	Viri Anatoth centum uiginti octo.	27
23	Viri Anathoth centum viginti octo.	23	Viri Beth-azmoth quadraginta duo.	28
24	Filij Azmaueth quadraginta duo.	24	Viri Cariathiarim Cephira & Beroth septingenti quadraginta tres.	29
25	Filij Cariathiarim Cephira, & Beroth septingenti quadraginta tres.	25	Viri Rama & Nebo sexcēti uiginti unus.	30
26	Filij Rama et Gabaa sexcēti viginti vnus.	26	Viri Machmas centum uiginti duo.	31
27	Viri Machmas centum viginti duo.	27	Viri Bethel & Hai centum uiginti tres.	32
28	Viri Bethel & Hai ducenti viginti tres.	28	Viri Nebo alterius quinquaginta duo.	33
29	Filij Nebo quinquaginta duo.	29	Viri Aelam alterius mille ducenti quinquaginta quatuor.	34
30	Filij Megbis centum quinquaginta sex.	30	Filij Harem trecenti uiginti.	35
31	Filij Aelam alterius, mille ducenti quinquaginta quatuor.	31	Filij Hiericho trecēti quadraginta quinq;.	36
32	Filij Harim trecenti viginti.	32	Filij Lod hadid & Ono septingenti uiginti unus.	37
33	Filij Lod Hadid & Ono septingenti viginti quinque.	33	Filij Senaa, tria millia nongenti triginta.	38
34	Filij Iericho trecenti quadraginta quinque.	34	Sacerdotes filij Idaia in domo Iesua nongenti septuaginta tres.	39

E.

35 Filij Senaa tria millia sexcenti triginta.
36 Sacerdotes: filij Iadaia in domo Iosue non
genti septuaginta tres.
37 Filij Emmer mille quinquaginta duo.
38 Filij Phesbur mille ducenti quadraginta
septem.
39 Filij Harim mille decem & septem.
40 Leuitæ: filij Iesue & Cedmiel filiorum O-
douiæ septuaginta quatuor.
41 Cantores: filij Asaph, cẽtum uiginti octo.
42 Filij Ianitorum: filij Sellum, filij Ater, filij
Thelmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai:
uniuersi centum triginta nouem.
43 Nathinæi: filij Siba, filij Hasupha, filij
Tabbaoth.
44 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon.
45 Filij Lebana, filij Hagaba, filij Accub.
46 Filij Hagab, filij Semlai, filij Hanan.
47 Filij Gaddel, filij Gaber, filij Rahaim.
48 Filij Rasin, filij Necoda, filij Gazar.
49 Filij Aza, filij Phasea, filij Besee.
50 Filij Asena, filij Munim, filij Nephusin.
51 Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Hathur.
52 Filij Besluth, filij Mahida, filij Harsa.
53 Filij Bereos, filij Sisara, filij Thema.
54 Filij Nasia, filij Hathipha.
55 Filij seruorum Solomonis, filij Sotai, filij
Sophereth, filij Pharuda.
56 Filij Iala, filij Dercon.
57 Filij Geddel, filij Saphathia, filij Hatil, filij
Phochereth qui erant de Asebaim, filij Ami.
58 Omnes Nathinæi, & filij seruorum Salo-
monis, treccenti nonaginta duo.
59 Et hi qui ascenderunt de Thelmela, Thel-
harsa, Cherub, & Adon & Emmer: & non
potuerunt indicare domum patrum suorum,
& semen suum num ex Israel essent.
60 Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda, sex-
centi quinquaginta duo.
61 Et de filijs sacerdotum, filij Hobia, filij Ac
cos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus
Berzellai Galaaditis uxorem, & uocatus est
nomine eorum.
62 Hi quæsierunt scripturã genealogiæ suæ,
& nõ inuenerũt et eiecti sunt de sacerdotio.
63 Et dixit Athersata eis, ut non comederent
de sancto sanctorum, donec surgeret sacer-
dos doctus atq; perfectus.
64 Omnis multitudo quasi uir unus, quadra-
ginta duo millia trecenti sexaginta.
65 Exceptis seruis eorum et ancillis, qui erãt
septem millia trecenti triginta septem: & in
ipsis cantores atq; cantatrices ducenti.
66 Equi eorum sexcenti triginta sex: muli eo
rum ducenti quadraginta quinque.
67 Cameli eorum quadringenti triginta quin
que: asini eorũ sex millia septingenti uiginti.

N.

35 Filij Emmer mille quinquaginta duo. 40
36 Filij Phashur, mille ducenti quadraginta 41
septem.
37 Filij Aren mille decem & septem. 42
38 Leuitæ filij Iosue & Cedmiel. filiorum. 43
Oduiæ septuaginta quatuor. 44
39 Cantores: filij Asaph centum quadragin- 45
ta octo.
40 Ianitores: filij Sellum, filij Ater, filij Tel- 46
mon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobaia cen-
tum triginta octo.
41 Nathinæi filij Soba: filij Hasupha, filij 47
Thebbaoth.
42 Filij Ceros, filij Siaa, filij Phadon. 48
43 Filij Lobana, filij Hagaba, filij Salmai. 49
44 Filij Hanon, filij Gaddel, Gaher. 50
45 Filij Rabaia, filij Rasin, filij Necodæ. 51
46 Filij Gezem, filij Aza, filij Phasea. 52
47 Filij Besai, filij Munim, filij Nephusim. 53
48 Filij Bacbuc, filij Hacupha, filij Harhur. 54
49 Filij Besioth, filij Mahida, filij Harsa. 55
50 Filij Bercos, filij Sisara, filij Thema. 56
51 Filij Naia, filij Hatipha. 57
52 Filij seruorum Salomonis, filij Sotai, filij 58
Sophereth, filij Pharida.
53 Filij Iahala, filij Dareon, filij Ieddel, filij 59
Saphatia, filij Hatil, filij Phocbereth, qui e-
rat ortus ex Sebaim filio Amon.
54 Omnes Nathinæi, filij seruorum Salomo- 60
nis, trecenti nonaginta duo.
55 Hi sunt autem qui ascenderunt de Thel- 61
mela, Thelharsa, Cherub, Abdon & Hem-
mer, & non potuerunt indicare domum pa-
trũ suorũ, et semẽ suum utrũ ex Israel essent.
56 Filij Dalaia, filij Tobia, filij Necoda sex- 62
centi quadraginta duo.
57 Et de sacerdotibus filij Habia, filij Accos, 63
filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzel
lai Galaaditis uxorem & uocatus est nomi-
ne eorum.
58 Hi quæsierunt scripturã suam in censu, & 64
non inuenerunt: et eiecti sunt de sacerdotio.
59 Dixitq; Athersata eis ut non manducea- 65
rent de sanctis sanctorum, donec staret sacer
dos doctus eruditus.
60 Omnis multitudo quasi uir unus quadra- 66
ginta duo millia sexcenti sexaginta.
61 Absq; seruis & ancillis eorum, qui erant 67
septem millia trecenti triginta septem & in
ter eos cantores & cantatrices, ducenti qua
draginta quinq;.
62 Equi eorum septingenti triginta sex: muli 68
eorum ducenti quadraginta quinq;.
63 Cameli eorum quadringenti triginta quin 69
que, asini sex millia septingenti uiginti.

Nos

Nos vtrumque catalogum in vno folio descriptũ hic apponimus: duabus columnis peculiaribus videlicet alterum ab altero separatum. Quarum priore catalogus Esdræ ponè signum A. Esdræ versuũ numerũ habet: posteriore Nehemiæ catalogus iuxta signũ C. Nehemiæ capitis sept. versuũ numerum habet: medio inter vtramque columnam loco, iuxta signum B. numerus catalogi Nehemiæ positus habetur. Idque factum est propterea, vt & catalogus alter cum altero conferri, & ad vtriusque exemplum probari collatio nostra facilius tantò queat. Cumque indecorum & sane quàm molestum esset eadem bis repetere: prætermissis ijs, quæ in Esdræ expositionem sunt relata, nunc ea solum quæ peculiaria Nehemias habet, attingimus. Intelligendũ est autem ante omnia, quod sexto capitis sui septimi versu Nehemias catologũ illũ auspicatur, quẽ Esdras initio sui capitis secundi videlicet versu primo inchoauit. Quò fit vt exempli Nehemiæ versus sextus incidat in Esdræ primum. Erit autem ob id minus difficultatis in conferendo, quod vtriusque catalogi, pariter atque capitis numeri suis sint locis assignati.

Secundo catalogi versu post Nehemiæ nomẽ proximo loco ponitur in Esdra nomen Saraiæ eo qui hic nominatur Azarias: Eodem mox versu hic Rahamias illic Rahelias. Nahamani qui hic ponitur, isthic prætermittitur. Hic etiam ponitur Mespharath, qui isthic dicitur Mesphar. Et pro nostro Nahamo, Esdras habet Rehum. Asarias, vel Azarias, Hebraicè עזריה significat auxilium Domini vel atrium Domini. Eodem nomine Ozias filius Amasiæ regis Iudæorum 4. Reg. 14. & 2 Par. 26. itemque sacerdos quidam 2. Par. 26. & filius Iohanã 2. Par. 28. item filius Etham 1. Par. 2. & alius 1. Par. 6. appellantur. Quis hic fuerit nõn dicitur quidem, principem tamen virũ fuisse verisimile est, cum inter eos numeretur. Raamias Hebraicè רעמיה significat tonitru Domini, malum à Domino, socium à Domino, pastorem à Domino. Conueniens principi viro nomen, qui terrorem malis incutere & afferre, & pastores populi, & in populo gubernando quasi collegæ & socij Dei videntur esse. Quis hic fuerit, non dicitur alibi. Nahamani Hebraicè נחמני dicitur: exponunt consolatorem, pœnitentem, munus quietis, præparationem quietis. Nusquam alibi quod sciam fit eius mentio. Mespharath Hebræa lingua מספרת numerantem vel narrantem vel tributa augentem significat: מספר autem numerum, vel narrationem, vel librarium aut scribam significat. Fieri possit, vt vni viro nomen vtrumq; datum fuerit: cum tam paruo discrimine alterum ab altero distet. Nahum, qui Hebræa lingua נחום dicitur, consolatorem, vel pœnitentium ducem significat. Est & prophetæ nomen, cuius adhuc extat liber.

Versu quinto differunt exempla numeris. Hic enim 652. in Esdra autem 775. ponuntur. Itidem in sexto: hic 2818. illic vero 2812. Et septimo, hic 1854. illic 1254 Et decimo, hie 648. illic 642. Vndecimo, hic 628. illie 623. Duodecimo, hic 2322. illic 1222. Decimò tertio, hic 667. illic. 666. Decimoquarto, hic 2067. illic 2056. Decimo quinto, hic 5655. illic 454.

Decimo septimo dein catalogi Nehemiæ versu filij Asem 328. numerãtur, quorum Esdras nullam in suo mentionem facit. Et qui hie versu decimo octauo 324. filij Besai ponuntur: hi isthic decimo septimo 323. numerantur. Vnde & diuersi numeri versuum existunt. Omittuntur etiam in Esdra 112. filij Hareph qui hic 19. versu ponuntur. Asem autem Hebraicè חשם dicitur: nec alibi, quod sciam, eius fit mentio: nec vnde sit nominis interpretatio deducenda, certi quidquam affirmarim.

Qui vero vigesimo vtriusque catalogi versu in Esra filij Gebdar nongenti quinque: vel, vt est annotatum ad marginem, nonaginta quinque memorantur: hi in Nehemiæ nostri catalogo filij Gabaon nonaginta quinque dicuntur. Miror autem in ipsam orationem Esræ qui irrepserit numerus tantò maior: cum etiam Hebraica verba Esdræ non diuersum habeant numerum ab eo quem Nehemias posuit hoc loco.

Versu vigesimo primo cum Esras filios Bethlehem solos 123. refert, hic Nehemias eodem versu filios Netupha coniungit: quorum in Esra quinquaginta sex numerantur. Qui licet in vnã summam ambo redigantur: superat tamen adhuc 9. hominibus numerus is quem ponit Nehemias. Sed & ex eo quod Bethlehemios & Netuphanos duobus Esdras, Nehemias autem vno tantum versu, recenseat, iterum versuum dispar numerus existit.

Vigesimo quarto versu quadraginta filij Asmaueth numerantur, quorum nullam hic mentionem facit.

Vigesimo quinto catalogi Nehemiæ versu viri Rama & Nebo referũtur cũ in Esra pro Nebo Gabaa ponatur. Fuit etiam Nebo vrbs ad Rubeniam tribum pertinens è regione Hierichuntis. Verum interpretes quidam putant hic proprium viri nomen esse. Sed cum aliarum vrbium hic mentio fiat: verisimilius est, vrbis quàm viri nomen esse. Aliàs נבו nomen Hebræũ prophetiam vel locutionem significat.

Vigesimo septimo Nehemiæ catalogi versu viri Bethel & Hai 123. numerantur: quorum in

Esræ vicesimo octauo versu 223. ponuntur. Sequenti versu Nebo alterius meminit Nehemias & in eo conuenit in numero cum Ezra.

Trigesimo versu Nehemiæ filij Harem 320. memorantur: pro quibus eodem Esræ versu filij Megbis 156. numerantur. Harem autem vel Harim Hebraice : חרם charim significat destructum anathemate plexum, rete, & eum qui sit Deo consecratus. Est & nomen sacerdotis 1. Par. 24. meminit eorundem etiam Esdras vers. trigesimo secundo.

Trigesimo secundo Nehemiæ versu filij Lod & cęterorũ 721. in Esdra autẽ numerantur, 725.

Versu trigesimo tertio filiorum Senaa 3930. numerat: cum Esras trigesimo quinto versu tantum sexcentos triginta supra tria millia ponat.

Trigesimo septimo Nehemiæ versu pro Aren legendum est Harim sicut habent Hebræa verba in Esræ pariter ac Nehemiæ libris.

Trigesimo nono versu Nehemias habet cantorum 148. cum Esras quadragesimo primo versu catalogi sui viginti octo solum numeret supra centum.

Quorum deinde quadragesimo versu Nehemias 138. refert, horum apud Esram quadragesimo secundo versu, vno plures numerantur.

Quadragesimo tertio versu Nehemias vltimo loco Salmai filios refert cum filijs Lobana & Hagaba: quos Esras prætermittit.

Quadragesimo quarto Nehemias filios Hanon refert: quos Esras prætermittit: itẽ filios Gaddel, quorum vers. 46. meminit Esras: denique Gaher Nehemias hoc, quos 47. refert Esras.

Quadragesimo quinto Nehemias filios Rahaia quos Esras 47. recitat & Rasin, quos 48. Esras: & Necoda, quos eodem versu Esras habet.

Quadragesimo sexto memorantur Gezem, Aza, Phasea: quoque primi in Esra nusquam, nisi Gazan, quorum 48. meminit, pro Gezem dictos putes: secundi quadragesimo nono, tertij eodem referuntur.

Quadragesimo septimo Besai, Mumim, Nephussim memorantur: quorum primi nusquam, secundi & tertij quinquagesimo versu. apud Esram nominantur.

Quadragesimo octauo filij Bakbuc, Hacupha, Harhur nominantur: quorum primos & secundos quinquagesimo primo, Tertiorum loco Hathur Esras ponit. Quanquam videtur subesse mendum.

Quadragesimo nono Besioth Mahida, Harsa referuntur: quorum secundos & tertios Esras quinquagesimo secundo: & pro primis Beslnth ponit.

Quinquagesimo eosdem omnino recenset quos quinquagesimo tertio catalogi sui versu recitat Esras. Proximo post versu vulgata versio filios Nahia ponit: quos Esras quinquagesimo quarto Nasia vocat: Hebraica veritas vtrobique נציח appellat.

Quos deinde Nehemias 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. & reliquis ad catalogi finem vsque versibus refert: eosdẽ etiã Esras 55. 56. 57. & reliquis ad catalogi sui finẽ vsq; versibus omnibus recenset. Sed quod 53. versu Nehemias de Sebaim filio Ammon habet: id in Esra habet hoc modo: qui erãt de Asebaim filij Ami. Vterq; locus sic expressus est nominibus Latinis vt Hebræa verba sonant. Diuersi quoque numeri filiorum Dalaia ponũtur: Esdras enim habet 652. Nehemias contrà 642. tantum. Discrepantes sunt numeri illi quorum Nehemias sexagesimo, Esras sexagesimo quarto meminerunt: auget enim Nehemias numerum ab Esra positum trecentis personis: sicut & quadraginta quinque cantores addit ijs quos Esras numerarat. Sed & equos centum ijs addit quos Esras habet.

Apparet autem vtrobique eum in nominandis illis ordinem obseruari, vt primo loco duces, & vnà pontificem summum: proximo familiarum, & nonnullàũ etiam vrbium nomina recenseri: tertio sacerdotes, Leuitas, cantores, ianitores, Nathinęos, filios seruorum Solomonis ceu sacerdotum administros: postremo eos, qui cum Iudæis ascenderant. Berzillai ille, cuius mentio fit versu quinquagesimo septimo fuit de Manassea tribu oriundus: huius nomen vnà cum ducta in vxorem filia quidam assumpsit. Hatirsatæ nomen Nehemiæ quoque tributum fuit: quemadmodum aliàs est etiam in his commentarijs de eo dictum. Quæ de sanctis sanctorum dicuntur, ea ad panes propositionis, & ad victimas pro peccato & delicto vt vocant, oblatas, & reliquos generis eiusdem cibos, qui solis sacerdotibus ad victum erant concessi, referuntur. Horum esu Nehemias ijs interdixit, quos non certò constabat oriundos genere sacerdotum. Id enim vt fieret, lex præcipiebat. Obseruandum est item quòd & Nehemias catalogi sui 59. & Esdras 63. sui versibus habent ambo: donec surgeret sacerdos doctus atque perfectus: id Hebræis verbis vtriusque sic efferri. עד עמד הכהן לאורים ותמים, id est, vsque dum staret sacerdos ad vrim & Thumim. Hæ voces significant lumina & perfectiones Hebræis, si verbum verbo sit reddendum. LXX. Interpre-

tes

tes δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν vertunt. Extat autem Exod. 28. descriptum pectorale summi pontificis quod Hebræi חשן, Græci λογεῖον vocant: in quo iubet Dominus vrim & Thumim poni & inscribi tetragrammaton nomen Dei: quo sacrosanctæ Triadis oomen indicatur. Hanc scripturam tradunt illuminationis & perfectionis multæ & variæ nomine appellari: quod mens hominis ac præsertim sacerdotis summi, qui mortalibus reliquis prælucere perfectione & sapientia debet, his ipsis illustretur ac perficiatur. His autem Hebræi pontifices olim ad exquirendum de rebus dubijs ac controuersis iudicium Dei sunt vsi. Quemadmodum ex Num. 27. & 1. Reg. 23. alijsque scripturæ sacræ locis intelligi potest. Nos hac de re tota, atque etiam de reliquis in hoc catalogo reconditis documentis quid sit statuendum ad Esdram nostrum plura.

70 Nonnulli autem de principibus familiarum dederunt in opus: Athersatha dedit in thesaurum, auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas sacerdotales quingentas triginta.

71 Et de principibus familiarum dederunt in thesaurum operis, auri drachmas viginti millia & argenti mnas duo millia ducentas.

72 Et quod dedit reliquus populus, auri drachmas viginti millia & argenti mnas duo millia & tunicas sacerdotales saxeginta septem.

73 Habitauerunt autem sacerdotes & Leuitæ & ianitores & cantores & reliquum vulgus & Nathinæi omnis Israel in ciuitatibus suis.

Vrbanæ custodiæ & census acti descriptionibus deinceps contributionis pecuniæ publicæ descriptio succedit: admodum commoda à census acti descriptione facta transitione. Id enim censu Nehemias egerat, vt & augendæ ciuium multitudinis, & colligendæ pecuniæ publicæ ratio pariter appareret. Iam eo quod donationes in vsus publicos factas refert, quasi cẽsus acti fructũ monstrat. Quatuor autem partibus hæc descriptio omnis perficitur: quarum prima personæ à quibus contributio facta fuit, nominantur: secunda finis, quem in colligenda pecunia propositum habuit, indicatur: tertia, quę qualesque factæ fuerint donationes, demonstratur: quarta quæ sint illam contributionem consecutæ vtilitates. A quibus autem fuerit hæc contributio facta, certis quibusdam indicijs per totam narrationem sparsis significatur. In primis memorabile est, quod Athirsata dicitur peculiarem quandam donationem fecisse. Quis vero fuerit Athirsata, infra capite octauo indicatur: nimirũ ipse Nehemias. Studuit ille nimirum hac liberalitate reliquos ciues ad dandum inuitare: velut antea quoque subleuandæ inopiæ eorum, qui iniquis exactionibus fuerant exhausti, plurima de suo dedit. Monentur hoc exemplo viri principes, vt ante omnes sibi id præstãdum arbitrentur, quod ab alijs postularint. In principum enim exemplum reliqui ciues sunt intenti, seque ad id componũt. Sequuntur huius exemplum principes patrũ, quos ראשי האבות, LXX. ἄρχοντες τῶν πατριῶν appellant, id est, capita, principes, patres familiarum. Hi dando officium suum præclarè faciunt: vt qui sequuntur exemplum præeuntis in honesta piaque actione principis sui: qui suo exemplo reliquum post se vulgus trahunt: qui se patriæ patres pręstant: qui suarũ opum vsum atq; fructum in commune conferunt. Et certè diuitum interest, vt quo plus habent, hoc plus pręstent. Eodemque modo Seruius Tollius apud Romanos censum instituit, vt quo quique ditiores essent, hoc tributa maiora patriæ darent. Hos secuti sunt etiam reliqui ciues. Nemo non dedit. Omnes meminerint se reipub. debitores esse: ac quantumuis parum opum possideamus, tamen de eo ipso quantum superest, reipub. demus. Iam in quos vsus fuerit contributio facta, itidem sparsis per vniuersam narrationem notis docet. Quarũ hæc est prima, quod dicit, in opus. Operis namq; nomine instaurationis opus intelligi, vel ex anteactis colligi potest. Altera nota est, quod thesaurũ dicit. Thesaurũ enim אוצר ab אצר colligendi seu cõdendi & reponendi verbo Hebræi deriuato nomine appellant. Ergo hac contributione colligere pecunias, quæ reponerentur, voluerũt. Tertia nota fuerit, quod dicit thesaurum operis: hoc est, vt essent ad operis huius conseruãdi sumptus sustinendos pecuniæ paratæ. In his notis videre est, quarum rerum caosa necessarium sit, vt pecuniæ publicæ suæ cuique sint ciuitati: nempe ad ædificia publica extruenda: vt mœnia, compita, templa, fora, curias, & generis eiusdem alia: ad thesauros, è quibus, seu bellum, seu calamitates, seu aliæ res graues incidant, pecuniæ necessariæ promantur. ad ædificia quæ iam antè sunt extructa, sarta tecta conseruanda. Atque in his quidem notis videmus elucere causas, quibus viri graues & prudentes adducti sunt huc, vt existimarint quoquo modo suas reipub. facultates cum acquirendas, tum etiam integras conseruandas. Inde sane existunt sua cum fisco tum ęrario priuilegia constituta. Cuiusmodi sunt, quod eorum, qui censentur, bona, vice pignorum tributis obligata sunt,

l.j.C.quib.cau. pign. tacitè cõtrah. quod item eorum qui cum fisco contrahunt bona vice pignoris obligantur, & si id certis verbis non exprimatur. Semper enim fiscus habet ius pignoris, vt scribit Hermogenianus in l.aufertur.de iure fisci. Sed & in ijs ciuitatibus, quæ principum instar dominantur, æraria prorsus idem ius habent. Quemadmodum Paul.in l.penul.ff.de priuileg.credit. ait: Respub.creditrix omnibus chirographarijs creditoribus præfertur. Hæc illi constituerunt ob id solum, quòd colligi, augeri, conseruari publicas opes, esse de salute publica censuerunt. Quæ quantæque factæ sint donationes, partim formæ, partim materiæ, partim quantitatis notatione, declarat. Ad formam pertinet, quod phialas ac tunicas sacerdotales donatas dicit. Phialas vulg. versionis author dicit, quas Hebræi מזרקות hoc est, quæ spargendis aquis apta sunt vasa, à זרק spargendi verbo deriuato nomine appellant. φιάλας etiam LXX. Interpret. vertunt. Equidem φιάλη ἡ πλατεῖα [illegible], id est poculum satis largam potionem præbens Græcis dicitur. Verisimile est & hæc vel pocula, vel aquis recipiendis & aspergendis apta vasa fuisse. Verum aurea ne an argentea, an vero stannea fuerint, incertum. Si pocula fuerint, aut aurea, aut argentea crediderim fuisse. Ex vtraque materia priscis fabrefactas constat. Aureũ Philippi regis phialam Græci celebrant, quod puluinum suppositum habere consueuisset: sicut agnam auream Atrei celebrat Herodotus, indicans argenteam phialam fuisse, in cuius medio signũ aureæ agnæ extaret. Quas autem sacerdotales tunicas vulgatæ versionis author vertit, has כתנות כהנים, id est, tunicas sacerdotum Hebræi, στολὰς ἱερέων, id est, sacerdotum stolas LXX Interpretes in editione Complutensi, in alijs exemplaribus χεθωνὼθ, Hebræa voce relicta, vocat. Equidem vox Hebræa, si puncta mutentur, præsertim hatephcametz in hirec: admodum affinis est χιτὼν Græco nomini. Qua de causa chitonis, quàm stolæ nomine verti malim. Stolæ enim nomen communius est: quippe cuius nomen sit ἀπὸ τοῦ στέλλομαι, est, induor, deriuatum: ac modo principibus aut bene meritis viris conueniens vestis genus, significet: velut apud Plutarchum in Alexandro victori illi dicitur datum στολὴ περσικὴ χρῆσθαι, id est, vt stola persica vti posset: modo significet ὁδοιπορικὴν ἐσθῆτα, id est, viatoriam vestem, vt apud Herodianum in Quinto, cum de fuga Macrini scribit. Quin & inter eas vestes stola numeratur, quæ longissimæ sunt, & ad imos vsque pedes demissæ, & penè propriæ mulierum: quas stola contingi, sumptaque vitta vetat, inquit Ouidius. Quanquam sacerdotibus talares vestes omnium gentiũ indicio quasi decretas vsu compertũ habemus: velut ait Vergilius: Nec nõ Threijcius longa cũ veste sacerdos. Chitones autem peculiare quoddam vestium genus, quale etiam hoc loco videtur dici, constat. Equidem Suidas tenue quoddam idque lineum vestis genus videtur dicere & ex Xenophonte ostendere. Quo propè videtur Eustathius etiam alludere, cum Il.j. dicit παρὰ τὸ ἐγχεῖσθαι τῷ σώματι, id ex eo quod corporibus quasi affundi aut circũfundi videantur, dici putat. Vnde & ποδήρης χιτὼν Atheniensibus vsitata talaris: & [illegible], qua Phryne scortum nobile apud Athenæum vsa scribitur. Sed & ex lana factas id esse fortassis indicio possit, quod chitones [illegible] apud Polybium libro tertio memoratur. Constat etiam ex sacris literis, Pontificum Hebræorum vestibus suis limbos fuisse. Hæc dum postrema genera videntur in vsus sacros collata. Materiam autem ex forma colligi non est obscurum: aurum videlicet & argentum, & telam siue lanam. Et aurum quidem in thesauris ideo maximè deponi solet, quod magni precij cum sit minimum tamẽ spacij requirit: quod cum putredinem & rubiginem nunquam admittat, optimè & diutissimè duret: quod splendore etiam suo excellat cæteris metallis. Quò fit vt & viri principes, & priuati quique seu agricolæ seu ciues id in thesauris condant. Veluti in fabulis & Polydorum Priami filium apud Thracum regem magna cum auri vi depositum, & Gygis, Crœsi, Darij, Solomonis, Dauidis, aliorum auri magnam copiam, & Euchlionis apud Plautum thesaurum legimus. In sacris autem & ad honorem diuinum adhiberi ipsum nec mirum est, nec rarum. Etenim & splendore nescio quam maiestatem regni, & perpetuitate sua quasi quandam castitatem, sanctimoniam, tristitię affectusque omnis expertem vitam, & diuinitatem repręsentat. Qua ratione ductus Proclus Diadochus auream sub Saturno peractam vitam, καθαρὰν καὶ ἄλυπον καὶ ἄναφη, id est, puram, tristitia ac perturbatione prorsus omni vacantem appellauit. Vnde & Dauid atque Solomon Hierosolymis, & Midas Gordis filius, ác Gyges apud Delphos aurum posuerunt: & Magi apud Matthæum Christo Domino recens nato aurum dono attulerunt. Sed & ex Italia & ex omnibus prouincijs aurum, quod Iudaicum in historijs appellatur, in templum Hierosolymitanum religionis ergò oblatũ memoratur. Auro dein argenti preciũ proximè accedit. Etsi enim id auro sit aliquanto vilius: tamen ipsum etiã cõmodissimè & diutissimè potest asseruari. Qua ratione ducti principes, eũ ἐπίσημον, id est signatũ, tũ ἄσημον, id est rude argentum in thesauris suis deposuerunt. Iam seu vestes illæ sint ex lana, siue ex tela factæ, minimè contemnendum munus fuit: quando Laodicensis, Milesia, Græca, Apula, Asiatica, multæque aliæ lanæ celebres, maximoq; in precio fuere: & linum etiam ipsum omnis ordinis hominibus regibus & sacerdotibus vsitatum & diuinis rebus dedicatum fuit. Etenim Amasis Ægyptij re-

ptij regis thorax linea in Rhodo insula, in Mineruæ templo, pro re & preciosa & quasi diuina multis annis fuit ostentata. Et Ægyptij sacerdotes præsertim in Isidis sacris vestes lineas induerunt: velut iudicat Ouidius, cum dicit:

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Eam autem ob causam diuiuis rebus conueniens esse linum veteres iudicarunt, quod & ex immortali, vt dicebatur, tellure proueniret, & minimè φθειροποιὸν, id est, pediculos producens esset: prætereaque purissimam ac leuissimam vestem suppeditaret. Harum autem donationum magnitudinem & præstantiam non minus earū quantitas pondere scilicet ac numero definita, quàm materia & forma augent. Etenim Athersatha auri drachmas mille, phialas quingentas, tunicas quingentas triginta dedisse dicitur. Munus profectò principe dignum. Nomen Hebræum דרכמונים darcemonim affine est admodum Græco δραχμάς: præsertim si punctis alijs transpositis alijs prætermissis, pro darcemonim, drachmonim legamus. Dicitur autem apud Græcos δραχμὴ ἡ ἑκατὸν μὲν ... Hęc quemadmodum ex Demosthenis ... oratione colligunt eruditi, centesimam partem Atticæ minæ valet. Iam si non alia Hebræis quàm Atheniensibus vel mina vel drachma fuit, aut si pondere Attico Nehemias suū munus dedit, Atticas minas decem dedit iu drachmis mille. Existimaut autem Atticam minam vuam aureos Gallicos sole insignes decem valuisse. Qua ratione Gallicos aureos centum dedisset. Ac nisi lege definitum pondus auri & argenti in ijs præsertim, quæ in templum inferebantur donis obseruandum religione ducti soluendum censuerunt: verisimile est alienarum gentium vsu adeo multo & longo factū, vt Græcis ac Persicis potius quàm patrijs vsi sint ponderibus & mensuris. Aliàs Hebręorum mina apud Ezechielem cap 45. dicitur siclis sexaginta constitisse. Et si siclum triginta crucigeris æstimemus, mina Hebraica florenos Germanicos triginta cōtinebit, ac minimum quatuordecim florenis Germanicis, vt nunc æstimantur aurei sole insignes, minam Atticam superabit. Drachma autem vnciæ pars octaua censetur: in terna scrupula diuiditur, quorum viginti quatuor vncia capit: pondus denarij Romani, sicut æstimat Budæus: putant circiter cruciferos septem. Quod si sit, minus erit, quàm paulo ante sit æstimatum in minis. Mille enim drachmæ facient septem millia cruciferorum: qui in sexaginta diuisi 116. florenos Germanicos & crucieferos quadraginta dabunt. Vtram autem æstimationem recipiamus, haud exigua munera videmus contributa. Ac si materiam, formam, quantitatem factarum donationum consideremus: non vulgaria ad ecclesiæ simul ac reipub. commoda prouehenda, documenta capiemus. Nam quoad illud factum attinet, par est vtrobique ratio. In primis autem discimus omnium bonorum ciuium interesse, vt quoquo modo possint patriam & ecclesiam iuuent: ac quemadmodum hic alius aurum & argentum, alius vasa, alius vestes contulit: itemque alij plus, alij minus contulerunt, quodq; quisque potuit, id fecit: denique in his colligendis donis principes arte & industria sunt vsi: sic sanè erit nostrum, & quod quisque habet, & quantum quisque potest: idipsum, & tanto pondere & numero sibi dandum arbitretur. Quis enim vel quod non habet, vel plus quàm potest aut habet suppeditaret? Petrus & Ioannes claudo ad fores ædis Hierosolymitanæ sedenti dicebant, aurum & argentum sibi nullum esse, quod autem haberent sanandi illius donum, id se ei collaturos. Moses fortitudinis & prudentiæ, Aharon eloquentiæ fructum ecclesiæ conferebant. Aliter Aioth, aliter Samson patriam adiuuerunt: aliud Dauid, aliud Solomon patriæ beneficium dedit: alio obstetrices Ægyptiæ, alio Abdias officio ecclesiam conseruarunt. Phileni fratres, Decij, Curtius, Theseus vitā pro patria profuderunt: sicut de Theseo Catullus cecinit:

Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proijcere optauit

Thrasybulus & Aratus Sicyonius suis ciuitatibus & vitæ & pecuniæ cum periculo opem attulerunt. Pieria Pythi clarissimi viri filia, cum inter Iones Milen incolas & Nelei posteros graue dissidium esset, ipsa ad pacificationem res adduxit, eo quod ipsam amanti Phrygio nuberet, ea lege vt sublato bello pax patriæ redderetur. Quod Polyenus memorat libro octauo. Placidia soror Honorij Cæsaris, cum Ataulphus rex Gothorum captam abs se Romam vnà cum nomine delere, Gothiam condere, & Imperatores eius Ataulphos nominare decreuisset, precibus suis interpositis effecit, vt consilium mutaret. Quemadmodum igitur prior matrimonio, sic illa deprecatione placida, patriam seruarunt. Varia sunt Dei dona: gratia valuit Placidia, forma præstans Pieria fuit: sui quæque boni fructum patriæ promptè & liberaliter impertiuit. Eodemq; modo alius opibus, alius authoritate & potentia, alius ingenio, alius eloquentia studeat patriam & ecclesiam adiuuare. Iam & illud est obseruandum, quod facultas dantis magis debet spectari quàm dati muneris magnitudo: ne si paria pondere, numero, mensura esse velimus, quæ dantur, inæqualitas pugnās cum proportione dantium inuehatur. Quemadmodum enim in honoribus & officijs conferendis, Ge

in pecunijs contribuendis teneri proportio geometrica debet : quod perinde esset iniquum, si tria millia aureorum posſidens non minus in publicum conferre teneretur, quam qui nouem millia habet : atque est ab omni proportione alienum, si de 3. æquè multum subducas atque de nouem. Velut autē pulchrè sibi cōueniens est planeq; Geometrica proportio, si de 3. demas, 1. & de 9. subtrahas 3. sic æqualitas est iustitiæ ciuili conueniens, eum qui tria millia posſidet vnam centuriam, & eum qui nouem millia habet tres centurias dare. Similem sanè rationem Dominus apud Lucam de ijs, qui in gazophylacium munera mittebant, habere se significauit, quando dicit viduam illam, quæ tantum æra minuta duo illuc contulerat, omnium plurimum dedisse. Quin etiam Paulus eam habendam in dando rationem monet, vt ne studio alios iuuandi, nos ipsos in angustias conijciamos.

Quæ vero contributionē illam consecutæ fuerint vtilitates postrema tractationis huius parte docet, cū dicit: Habitauerūt autem sacerdotes &c. nimirū, vt in sua quique ciuitate & possesſione tranquillam pacatamque vitam agere possent. Cum enim sacerdotum, Leuitarum, ianitorum cantorum, reliqui vulgi, Nathinæorum, omnis Israelis nominibus, & populum vniuersum, & ordines in eo singulos notet: præterea eo, quod dicit hos ipsos in ciuitatibus suis habitasse, nō obscurè significat ipsos vti frui rebus suis liberè potuisse. Quibus notis & humanarū societatum, & rerum, quæ in ciuitate quaq; instituūtur ac gerūtur, omniū & ciuitatis ipsius, finis nempe [illegible], id est, bene beateque viuere, & vt quis sibi ipsi sustentando sufficiat, vel etiam [illegible], hoc est fœlix ac fortunatus status, indicantur. Ob id enim homines in societatem coeunt, quod vident se destitutos aliorum hominum ope & consilio per se consistere non posse : tum & ciuitates constituunt, & in his ad eū finem omnia dirigunt ac conuertunt, vt hæc omnia bona pleniora maioraq; consequantur. Quod Aristoteles in Politicis partim lib. 1. cap. 2. partim lib. 3. cap. 3. pulchrè docet ac probat. Idque videtur Nehemias dicere etiam eo, quem Hierosolymis egit, censu se consecutum esse. Eius autem exemplum documento est principibus viris opus esse, vt arte & iure bona publica, vel pecunias, aut thesauros congerant : quod hæc res ijs adiumento sit non paruo, qui ad fœlicem societatis ciuilis statum tendunt. Qua in re prudentiores, iustiores, mitiores alijs alij fuere. Darius Histaspis filius primus tributa Persis imposuit, cum antea munera Persicis regibus solum offerrentur: eademque per præfectos exacta post dimidia sui parte remisit, eoque subditos iterum demulsit. Chabrias Thamo Ægyptiorum regi pecunijs indigenti consuluit, vt iuberet incolas aurum aliaque contribuere, & pro ijs quæ dabantur tributa aliâs debita remisit. Quorum alterum libro septimo, alterum tertio Polyenus refert. Iphicrates Atheniensibus suasit, vt ædificia prominentia resecari mandarent, ac postea ciuibus pro ea re pecunias pendentibus integras sinerent ædes, sicque pecunijs emungerent ciues, ærarium locupletarent. Ephesij mulieribus aureorū ornamentorum vsu interdixerunt, ac postea aurum ab ipsis mutuo acceperunt. Possent item Mausoli Cariæ regis & aliorum exempla commemorari. Illa sufficiunt ad id, vt quæ sint artes pecuniæ publicæ colligendæ, & quantopere hæ ciuitatibus & prosint, & necessariæ sint, intelligatur. Nehemiæ certe profuit hoc fecisse, permultum.

CAPVT VIII.



Ctauo capite illo duorum festorum celebrium descriptiones proponuntur : quorum prius tubarum festum vocabatur: posteriori datū à tabernaculis nomen fuit. Ac quanquam medio inter hæc ambo temporis interuallo, tertium quoddam celebrare Iudæi consueuissent, quod expiationis festum illi nominabant: eius ipsius tamen descriptionem iam Nehemias prætermittit: seu quod ipsum tunc non fuerit celebratum, seu quod verisimilius est, celebratum quidem, sed alia tamen de causa nunc ipsius celebratio non memoranda videretur. Duabus igitur partibus caput hoc est distributum: quarum vna prioris, altera posterioris festi descriptio proponitur.

ET venerat mensis septimus: filij autem Israel erant in ciuitatibus suis.
2 Congregatusq; est omnis populus quasi vir vnus ad plateam
quæ est ante portam aquarum : & dixerunt Esdræ scribæ vt afferret li-
brum legis Moysi, quemadmodum præceperat Dominus Israeli.
3 Attulit ergo Esdras sacerdos legem coram multitudine virorum
& mulierum cunctisque qui poterant intelligere in die prima mensis
septimi.

Et legit

4 Et legit in eo apertè in platea, quæ erat ante portam aquarum de mane vsque ad mediam diem in conspectu virorum & mulierum & sapientium: & aures omnis populi erant erectæ ad librum.

Maximum autem Nehemias ambabus descriptionibus illis, eo ipso claritatis lumen affert:
quod prioris descriptionis initium ab illustri temporis notatione, à commodissima quadam ad
propositam narrationem transitione, à rerum ad vtrunque festum pertinentium descriptione du-
cit. Et ab eiusmodi quidem notatione temporis hanc orditur descriptionem: quæ quod est in ipsa
narratione prætermissum & si quodam modo penset: hoc est, nobis id probet, quod aliàs in nulla
descriptionis parte est expressum, eius videlicet cui nomen à tubis fuit, festi celebrationem referri.
Atque hanc quidem temporis notationem illa verba habent: Et venerat mensis septimus Fuit au-
tem hic mensis תשרי à תירוש id est à musto apud Hebræos appellatus: quod in autumnum inci
dat, ac mostum aliasque fruges ferat. Sed & multis nominibus celebris fuit. Primum ipso decursu 1
naturæ, quod incidat in æquinoctium autumnale: quo homines exantlatis æstatis laboribus iam
quasi ad fruitionem bonorum accinguntur. Dein celebris fuit etiam eventu rerum in ipsum inci-
dentium. Quale est quòd Solomon, cum templi structuram absoluisset, arcã in ipsum eodem tem-
pore introduxit: teste Sacra historia 2. Reg. 8. Quare etiam איתנים mensis hic appellatus fuit: cu-
ius nominis expositio varia affertur. Aliqui putant quod à viris fortibus esset arca in ædem sacram
deportata, & isthic validæ fierent ad Deum preces: alij quod autumni tempore multi in morbos
incidant, eoque probetur, qui nam sint valida ac firma corporum constitutione: quidam etiam pu
tarunt hoc nomine vim festorum celebrium, quorum hoc præsertim mense sit omnium maxima,
significari. Sunt rursus alij, qui nomen hoc ab אתה verbo anomalo quod venire significat, deriva-
tum existimant: quod eo ipso cum multæ & variæ proveniant fruges, tum de his ipsis etiam obla-
tiones afferantur. Tertiò magnifit instituto humano: quod Hebræi primò mensis huius diem ha- 3.
bent pro principio anni noui: quod hoc mense mundum procreatũ existiment aliqui. Verũ Scri-
ptura mensem Nisan, qui in vernum æquinoctium incidit, primum appellat. Quod Iudæi forsan
non omnino oppugnant: sed hunc in ciuilibus, alterum in sacris primum putant: inde forsan arre-
pta occasione, quod anni septimi, qui dicitur annus sabbathi, & anni iubilei initia incidunt in hũc
mensem. De quo Deut. 25. plura. Quartò mensis hic euasit celebrior instituto Dei, quãdo hoc men 4.
se plura quam aliàs alijs anni partibus festa fuerint instituta. In quibus primum tenuit locum fe-
stum tubarum; quod Hebræis זכרון תרועה, monumentum clangoris appellatur. Ideo vero hoc Festum tubarum
diuinitus institutum Hebræi putant, vt extaret Isaaci liberati perpetua memoria, quam arietini
cornu clangor in hominum animis refricaret: quod aries in vepribus commonstratus Isaaci loco
mactatus sit. Alij contrà putant haud esse verisimile, quod vnius hominis causa monumentũ pu-
blicum omni populo fuerit institutum. Quin potius est credendum bellorum contra Amelechi-
tas aliosque populos infensos Israelitis fœliciter gestorum memoriam institui: tum & eo clango-
re excitari populum ad festorum sequentium piam celebrationem. Quæ res euangelicæ tubæ ad
quam etiam prophetæ non obscuris oraculis alluserunt non vulgarem typum præ se tulit. Velut
ait Isaias: Exalta vocem sicut tuba. Et Zacharias, Dominus Deus tuba clanget. Est enim inter has
ambas non obscura similitudo. Velut enim tibicen arte & flatu buccinam regit, nec illa sonum vl-
lum nedum suauem concentum illius arte & flatu destituta edit: sic prophetæ & euangelistæ so-
lo spiritus diuini afflatu tacti suauem vtriusque testamenti concentum edunt. Vnde illæ senten-
tiæ: Ecce ego dedi verba mea in ore tuo. Et, Spiritus patris vestri, qui in cœlis est &c. Velut etiam
tubæ, quod Numerorum liber indicat, ferè sunt argenteæ: sic diuinum verbum eloquia pura, ar-
gentum igni examinatum dicuntur. Velut denique conuocandis, reuocandis, excitandis mili-
bus tubæ sunt destinatæ: sic diuini Verbi prædicatio coercendis, excitandis, conuocandis morta-
libus est diuinitus instituta. Hoc autẽ festũ ab Iudæis tunc celebratũ fuisse vel id euidenti iudicio
fuerit, quod mensis septimi die primo in vrbem vniuersi conuenerunt: nimirum ad eius festi cele
brationem quod in illum diem incidebat. Neque enim alia conuentus huius causa commonstra-
tur: & quæ diebus festis fieri consueuissent, ea diebus his in ea concione facta memorantur. Proxi-
mum huic eodem mense & quidem decimo eius die, celebrari solitum festũ expiationis fuit, quod Festum expiationis.
Hebræi יום כפור appellant. Id ieiunio, quod Scriptura vocat afflictionem animarum, itemque
emissarij capri cerimonijs celebre fuit. Hoc die non licebat vllum opus seruile facere, perinde ac
sabbato & alijs festis: tum à diluculo ad vesperam vsque toto die ieiunandum fuit: denique pon-
tifex primũ pro se & domo sua faciebat expiationem, dein expiabat altare thymismatis & taber-
naculum testimonij quoque ipsum. His duobus festis demum festum tabernaculorum succede-
bat. Atque hæc quidem circa tempus sunt obseruanda. Commodum autem inde à censu acti de-

scriptione ad eam narrationem qua celebrati festi descriptio ob oculos ponitur, transitionem facit, eo quod dicit: Filij autem Israel erant in ciuitatibus suis: hoc est ab eo conuentu, quo census actus, & pecuniæ publicæ fuerant contributæ, vixdum ad sua quique redierant. Idque etiam obseruauit Beda, nimirum inita hac ratione, quod vigesimo quinto sexti mensis die muri instauratio fuit absoluta: primo sequentis mensis die rursus conuenerint: eoque sit factum, vt ad quietē quinque intermedios dies solum haberent. Pietate ergo docti sunt huc, vt plus religionis reiq; publicæ, quàm suis ipsorum commodis darent. Nos autem eorum exemplo moniti quod Christus iubet, ante omnia quæramus regnum cœlorum. Verum huic clausulæ subdita in quibusdam exemplaribus extant hæc verba: Scenopegiæ sub Esdra & Nehemia. Verum hęc eadem Liranus prudenter explodit, dicens: quod verum est, ea nec in Hebræis libris extare, nec subintelligi posse: quando nomen Schenopegiæ sit propriū festi tabernaculorum, quod non primo, sed decima quinta demum, mensis septimi die celebretur.

Hac iam strata ad vtramque descriptionem via: secundo, tertio, quarto, versibus peculiarem quandam rerum vtrique festo conuenientium descriptionem proponit, eaq; significat, quod quale que fuerit præcipuum eorum opus hoc peractum festo. Idque fit vtilitatis communis causa: nempe, vt quoniam festos ac solennes dies, præsertim qui pij sunt & Deo dediti, nec ocio quodam inerti, nec quod esset deterius, crapula ac luxu consumunt, verum pro eo ac fert lex sabbati, rerū diuinarum contemplationi incumbunt: quas qualesq; res duobus hisce festis illi fecerint & tractarint, cognosceremus, eorumque exemplo ad exercitia nostræ pietatis vteremur. Indicat autem habitam sacram concionem: eaque in re describenda personas, locum, rem ipsam, modū, præcipuas circumstantias notat. Ac personas quidem hoc ipso monstrat, quod dicit: congregatusque est omnis populus quasi vir vnus. Id enim perinde est ac si dicat, hoc confluxisse populum omnē, ac ne vnum quidem vel mansisse domi, vel reluctatum contrà, vel inuitum venisse. Qua in re magnum & religionis & concordiæ studium obseruandum monuit Beda: quòd vt vir vnus, hoc est, vna eademque fide & dilectione ad templum Domini conuenerit populus Iudæus. Sic Act. 1. & 2. Christiani prisci dicuntur vnanimiter in precibus perseuerasse. Duæ præclaræ sunt virtutes, pietas & concordia: quæque & decent & iuuant omnes populos: quando altera eeo frenom regit homines ac moderatur, altera res paruas propè in immensum auget. Trahendum igitur est exemplum horum ad id, vt eisdem virtutibus ipsi quoque studeamus. Locum autem fuisse dicit plateam quæ est ante portam aquarum. Platea seu area dicitur templi vice fuisse: fortasse enim templum tantam turbam non omnem capiebat, aut cœli serenitas in apricam aream inuitabat. Portam aquarum Liranus eam putat dici, quæ cap. 3. porta fontis appellatur. Prope eam piscina Siloenis fontis aquas excipiens fuit. Locus erat, vt ex Ioan. 8. & 9. colligi potest, admodum vicinus templo. Iesus enim templo egressus cæcum vidit, & lotum oculis illitum in piscina proxima videlicet, iussit eum abluere. Qua de causa magis opportunus tantæ rei fuit. Curijs & templis vicinæ areæ plerunq; sunt amplæ & huiusmodi conuentibus aptę. Sunt autem eligenda quibusq; rebus gerendis apta ac conuenientia loca. Rem ipsam deinde pluribus verbis recitat: Dixerunt autem, inquit, Esdræ scribæ vt afferret librum legis Moysi &c. Hæc verba, si penitius inspiciantur, & rem actam, & modū, quo peracta fuit, ostendunt. Opus ipsum est recitatio atque explicatio libri legis. Illud præcipuum in ecclesia semper fuit: vt quod esset lucerna pedibus humanis: tuba ciens animos ad pietatem: panis vitæ: vox pastoris Christi. Neque vero momenti parum afferunt ad diuini verbi commendationem circumstantiæ in singulis verbis latentes. Ex libro fuit recitata: vt quemadmodum scriptum ius, sententiæ subitò latæ præstat: sic illi quoque certò scirent sibi non somnia humana verū ipsum ipsum Dei verbum afflatu spiritus diuini mandatū literis intelligerent recitari. Et Thorę nomen Hebræum, quod normam ac regulam significat, ei propterea tribuitur: vt ad eius præscriptum nostram nobis vitam ac mores conformandam intelligamus. Mosis autē nomen adducitur, vt quam doctrinam acceperint, constet: eam nimirū, quæ Mose internuncio & administro allata fuit. Quanquam autem adeo clarum & illustre Mosis nomen fuit, estque etiam nunc, vt apud homines pręsertim qui personas docentium plerunque magis quàm doctrinam spectant, ad diuinæ scripturæ commendationem non parum momenti queat afferre: tamen ne quis ideo putet sacrarum literarum authoritatem pendere à iudicio suffragijsque mortalium: additur illa clausula, quam præceperat Dominus. Quæ clausula, quoniam indicat authorem sacræ Scripturæ Deum, homines tantum interpretes & internuncios esse: veram, solidam, perpetuam sacris literis authoritatem acquirit. Israelis autem nomen indicat, quorum causa Deus verbum suum monumentis literarū mandarit, eorum nimirum, qui sunt Israel hoc est, de populo Dei. Iam quemadmodum nulla gens sui principis leges & mādata iure potest repudiare: sic populus Dei nullo iure mandata Dei repudiabit. Hæc minuta quidem videntur esse, verum tamen altius repetita atque animis infixa non parum mo-

rum mouent ac doceot. Modom autem, quo peractum illud opus diuinum fuit, in ijs, qui fuerunt auditores, in docente, in tempore declarat. Coram viris & mulieribus, & ijs omnioo omnibus, qoi potuerunt intelligere propositum dicit verbum Dei. Nullus est admissus alius delectus personarum, quàm vt non intelligentes excluderentur: aliàs viri, mulieres, senes, pueri, quilibet suot admissi. Videtur autem dicere eos, qui longo Chaldeæ linguæ vso linguam Hebræam, qua diuina lex conscripta fuit, dedicissent, ac propterea mentem & seotentiam diuinarum legum ignota lingua expressam percipere non possent, nequaquam vt coocionibus illis interessent, coactos esse: quod præstare existimarent eos abesse, quam sono verborum non intellectorum o[illegible]ædificari, hoc est doctrinæ diuinæ præceptis effici meliores. In quo videre est, contra pijs hominibos vsitatum morem, contra publicam vtilitatem, contra Dei voluntatem, peregrinæ linguæ vsum in magna parte sacrarum concionum, in ecclesiasticis cantibus, in sacramentis, in cerimonijs inprimisque in precibus io ecclesiam Christianam inuectum esse. Habent quidem illi consuetudinis soæ causas ac rationes: verum si penitius inspiciantur, admodum friuolas ac vanas. Ac primú aiunt in Testamento veteri ceremooias multas fuisse: quarum mysteria vulgus ignorarit, et tamen earú vsum ideo nó abrogarit. Respondeo, hoc argumentum partim falsum, partim prauè detortum esse. Quæ enim cerimoniæ diuinitus institutæ & in ecclesia veteri fuerunt vsitatæ: eas vel legislator ipse statim appensa aliqua declaratione explicauit, vel prophetæ postea sunt interpretati. Quod de circúcisione, de pascate, de sacrificijs, de reliquis rebus scriptæ expositiones attestantur. Malitiose vero hoc exemplum torquetur ad ecclesiam. Neque enim ijs, qoi Christum iam habent, ideo figuræ & vmbræ nouæ suot obtrudendæ, quod expectantibus illum priscis hominibus certæ quædá ipsum veoturum significantes vmbræ fuere. Sed & cogitandum erit illas veteres ceremonias diuinitus institutas ideoque iustè receptas & vsitatas fuisse: vsum linguę peregrinæ in sacris nullo Dei mandato nobis obtrudi. Nihil igitur hoc ad propositam causam facit. Secundò obijciunt libertatem ecclesiæ. Nos cootrà dicimus quod apostolos 1. Corint. 14. vetat ne quis in ecclesia peregrina lingua vtatur, nisi dicta velit interpretari, vt ad ædificationem percipi queant: ac sub finem disputationis eius, indicat eos, qui sibi videantur esse prophetæ & spirituales, agnoscere debere hæc pro præceptis Dei. At ab his discedendum nulla ecclesiæ libertas suadet. Quamobrem nec libertatis titulo suum commentum tuebuntur. Tertiò dictitant Paulum hæc de sacris concionibus, quas habeát ipsi lingua vernacula, non de ritibus agere & de sacramentis. Nos dicimus Paulum & concionú, & earum, ad quas populus, Amen, voce reddita respondet, vel precum publicarum, vel recitationum, vel cantionum, meminisse. Ad conciones enim populus, Amen voce non respondit. Quibus illud etiam potest addi, quod apostolus vult eo modo omnia in ecclesia peragi, qui ad ædificationem maximè facit: at sacramenta & preces & quæcunque ignotæ linguæ verbis administrantur, ne tantillum ædificarint. Quartò prætendút, quod vsu linguæ peregrinæ ceu lacte pascant rudiores. At ea doctrina lactis similis videtur esse, quæ cum simplicior sit ac planior, abs quouis potest intelligi: ac rursus solidus cibus referre doctrinam eam dicitur, quæ cú sit sublimior ac subtilior, ab ijs solis iotelligi potest, qui iam aliquò vsq; io eios cognitione progressi suot, multumque profecerunt. Cum autem linguam peregrinam nisi illius gnarus intelligat nemo: qui illa pro lacte seu re ad captum popularem apta ac conueniente populo Christiano obtrudi queat, non video: sed existimo doctioribus magis cooueniențem. Quintò somniant, veneoum propinari populo, si illi vt quidqoe in sacris literis scriptum extat, sic proponatur: & hoc agatur concionádo vt omnia intelligantur, multoq; magis pręstare vt quædam ab intelligentia populari quasi quodam modo abscondantur. Atque hac ratione sacræ literæ, quæ similes sunt argenti purissimi, & cibus vitam conferens æquè atque sustentaos, graui contumelia atque ignominia afficerentur. Nihil enim noxiú, nihil impurum aut vitiosum habent: sed vt Psal. 18. dicitur, Lex Domioi immaculata coouertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiá præstás paruolis. In qno Scripturæ sacræ encomio videre est sacrarum literarum lectione noo solum ioquinari inficique nemioem, cum sit ipsa pura: nec solum sednci decipiq; neminem, cum sit ipsa fidele testimooiom: verum potius sapientiá scilicet veram ac solidam omoibus præstari. Sextò queruotur obijci quod sanctum est canibus, & margaritas porcis. At eos porcorum ac canum oominibus onerare, qui per pœoitentiá Christianam sunt ab immunditie retracti, & abluti sanguine Christi, & adoptati filij Dei, cum turpe est, tum vero maximè iniquum. Alias rationes, si quæ forte sunt, ooo est quod referamus: cum & his quæ commemoratæ sunt, & alijs quæ præterea afferri possent, meliores oppooi queant. In his erit hęc prima: qood linguarú notitiá atque facultatem Deus ideo verbi sui ministris dedit, vt sua cuiqoe genti lingua vernacula prædicare euangeliú possent: aliàs vna Latina aut Hebræa loqui posse satis fuisset. Secunda, Cum verba notæ sint rerum & cogitationum & voluotatum io animis humanis latentium, velut Aristoteles in libro de Interpretatione docet: abuti verborum natura vi-

dentur illi, qui verba quę intelligi non possunt, ad exponendas cogitationes suas sumunt. Quod re-
ferendum est etiam, quod Aristoteles, in Politicis, probaturus hominem esse animal ad eiusdem so-
cietatem natū, dicit: ideo sermonis vsum ei tributum, vt animo comprehensas cogitationes faci-
lius posset cum alijs cōmunicare, eoq; magis quàm cætera gregaria animalia ad cœtus hominum
aptus & idoneus esset. At sermone eo, qui intelligi non posit, vtentes nullo modo poterunt sua
3. consilia cum alijs cōmunicare. Tertium genus rationū ex causis peti possunt; ex efficiente causa,
quī doctoris partes is tuebitur, qui lingua ea doceat, qua loquēs nō intelligatur? ex materia, quod
in conuentibus sacris, vt Psal. 101. dicitur, annunciandum sit nomen Domini in Sion, & prædican-
dæ laudes eius in Hierusalem: quodque sacramentis memoria Domini refricanda sit: quæ fieri lin
gua peregrina haud possunt: ex forma, doctrina debet esse vera, certa, perspicua ac plana: at in ver-
bis dubijs quæ veritas esse potest & certitudo? in verbis obscuris & non intellectis quæ potest es-
se perspicuitas? ex fine, Paulus omnia vult ad ædificationem fieri, itemque ad consolationem, co-
hortationem institutionem, & vt abundet in nobis sermo Dei, inquit, opulenter. Verum hæc fieri
4. non possunt, si sermo ędificantis non intelligatur. His addemus illa: apud Esaiā audiuntur & intel
liguntur duo Seraphim dicentes, Sanctus, sanctus &c. à pastoribus intelliguntur sermones ange-
lorum Christum natum nunciantium: angeli priscis patribus ea sunt locuti lingua, qua potue-
re intelligi. Cur igitur non ecclesiæ cœlestis exemplum secuti ipsi quoque ea ad nos inuicem vti-
mur erudiendos lingua, qua loquentes intelliguntur? Et D. Augustinus epist. 107. scribit, ętate sua
moris fuisse, vt sacerdos ab altari populum hortaretur ad orandum, & ipse clara voce oraret, & po
pulus respōderet, Amen. Ambrosius etiam in 1. Corint. 14. locum scribens, eos reprehendit: qui in
sacris vtuntur lingua peregrina. In eundem locum etiam Chrysostomus hom. 35. ait: Alioqui si be-
nedixeris, inquit, Spiritu, is qui locum tenet indocti, quomodo dicturus est Amen, ad tuam gratia
rum actionem, quandoquidem quid dicas, nescit? Nam tu quidem bene gratias agis, verum nihil
interea alius ædificatur. En rursus amussi, quod dicitur, saxum applicat, ecclesiæ ædificationem
vbiq; requirens. Indocti nomine vero promiscuā plebem vocat, monstratq; non leue incōmodum
esse, si Amen dicere non posit. Est autem quod dicit huiusmodi. Si peregrina lingua gratias agas,
quam nec intelligas ipse, nec cęteris item interpreteris, subijcere, Amen homo plebeius nō potest:
& illud in secula seculorum, qui finis precum est, audiens, Amen non dicit. Adhiberi possunt ac
5. debent exempla apostolorum & patrum, qui lingua ea sunt ad populum vsi, qua loquentes intel-
ligebantur. Vnde & Euangelia, & Apostolorū acta, Græca: Ambrosij & Augustini, qui Latina lin
gua vtentes populos docuere, Latini sermones: itemq; Gregorij Nazianzeni Basilij, Chrysostomi,
Cyrilli, qui Græcis populis sunt concionati Græcè, etiamnum homiliæ Græcis literis, quæ essent
ea tempestate vulgo notæ, extant scriptæ. Sed & habemus Paulinas simul ac canonicas epistolas
qua potuerunt intelligi Græca lingua scriptas. Cumq; ea tempestate, qua corpore & sanguine suo
Christus pro nobis litauit, Hebræa, Græca, Latina principes & toto orbe notissimæ linguæ es-
sent: singulari consilio Dei factum est, vt Hebræis, Græcis & Latinis verbis inscriptio Sanctæ cru
cis exprimeretur: nempe vt à quamplurimis intelligi posset. Eodemque nomine & interpretes
LXX. & Chaldæus Paraphrastes, & D. Hieronymus laudati sunt, quod Mosem, prophetas, Daui-
dem, Solomonem alijs etiā præter Hebræam gentem populis loqui fecerunt. Vnus Antichristus,
vt, quemadmodum priscis vaticinijs olim significatum accepimus, Latinum regnum erigeret, ho-
ras canonicas, cantiones, missas, cerimonias, alia omnia Latinis verbis fieri voluit: cum aliàs extet
canon in priscis libris apostolorum, mandans in ecclesia ad populum vtendum lingua vulgari, vt
nota, non peregrina. Sed vt illis omisis, eò redeat nobis, vnde est egressa oratio, ad auditores etiā
hoc est referendum, quod dicit, aures omnis populi fuisse erectas ad librū. Quod exemplū est atten
tionis debitæ verbo Dei. Nam qui peregrinantur animis & corpore quidem præsentes sunt, ani-
mis absunt: his ceu surdis fabula canitur, & nullus ex euangelio fructus affertur: quando audien-
tes non audiunt, nec intelligunt. In docente fidem & industriam tota narratio monstrat ac com-
mendat. In tempore, quod à mane ad vesperam producta concio fuit, magnū & docentis & discen
tium studium apparet: quando adeo longa oratione nec fatigari doctor, nec auditores ad tedium
adduci potuere. Simile exemplum est Pauli, qui in mediam noctem vsque concionatus in
Actis memoratur.

5 Stetit autem Esdras scriba super gradum ligneū quem fecerat ad
loquendum, & steterūt iuxta cum Matathias & Semeia & Ania, & Vria
& Helcia & Maasia ad dexteram eius: & ad sinistram Phadaia, Misael &
Melchia & Hasum & Hasbadan Zacharia & Mosollam.
6 Et aperit Esdras librum corā omni populo: super vniuersum quip

pe popu-

pe populum eminebat: & cum aperuisset eum stetit omnis populus.
7 Et benedixit Esdras Domino Deo voce magna: & respondit om-
nis populus, Amen, Amen: eleuans manus & incuruati sunt & adoraue-
runt Deum proni in terram.
8 Porro Iosue & Bani & Serebia, Iamin, Accub, Sebtai, Odia, Maa-
sia, Celita, Asarias, Iasabed, Hanam, Phalaia, Leuitæ silentium faciebant
in populo ad audiendum legem: populus autem stabat in gradu suo.
Et legerunt in libro legis Dei distinctè, & apertè ad intelligendum, &
intellexerunt cum legeretur.

In seriem rerum ad sacros solennesqoe dies pertinentium, qoæ proximis quioque versibus memorátur, adeò referenda ducimus: vt quæ paulo antè sunt de Scripturę sacræ lectione publica, proposita atque explicata: hæc iam ijs, quæ deinceps proponuntur magis illustrari, quasique compleri & perfici confidamus. Hæc enim Scripturæ Sacræ lectioni publicæ explicationem quoque adiuoctam fuisse declarant, Cumque Scripturæ sacræ expositio publica, sit omnium, quæ ad cultum Dei fiunt, opus maximom, & vtilitates humano geoeri maximas afferens, ideoque semper à satana vel tentatum insidijs, vel aperto Marte petitum atque oppugnatum: hoc præsertim loco tam diligenter omnis eius actio descripta proponitur, vt quasi per hypotyposim in tabula depicta ob oculos hominum poni videatur. Equidem in illa, quæ est ad portam aquarú, amplissima area, populus Iudæus dicitur in cœtum vnum omnis confluxisse: in eo cœtu locum vnum concionator, alium concionem eius audientes tenuere. Ac concionator quidem suggestum ligneum reliquis subsellijs altiorem conscendit, & allatum secum librum aperuit, ac verba, quibus diuinæ leges efferuntur, publicè recitauit. Huic à dextris quidem seni, à sinistris septeni viri astitare. In audientium multitudioe viri, mulieres, & quicunque possent quæ legebantur intelligere, inferiore ab his loco stetisse perhibentur. Interpretationi populus cum attentas præbuit aures: tum alta voce docentibus acclamauit, Amen: & singuli corporibus in anteriorem partem inflexis obseruantiam verbo diuino debitam attestati, ipsum Iehouam Deum adorarunt. Atque hęc quidem fuit illis temporibus vsitata ratio sacrarum concioou: quæ tamen enumeratione & coosideratiooe partium singularum clarior & illustrior erit.

Ac primùm quioto versu, cum dicit: Stetit autē Esdras scriba super gradum ligneú ostendit in illo cœtu peculiarem Esdræ tributum locum, eumqȝ etiam ex causis petita descriptione quasi depingit. Formam enim & materiam: itemqoe finem & causam efficientem satis claris exprimit verbis. Ac formam quidem moostrat מגדל Hebræo nomine, quod vulgatæ versionis author gradum, LXX. Interpretes, qui βῆμα id est, ascensum aut gradum vertunt, secutus, expooit. Significat autem vt alijs Scripturæ locis probari potest, modo turrim, modo arcem, aut ædificium paulo altius, firmius, maius: quàm aliàs alijs humanis vsibus pręparetur. Veluti Latini turres à terrēdis hostibus videlicet earom altitudine soperatis & turritas domus, quæ excelsæ sunt & ad formá turrium factæ, vocant. Videtur autem Nehemias hoc nomine suggestum dicere, qui locus est excelsior ex quo oratio ad populum habetur. Quem à suggerendis lignis, in quibus concionantes stare possunt: pulpitum autem quasi publicom, quod qui ipsum conscenderint spectari simul & audiri publicè posint, appellant. Eiusmodi suggestus plerunque rotundi saltem dimidia soi parte fiont, & excelsi, vt inde dicentes commodius ac facilius audiantur. Materiam autem עץ id est, ligni nomine repręsentat: vt ostendat non lapideum, longo tempore, magnis sumptibus elaboratum, sed cum res postularet, vt poterat quàm citissimè fabricari. In 2. Par. 6. basim æneam Solomon dicitur habuisse, in qua stans ad populum verba fecit. Vtramqȝ materiam Beda ad Christum transfert: & ære quidem sonans in orbis vniuersi fines verbum: ligno vero trophæum crucis Christi, repręsentari indicauit. Efficientem eius causam duobus verbis notauit אשר עשו, id est, quem fecerunt. In quo dissentit Hebraica veritas à vulgata versiona. Hebræa enim verba pluribus: vulgatæ versionis author Esdræ, tribuunt hoc opus. Conciliari tamen sic possunt, vt Hebræa verba artifices mandatú opus elaborantes, Latina contrà principem iubentē sibi fieri ipsum spectent. Quod enim quisque sumptibus sois fieri iubet, & si ipse manum nunquam admouerit, tamen dicitur fecisse. Finem dicit: ad loquendom: hoc est, vt altiore quàm alij loco stans inde ad populum verba faciens commodius & facilius, maiorę etiam cum authoritate & gratia audiretur. Meminerint autem concionatores, quando adeo altis in locis steterint, se & videri posse ab omnibus, & diligentes ac prouidos habitus sui, gestuum, vitæ & morum custodes esse oportere: quando homines plebeij in illa externa ferè magis oculos intendunt, quàm in verba dicentis. Vnde & lux mundi, & in spe-

cula positi, & capita appellantur. Ac quemadmodum ipsi in omnium hominum vitam ac mores ex alto inspiciunt, sic in ipsorum vultus, gestus, voces ac mores, populus omnis oculos suos intendit. Qua de causa qui locum hunc excelsum conscendunt, prudenter & caute sese gerere debent, ne quid faciant aut dicant, quod eorum persona officioque sit indignum, propterea eis vitio verti queat. Illud autem videtur eorum pietati & prudentiæ & modestiæ plane tribuendum, quod eodem versu dicit author Esdram, vbi illi concionandum esset, non solum in suggestum illum conscendisse, verum astantes sibi lectissimos viros ab vtroque latere habuisse. Pietatis enim est, quod cum Dei verbo deferunt honorem, vt præcipuos viros adhibeant ijs, qui ipsum prædicabant: contrà videlicet ac homines nostræ ætatis, quos pudet euangelij Christi. Paulus omnia fieri vult decorè nimirum pro maiestate eius, cuius verbum prædicatur. Prudentiæ vero fuit, quod adhibitis illis viris vel vt arbitris, vel vt testibus, cum animos addunt docentibus, tum ora aduersarijs occludunt. Et sanè Christus à suis seruis non minus prudentiam postulat, quàm industriam ac fidem. Modestiæ denique fuit, quod Esdras non solus hunc tam sanctum & augustum locum cóscendit: verum sibi socios seu collegas asciscit, quò communicatione & coniunctione consiliorum & auxiliorum citius ac magis promoueat ecclesiæ salutem & gloriam Dei. Sic enim & Christus suos discipulos prædicans habuit astantes, & in hoc vocauit vt essent quasi ipsius συνεργοί: & Petrus cum de spiritus sancti missione verba ad populum facere decreuisset, non solus in concionem prodijt, verum sibi discipulos vndecim asciscit: Paulus item modo Barnabam & Silam, modo Syluanum & Timotheum sibi socios tam in epistolis, quàm in ecclesiæ negotijs asciscit. Hac ratione ecclesia ceu vinculo continetur, & euangeliũ valde promouetur. Quæ vero vel ad hæc ambo, vel ad alterutrum requiruntur, ea pio nemini sunt negligenda.

Est etiam hoc notatu dignum quod versu sexto perhibet Esdram in oculis omnis concionis librum, quo conscripta lex erat aperuisse & inde ex eo legere verba legum, quàm quod facilè poterat, memoriter audienti populo recitare maluisse. Nimirũ ideo hoc facit, vt ne sua somnia referre, vel ostentare legis scientiam & vim ingenij videretur. Hic mos è libro verba sacra recitandi cum inde vsque ad Christi tempora durauit, tum ipsi quoque Christo probatus fuit. Legimus enim Lucæ quarto ipsum venisse in synagogam, cumque ei traditus liber fuisset, Esaiæ prophetæ verba recitasse, postea clauso codice suscepisse prælectorum verborum expositionem. Hoc modo videtur auditoribus innui, primum dum è sacro codice verba Dei recitantur, ipsum Deum loquentẽ: tum quando ecclesiastes clauso codice verba recitata aperire expositione incipit, ipsius Dei internuncium seu interpretem audiri. Contrà si quis nullo in medium allato libro memoriter recitet verba sacra: procliue esset facto, vt simpliciores putarent ipsum concionatorem hæc proloqui, sapientiores crederent eum ostentare memoriam. Qui igitur Deo potius quàm sibi volunt honorem deferri, hi librum aperiunt & ex eo legunt verbum diuinum. Quæ res etiam populum Iudæum in tantam erga diuinum verbum obseruantiam adduxit, vt stans ipsum audiret. Quod obseruantiæ signum haud obscurum fuit: quando assurgimus illis, quos honoramus.

Cum deinde 7. versu dicit. Et benedixit Esdras &c. non obscurè significat exordiũ concionis à laudibus diuinis ductum: quod aliquo fortassis est factũ hymno, aut breui quadã laudationis formula. Eius argumentum ac summã verbis illis repræsentat, formam non exprimit omnem. Benedicendi verbo repræsentat & officium, & studium laudationis Deo debitæ. Benedicere enim dicimur ijs, quos & laudibus, & officijs, & pijs studijs, & volũtate bona prosequimur. Eo vero quod Iehouæ nomen cum nomine Dei coniungunt, haud obscurè, significant, se non colere deos eos, qui nomine & opinione stultorum hominũ potius, quàm natura dij sunt & nominantur. Id enim esset in portu impingere. Quin Iehouam Deum verum sibi colendum profitentur. At magni nomine significant omnium eius virtutum, & gloriæ, & potentiæ magnitudinem atq; excellentiam. Quarum rerum cognitio parit admirationem & cultum Dei, tum amorem Dei, deniq; fiduciam propensæ erga nos voluntatis diuinæ, atque etiam opis eius ad tuendam salutem nostram diuinitus expectandæ. Idque videre est illis quoque Dei laudibus effectum apud Iudæos, qui benedicenti Esdræ applaudunt & acclamant, Amen. Est autem Amen vox Hebræa, אמן, plęrarumque gentium vsu iam olim recepta: quæ & veritatem significat, Esa. 65. benedicet in Deo veritatis: qui iurauerit iurabit in Deo veritatis: & ceu particula asseuerantis atque affirmantis precationibus & hymnis, & votis humanis quasi mandato institutoque ipsius Dei semper adhibetur. Veluti Deut. 2. Et dicat omnis populus, Amen. Et Hierem. 28. Et dixit Hieremias propheta, Amen sic faciat Iehoua. Tantam vero vim Hebrææ vocis esse non Græci Latinique solum, verum aliæ quoque gentes omnes esse iudicarunt, vt hac ipsa, quàm vlla alia, quæ tantundẽ significare videretur, sua, semper vti maluerint, quasiq; nefas esse duxerint hanc in linguas suas transferre. Quod ipsum in eo libello, qui D. Augustini & Pascentij continet altercationem, videtur nõ obscurè significari. Quem

morem

morem eò libentius etiam est secuta ecclesia Christiana: quod hac ipsa voce etiam ipsum filium Dei bifariam esse vsum animaduertit. Primum enim quoties aliquid, vel promisit, quod firmissima fiducia ac spe vellet expectari, vel enunciauit, quod verissimum certissimumq; cuperet iudicari: semper hac particula ceu iuramenti solenni quadam formula enunciationem suam obsignauit. Veluti Ioan. 10. Amen amen dico vobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Et paulo post eodem loco: Amen amen dico vobis, Ego sum ostium ouium. Et Luc. 23. Ad latronem, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Hæc Christus haberi pro verissimis, & certò certius expectari voluit: quemadmodum nemo non videt. Deinde cum orationis ad Deum patrem fundendæ formulam præscribit, & eidem clausulæ vice particulam illam Amen appendit: eo sanè facto videtur nobis perpetuum eius vsum commendare. Idque planè videtur non tam more maiorum, quàm duabus alijs de causis fecisse. Vna, vt moneret exprimendum etiam quoquo modo affectum ac desiderium orantium. Sicut Psal. 40. cum dixisset Dauid, Benedictus Dominus Deus Israel à seculo & vsq; in seculum: suis ipsemet acclamat votis, eo quod Amen, Amen: id est, fiat, fiat, dicit: eoque exprimit ingens studium ac desiderium propagandæ gloriæ Dei. Altera, vt orantes huius vsu clausulæ cum admonerent, tum etiam assuefacerent sese ad firmissimam ac fidentissimam rerum postulatarum expectationem. Atq; hoc iudicium filij Dei cum apostolos in epistolis & sermonibus suis secutos, tum ipsum quoq; populum Christianum in sacris cœtibus suis ratum habuisse, satis claris indicijs apostolicæ epistolæ & D. Pauli prioris ad Corinth. cap. 14. locus attestantur. Quamobrem quod Esdræ laudanti Deum populus Iudæus dicitur Amen, Amen acclamasse: id videmus & secundum leges diuinas, & vtriusq; puta, veteris pariter atq; nouæ Ecclesiæ, & quidem iudicio filij Dei probato more factum fuisse. Minimeq; præteriri silentio debet, quod geminatione vocis eius ardentissimum desiderium ac studium pietatis videntur expressisse: vt omnibus constaret, eos hæc ex animo cupere præstari. Cumque eiusmodi piarum cupiditatum ardore suauissime Deus afficiatur, maximas ipsi difficultates superemus, ad optatissimorum bonorum possessionem prouehamur: erit ille nobis cùm pijs precibus impetrandus, tum assidua diuini verbi tractatione & omnibus alijs pietatis exercitijs fouendus atq; inflammandus. Sed & eadē voce significant, intellecta abs se, & probari placereq; sibi benedicentis verba. Neque enim verbis non intellectis vel acclamamus vel suffragamur. Ergo vel hoc argumento rursus euincitur, lingua communi & omni populo nota mystas illos vsus esse. Obseruandum est etiam quod proni in terram prouoluti & eleuatis sursum manibus dicuntur Deum adorasse. Adorationis officium est ex præcipuis eorum, quæ debentur & præstantur Deo. Sed varij sunt orantium ritus. In prælio Amelechitico Mosis manus Aharon & Hur eleuarunt. Christus orans modo suspexit in cœlum, Matt. 14 Ioan. 17. modo in genua prouolutus est, Luc. 22. Stephanus Act. 7. Petrus Act. 9. Paulus & qui cum eo Mileti orabant, Act. 20 itidem in genua prouoluuntur oraturi: Paulus rursus Act. 9. iacens orauit. Iustinus Apolog ij, significat Christianos ad orandum surrexisse. Clemens Stroma. vltimo significat orantes solitos se in terram pronos abijcere. Verum ex his perspicuum fit liberos hos fuisse ritus, & alios alijs vsitatos. Quamobrem vt mens orantis rectè sit composita & in eum quem adorat, intenta, potius est enitendum. Queritur enim apud prophetam Dominus, frustra se labijs eorum coli, quorum ab eo remota sint corda. Porro ad explicandos eos sacrarum concionum ritus, quos illi in vsu tunc habuerunt, verbis versus octaui iam aliquanto propius accedit: cum dicit concionatorem ex alto loco ad populum in gradibus imis stantem, indictu prius per Leuitas silentio, verba fecisse: nempe vt euitata sermonū pariter atque ordinum confusione, tranquillè decoreque omnia agerentur. Quā rem dicit etiam D. Paul. 1. Cor. 14. valde probari ipsi quoq; Deo: nimirum vt ordine recto & decoro omnia fiant: ideoque vno aut altero verba facientibus reliquos vult tacere. Quo loco D. Ambrosius obseruauit triplicem à Paulo ordinem in ecclesia constitui: nempe vt sederent in cathedris sublimioribus aliqui seniores, qui presbyteri nominantur: inferiora subsellia alij tenerent: postremi in pauimento mattis, vt vocant, strato insiderent. Eum ordinē et modum Paulus videtur ex synagogis ad ecclesiā transtulisse. Vnde & Christo etiamnū puero locus in synagoga fuit, & adulto postea, licet non haberetur pro sacerdote, traditus est vnus è quo legeret, liber. Sed & Paulus se dicit ad pedes Gamalielis sedisse: & ad pedes Iesu Maria quoq; sedisse memoratur. Quod iudicio fuerit discentibus ad pedes seniorum sedendum fuisse. Eum ordinē Iudæi ferè per omnia hodieq. videntur obseruare. Qui sint ritus non magnopere retulerit, siquidem cum pietate & honestate non pugnarint. Ex alto qui docet: & commodè videri, & audiri facillimè potest: ætate prouectis & pietate seu dignitate excellentibus, vel aliquo magistratu fungentibus viris priores gradus tribuendos cum pietas, tum communis omnium gentium consensu comprobata honestas monent. Sic enim & vitari confusio seu perturbatio rerum sacrarum, & promoueri salus hominum gloriaq; Dei possunt.

Quod autẽ nono versu dicitur: Et legerunt in libro legis Dei distinctè, &c. id Hebręis verbis videtur aliquanto plenius ac melius efferri. Ea sic habent: Et legerunt in libro, in lege Dei, מפרש, id est, explicato scilicet verbo, (vt accipit Rabi Auen Ezra in Commentarijs) & addiderunt intellectum, & intelligere fecerunt in lectione: Ex quo perspicuum fit, non solum verba diuinarum legum recitata, verum etiam adhibita quadam interpretatione, ad præsentium temporum atque hominum statum accommodata fuisse: nimirum vt inde aliquis ad auditores vel consolationis, vel castigationis, vel institutionis fructus afferretur. Et certè quæ extortę sunt auditoribus lachrymę, eæ non obscurè significant, verba legum ad ipsorum mores taxandos, & ad extorquendam pœnitentiam vitæq; emendationem accommodata fuisse. Quæ res esse documento potest, retinendam in ecclesia non minus expositionem, quàm lectionem, sacræ scripturæ: minimeq; cedendum opinionibus illis, quas ad explodendam scripturæ sacrę expositionem affert satan. Cumque sint valde populares & plausibiles, ijs præsertim, qui sunt omnibus monitoribus asperi, & explosam repræhensionem scelerum vellent: arbitror confutandas potius quàm dissimulatione malis moribus vtili negligendas. Primam igitur ex ipsius scripturæ sacræ perspicuitate rationem ducunt, eamque tantam aiunt esse, vt nulla expositione egeat: præsertim cum Dauid dicat hanc lucernam esse pedibus hominum: & Paulus indicet, euangelium, si velatum sit, ijs solis qui pereunt velatum esse; vt quibus Deus huius seculi sensus excæcarit, ne eis illucesceret lumen euangelij gloriæ Christi. Addunt hoc etiam, quod Deus humano more diuina proloquatur, vt accommodata ad captũ hominum doctrina sua, plenius ac melius omnia percipiantur. Quibus respondemus, Nihil esse tam perspicuum, quod non magis perspicuum interpretatione fiat: ipsam interpretationem esse quasi candelabrum cui lumen verbi diuini vt omnibus luceat, sit imponendum: satanam autem hoc agere, vt erepto candelabro sub modium poni lucernam illam velit. His illud est addendum, quod lumen non omnes æquè ferunt: vt ægri, vt à somno recens excitati, & alij. Quare sicut in eo apponendo, ita & in proponendo atq; accommodando ad præsentia tempora atq; negotia verbo diuino requiri prudentiam constat. Velut apostolus imbecilles lacte pauit. Quodque Deus humano more multa locutus est, idipsum eget expositione, ne Anthropomorphitis fenestra aperiatur, neue similitudines longius quàm propositæ sint, detorqueantur. Alteram rationem ab ipsis interpretibus petunt: hos queruntur molestos esse longis digressionibus, & affectuum impetu in odiosas inuectiuas abripi. Nos autem dicimus, scelerum repræhensiones ecclesiæ esse necessarias: nec vllis alijs quàm ijs solis odiosas, qui monitoribus omnibus sunt asperi: priorem esse partem euangelij, quippe quæ ad pœnitentiã viam sternat, quæque vini instar saucijs animis infundatur: affectuum vitiosorum nomine studium gloriæ Dei salutisq; publicæ perperam notari: ac si maximè quis affectuum impetu in illas asperas vitiorum castigationes abriperetur, tamen esse cogitandum, quod Phil. 1. Paul. dicit: Siue per inuidiam, siue per contentionem, siue per occasionem aliqui docent, dum tamẽ Christum annuncient, bene est, ac Deo habenda gratia. His omnibus illud addi potest, quod interpretibus suis Christus spiritum suum promittit Matt. 10. & Deus Hierem. 1. pollicetur se verba sua prophetæ in os positurum. Rationem tertiam ab ipsa interpretatione sumunt, quod eius sit proprium, aliqua addere ijs quæ prius sunt dicta atq; ad explicandum proposita: nimirum illustrandi, astruendi, implendi causa: Scripturæ sacrę contrà nihil esse addendum vel lucis, vel firmitatis, vel implementi causa: cum per se sit satis clara, firma, plana: ac interpretationum varietate & multitudine, contentiones, hæreses, errores inuehi, quibus plus perturbationis ac tenebrarum quàm lucis afferatur. Nos contrà dicimus hanc vnius alicuius sacræ vocis expositionum varietatem non modo nil detrahere de dignitate sacræ scripturæ, verum etiam eam ipsam plurimum augere. Quemadmodum enim linguæ Hebrææ laudibus hoc asscribitur, quod vna eademq; vox plures res significat: sic multiplex sensus etiam ipse scripturam commendat. Quod beatus Gregorius
„ Moral. 15. docet inquiẽs: Sacra scriptura omnes scientias ipso locutionis suę more transcendit, quia
„ vno eodemq; sermone dum narrat gestũ, prodit mysterium. Et Hieronymus in Prologo Biblior.
„ cum de Apocalypsi verba facit: in singulis inquit, verbis multiplices intelligentiæ latent. Et sanè spiritus sanctus author est cum verborum, tum rerum: vt qui res pariter ac verba accommodet. Quò fit vt scriptura sacra bifariam exponatur: Vno modo, quando verbis res significantur, qui sensus dicitur literalis. Altero, quando res aliæ per alias significantur: in quo consistit is sensus, qui dicitur spiritualis: qui triplex est, allegoricus scilicet, & moralis & anagogicus. Eorum primus ad ecclesiæ præsentem statum, secundus ad honestas actiones, tertius ad gloriæ statum refertur. Quod autem expositionum varietate nubes obduci mentibus humanis dicunt, id in pia ac recta expositione locum nullum habet: hæc enim secum ipsa non pugnat, verum quia sacris literis ipsis conueniens est, contrarias omnes explodit. Hæresum autem & errorum causam qui possit hæc varietas esse: cum, vt Augustinus lib. de doctr. Christiana dicit, nihil secundũ spiritualem sensum astruatur,

tur,quod non alibi per literalem fulciatur? Rectius certe Chrysostomus censet scripturæ sacræ negligentiam hæresum & errorum matrem esse. Etenim homil. 3. de Lazaro, Magna (ait) aduersus peccatum munitio est scripturarum lectio: magnum præcipitium, profundum baratrum, scripturarum ignoratio: magna salutis perditio nil scire ex diuinis legibus: ea res & hæreses peperit, & vitam corruptam inuexit, hoc est inter se miscuit, & sursum vorsum omnia voluit. Quartam rationem ab ipsis auditoribus assumunt, ac rationibus illiusmodi fulciunt & ornant: vnum quenq; sibi ipsi maximè esse cognitum, propterea q; etiam optima ac maximè necessaria consilia ac documenta adhibere posse. Veluti Paulus dicit: Quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Existimant igitur cuiq; liberum relinquendum, vt ex eo, quod audierit vel legerit, verbo Dei, quod ad se pertineat maximè, colligat atq; addiscat. Et tempus teri, & inanem operam nauari, si qui in Iudæum dictus est sermo, à Pagano: aut quæ torta in auarum sunt argumenta, à prodigo, audiantur. Ad rationem illam facile est responsum inuenire, cum sit magna parte sui falsa ac vana. Etsi enim demus suarum quenque cogitationum ac voluntatum, itemque consiliorum ac factorum optimè esse conscium: tamen suæ vel miseriæ, vel inscitiæ qui sint sibi planè conscij, rari, & nulli potius sunt, quàm multi. Ac licet sua non ignorent vitia: tamen ea non ita vt res salusq; eorum postularet, curant; sed perinde ac hulcus aliquod leniter tangunt, ne quem sibi dolorem creent. Quin multi sunt qui teterrimis vitijs laborant, quæ ipsi in se vel non animaduertunt omnino, vel leuiora quàm sint, censent esse: cum hæc eadē alij multò citius ac melius animaduertant. Vnde & existimarunt aliqui duas homini cuique manticas esse, quarum vna à pectore, altera à tergo dependeat: aliena in anteriore, nostra in posteriore vitia reposita haberi: ac fieri non posse vt retorto collo in posteriorem inspiciamus. Sed & si sint qui sentiant suam ipsorum miseriam: sunt tamen imbecilliores, quàm vt sibi ipsis in spem salutis & gratiæ erigendis sufficiant. Quemadmodum ergo medicus, quando ipse est æger, alium aliquem medicum ad se curandum accersit: sic nobis etiam ad curanda vitia nostra plus aliorum quàm nostræ ipsorum castigationes atque admonitiones prosint. Quò videntur etiam Paulus & Iacobus spectasse, quando alter ad cohortationes, alter ad confessiones mutuas nos exhortantur. Quæ cum ita sint, nullæ sunt rationes illæ, quæ ad explodendam scripturæ sacræ expositionem afferuntur: & id nimirum agitur, vt hominibus impuris liceat impunè quod libet, facere: minimeq; fiat publica scelerum reprehensione, vt conscientiæ stimuli concionatorum vocibus magis acuantur, & è securitatis suæ nido homines Epicurei eijciantur. Quod quam minimè sit ferendum, quamq; pugnet & cum gloria iustitiaq; Dei, & cum salute mortaliū, nemo sanè, qui vel mediocriter sapit, non animaduertit. Illorum igitur hominum argumentis eæ deinceps opponendæ sunt rationes, quibus euincitur retinendam in ecclesia sobriam, prudentem, ipsis literis sacris conuenientem scripturæ diuinæ expositionem. In quibus ipsis eæ nimirum primum obtinebunt locum, quæ videntur ab authore consuetudinis huius, ceu à causa efficiente interpretationis omnis peti posse. Is igitur qui cum interpretationis huius, tum ipsius scripturæ sacræ est author Deus, hoc inde ab initio rerum semper egit, vt antè abs se dicta vel ipsemet, vel alij illius internuncij mortalibus explicarent. Cuiusmodi sunt quæ de promissione seminis serpentem calcaturi, primum Adæ breuius & obscurius dicta: modo Abrahamo ipsemet exposuit pluribus verbis, modo per Iacobum & Dauidem, itemq. Mosis ac prophetarum verbis clarius explicauit. Sensim enim progressus est ab vnis circumstantijs ad alias: quando Adæ primum dixerat semen mulieris: dein Abrahæ, semen tuum: inde, in Isaaco id nominatum iri: mox Iacobi verbis Iudæ tribum: post per prophetam alium familiam Dauidis designauit: tandem per angelum & Baptistam & Apostolos Christum Iesum filium Mariæ nominauit: adhæc suum ipsius testimonium his omnibus confirmandis pater omnipotens cœlitus demisit, cum filius Dei in Iordane baptizaretur. Quibus omnibus est addendum, quod & causas medias benedictionis, agno paschatis, sacrificijs, apertis Esaiæ verbis: item locum etiam, in quo sacrificium illud esset offerendū, & illum etiam ipsum, qui Messiæ futurus natalis esset: & tempus his peragendis rebus destinatū, designauit. Et Codex repetitæ legis qui Deuteronomij nomine appellatur, itemq; psalmi & libri prophetarum quid aliud sunt, quàm commentarij diuinarum legum? Eódem pertinet, quod initiò patribus familiâs, postea Leuitis & sacerdotibus interpretationis munus demandauit: vt quid quaq; ex re discendum esset, ab illis audiretur. Secutus est exemplum patris filius qui typum serpentis ænei, Mannæ, agni, sacrificiorum, ad se transtulit expositionis lege & ratione: tum leges de cæde, furto, adulterio, iureiurando, & alijs rebus explicauit. Illustrissimum autem id eius, quam Christus in docendo tenuit, viæ & rationis est exemplum, quod apud Lucam 4. cap. scriptum extat: quippe quod primū omnium indicet, eum in synagogas, hoc est ea loca, in quibus populus ad audiendas leges ac prophetas conuenisset, intrare & docere consueuisse: deinde quo modo ab eo factum hoc sit, declarat. Etenim dicitur, ad id vt legeret, in Nazarethana schola surrexisse:

hoc est,cathedram,è qua docebatur,conscendisse: & ex Esaiæ libro,qui traditus illi fuerat, eum
qui cap.61.scriptus extat recitasse:post clauso, & ei,qui dederat ipsi,ministro reddito libro conse-
disse: mox,com omnes intentis in eum oculis, & arrectis ad eius verba auribus essent,adhibita
interpretatiooe, quemadmodum illis varis verbis promissa bona pater opt. max. ea tempestate
cumulatè præstitisset, magna cum admiratione & gratia, tanta etiam vtilitate, vt in sententiam
suam audientes pertraheret,docuisse. Hic omnes vident: & morem exponendæ scripturæ Naza-
retanis illis adeo familiarem & vsitatum fuisse,vt vbi Christus legendi finem fecisset,illi non quasi
re sacra penitus peracta discesserint, verum potius aliquam scripturæ recitatæ expositionem ex-
pectarint: & ipsum Christum exemplo facti sui non minus vtilem quàm laudabilem consuetudi-
nam eam approbasse & retioendam in ecclesia confirmasse. Apostoli deinceps leges,psalmos,pro-
phetias de Iudæ reiectione,de missione spiritus sancti, de stipendijs apostolorum, de potestate &
officio magistratuum,interpretatione illustrarunt. Apostolis autem eandem consuetudinem pla-
cuisse vsitatamq; fuisse,is qui ipsorum acta continet,liber attestatur.In eius cap.13.legimus Antio-
chiæ io Pisidia Paulum & collegas in synagoga primo'in consedisse: post lectionem legis & pro-
phetarum cum principes synagogę eis dicendi copiam fecissent,Paulom bene longum sermonem
habuisse. Quo in loco principum verba illa,viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad
plebem,dicite: satis clarum antè dictæ scholarum consuetudiois indicium edunt. Possent ex eo-
dem libro complora alia coo suetudinem illam approbantia afferri.Inprimisque est obseruandum
quod Christus ijs,quos ipse poterat erudire,suos interpretes mittit:vt Ananiam Paulo,Cornelio
Petrum,Æthiopi Philippum,Macedonibus Paulum,alios alijs. Cumq; Christus monet serutan-
das nobis esse scripturas sacras, vtitur verbo ἐρευνᾶν, quod significat aliquid in vtramq; partem di-
sputando excutere & quod qualeqoe sit æstimandum inuestigare. Quamobrem patris omnipo-
tentis,vnigenæ filij Dei,Mosis & prophetarum, & apostolorum exemplum nequaquam est con-
temnendum. Illis authoribus ac ducibus hæc introducta consuetudo, minimè erit vnqoam te
merè vituperanda. Iam vero si interpretationis hoios materiam libeat spectare, ea vel ex sacris li-
teris ipsis est petita,vel aliondè assumpta. Quæ ex sacris literis afferuntur,ea prophana,aot à spiri-
tus sanct. placitis aliena potare nefas erit: eum sint generis eiusdem, & ex eodem foote promana-
rint. Quin potius sit existimandum hæc esse quasi lumina luminibus aggregata, quibus efficitur,
vt lucis splendor fiat hic maior. Quæ verò aliundè afferuotur, ea sunt aut ex fontibus bonarum
literarum ac liberalium artium,aut ex rerum natura,aut ex vsu vitæ ciuilis,foroq; addocta, aut ex
historijs allata,aut ex piorum interpretum ac sanctorum patrum commentarijs deprompta. Quæ
sanè,quoad cum sacris literis ipsis noo pugnarint,sed vel per se suot bona,vel mediocria, vel apta
ad illustrandos obscuriores locos, nemo sanus repudiarit: quando linguæ & artes sunt inuentum
ac munus Dei:natura ac res oaturales sunt opus Dei:iura ex ipso Dei verbo ceu fonte promana-
runt: historiæ suppeditant exempla dioinitus edita eaq; in hos ipsos vsus,vt ad iostruendum ho-
mines adhibeantur,singulari cura ac prouidentia Dei monumentis literarum mandata. Commen
tarij patrum & si quędam fortassis aliena à veritate sacræ sctipturæ habeant,pleraq; tamen habent
his ipsis scripturis consentanea ac bona, & plurimum afferunt opis ac lucis ad intelligentiam sa-
crarum literarũ. In his igitur, si prudenter & vtiliter versemur,apostolicas regulas tenebimus, &
exempla virorum prudentum,ipsorumq; apostolorũ & patrũ sequemur. Apostolicæ regulæ mo-
nent: spiritus prophetarum prophetis subijci: omoia probanda,quod bonom fuerit, tenendum.
Prudentiæ nomine Plinius & Vergilius commendantur: quorum alter arbitratus est nullum esse
librum adeo malum,qui non aliquid contineret boni:alter aurum ex Ennij stercore sese legere di-
ctitabat. Contrà stultitiæ oota Gallo Æsopico inuritur,qood hordei granum gemmæ præferebat.
Quo ore ergo tam pura,tam sancta,tam vtilia fidei vitęq; documenta,qualia diligens scripturę ex-
positio suppeditat,quisquam repudiaret? Melius sanè Paulus ex Epimenide & Arato citare sen-
tentias vsibus sois aptas minime nefas iudicauit. Et Cyprianos maximi quidem literas sacras fe-
cit,& tamen vsus est assidua Tertulliani lectione. Quamobrem vndecunq; aliquid ad illustrandũ
sacras literas afferatur,modo mentem & sententiá earũ non oppugnet,nullo iure potest repudiari.
Ac quemadmodũ multa loca,tẽpora,vasa,vestimenta,instrumẽta,quæ prius aut prophana fuerãt,
aut ex materia minimè sacra fabricata,postquam suot ad vsum religionis translata, iam sacra qua-
sique diuina euaserunt: sic iudicia ac testimonia ex prophanis literis allata atque ad diuinos vsus
accommodata,quasi desinunt esse prophaoa ipsoqoe vsu dioioa euadunt. Quis enim Epimenidis
& Arati versos in Paulinas epistolas relatos iam repudiet ceu prophanos? Cumq; Dei sint omnia,
& vsibus eius iure seruiant:nec ineptè, nec iniquè faciunt serui Dei, si quando ex amplissima illa
supremi opificis officina cuiusuis generis instrumenta qoasi accommodatò accipiunt atque ac-
commodant ad prouehendá gloriam & notitiá Dei. Quæ cum ita sint,etiá ipsa materia commen-
dat ex-

dat expositionem sacrarum literarum. Sin autem de interpretationis forma quęstio moueatur: nec nos recipimus aut probamus eam, quæ falsa sit, & pugnans cum sacris literis: sed eam censemus retinendam, quæ sit fidei nostræ conueniens, charitati in Deum atque proximum consentanea, ex circumstantijs rerum descriptarum petita, ex ipsarum scripturarum collatione deprompta. Conueniens erit receptis articulis fidei, si interpretatione ex alio loco assumpta, ea dicta quæ & secum ipsa pugnare, & ipsis literis sacris esse aduersaria videbātur, ad Christianæ fidei capita reuocemus. Velut exempli gratia, si illud, caro & sanguis regnum Dei non posidebunt: non ad genus humanum, quasi id possesione regni Dei prohibeatur: sed ad effectus carnis, qui cum spirito Dei pugnant, referamus. Fides enim haud concedit exclusam carnem, hoc est, naturam humanam regni cœlestis possesione. Eniteodum est etiam, vt consentanea sit quoque charitati Dei & proximi, illa quam requirimus & probamus ipsi, expositio sacræ scripturæ. Dicit enim D. Augustinus libro 1. cap. 36. de Doctrina Christiana: Quisquis scripturas diuinas, vel quamlibet earum partem intellexisse sibi videtur, ita vt in eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit. Nam si quis illas leges, ne resistatis malo: non occides: eò trahere nitatur, vt impunitas flagitiorum inuehatur: is interpretationem cum salute publica atque gloria Dei pugnantem introducit. Circumstantiarum autem consideratio non parum lucis affert; veluti Paulus ex tempore colligit, Abrahamum nec operibus legis, nec circuncisione, verum fide iustificatū esse: quemadmodum videre est Rom. 4. Gal. 3. Nec minus lucis affert dictorum collatio: vt si illud, Pater maior me est, cum eo, quod dicit alibi, Ego & pater vnum sumus, conferamus: itemq; illud, relinquo mundum, vado ad patrem: cum illo, ero vobiscum vsq; ad consummationem seculi, aliaque dicta cum alijs conferamus. Hoc interpretationis forma destituere ecclesiam in mali maximi loco docendum arbitraret. Eundem autem finem habere expositio scripturæ debet, quem scriptura ipsa habet: nempe vt discatur Christus, vt emendetur vita, vt consolatione & spe repleantur animi humani, vt regnum & gloria Dei propagentur. Christus enim ipse iubebat in scripturis quęrere testimonia, quæ de ipso prodita extabant: ac rursus Pharisęos & Sadducęos, de eo quod alium ad scopum spectarent, repræhendit. Et Paul. ait: Rom. 15. Quæcunq; scripta sunt in nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Diuos Iohannes item dicit, in hoc esse omnia scripta, vt certò constet Iesom esse Christum filium Dei. Ac si quod D. Paulus partim Rom. 15. partim 2. Tim. 3. partim alibi indicat sacras literas ad castigandū & consolandum, ad confutandum & confirmandum, ad docendom & exhortandum conducere: nemo non videt eas ipsas interpretatione esse ad eos vsus pertrahendas. Quod & ædificandi verbo videntur apostoli non obscurè significasse. Quemadmodum enim architecti non materiam solum necessariam conqoirunt: verum etiam quicquid habent lignorum atq; lapidum id affabrè elaborant, & suo quidq; loco disponunt, & accommodant aliod alij, & in vnum tandem concinnant atque componunt: sic architectus euangelicus quæ docenda sunt è sacris literis haurit, disponit, suis quæq; personis locis ac temporibus accommodat, & ex ijs vel institutionem, vel castigationem, vel consolationem, vel alterius generis vtilem orationem facit. Iam si interpretando quisquis docet, huc contendat peruenire, vt à malo homines ad bonum atq; ad Christum adducantur, ad charitatem reflectantur, in spe & expectatione cœlestis ac sempiternæ vitæ conseruentur: iniqui iudices erunt, qui illius conatum ac labores improbarint. Eorum autem ipsorum, qui scripturæ sacræ expositionem omnem repudiant, opinionem planè minuendam atque explodendam iudicabunt, quicunq; non vtilitates ex ea promanantes solum, qua decet atq; expedit religione & prudentia celebrandas intra seq; recolendas susceperint, verum etiam in quanta sit, hac è medio sublata, non minus obscuritate & caligine, quàm vastitate & solitudine futura ecclesia, secum ipsi reputariot. Quorum vtrumq; diuinitus editis exemplis plenius ac melius, quàm oratione & verbis indicatur. Equidem vt ex multis pauca proferam, ipse filius Dei, cum à mortuis suscitatus duobus ipsius discipulis inter eundū omnia de ipso Mosis & prophetarum vaticinia proponeret atq; explicaret, expositione ea tantum effecit: vt postquam ex eorum se conspectu subduxisset, ipsimet faterentur, suos eis animos arsisse, dum ita scripturas ipsis aperiret atq; illustraret. Sed & D. Petrus interpretatione eorum scripturæ locorum qui illustria de Christi & spiritus sancti missione testimonia proponunt, tantum effecit: vt vna concione eius ad Christi fidem tria millia hominum adducerentur. Quemadmodum etiam Eunuchus Æthiops Philippi interpretatione, cum in eius, quem legebat, loci intelligentiam, tum in ipsius Christi notitiam atq; fidem inductus, in Actis apostolicis, memoratur. Ex his alijsq; plurimis, quæ, ne in immensum excrescat hæc tractatio, dedita opera prætereo, cum Christi, tum apostolorum exemplis intelligi potest: maximas ac propè incredibiles expositione sacrarum literarum orthodoxa ac sana mortalibus vtilitates afferri. Quantæ rursus quamq; densæ errorum & inscitiæ tenebræ miseris mortalibus offundantur, vbi fuerint

expositione sacræ scripturæ destituti, non minus nostra patrumq; memoria cognitum fuit, quàm eorum, in quæ Christus ipse incidit, temporum exemplo comprobatum. Cum enim Christus capto iam atque in carcerem ab Herode coniecto Ioanne Baptista, Galilæam totam obiret docens in eorum synagogis, & prædicans Euangelium: Matthæus dicit, eam regionis incolis oblatam esse lucem, de qua multis ante seculis Esaias vaticinatus fuerat, fore: vt qui populi, tanquam offusa ipsis sempiterna nox esset, ita in tetris tenebris & obscura caligine sederint antea, ij deinceps sint clarissimam lucem aspecturi. Quod exemplum satis manifesto indicio fuerit: eos, qui scripturas quidem ipsas habent, sed earum tamen interpretatione & intelligentia destituuntur, quasi in quadam caligine degere: & rursus eos, qui sacrarum literarum interpretatione intelligentiaq; potiuntur, quasi ex opacis ac frigidis locis ad apertum solem eductos suauiter apricari. Qua profecto apricatione, miserè se destituunt, quotquot expositionem sacrarum literarũ orthodoxam explodunt. Idque nostra patrumque memoria factum vidimus, cum pro viuacissima atq; efficacissima voce prædicationis Euangelicæ, aniles fabulæ, hymni peregrina lingua decantati, planè pueriles & ridiculæ cerimoniæ, mutæ statuæ populo Christiano proponerentur. Quò factum est, vt quod sua cuique ratio dictaret, id vnum ab hominibus addisceretur. At cum omnis imprimisque sacra historia vitæ magistra debeat esse: res ipsa postulat, vt hanc magistram suis quique cogitationibus, dictis, factis, moribus adhiberi patiantur, siquidem aliquid ex eius institutis & præceptis vtilitatis consequi sibi velint. Ac quemadmodum cœlum non animum mutant, qui procul à patrijs ędibus inter homines se nihilo prudentiores, vrbaniores, meliores, barbaros scilicet ac sordides degunt: sic qui sacras literas ipsas quidem legunt atque audiunt, nullam autẽ earum expositionem admittunt, hi in ijs nihilo plusquam Iudæi profecerint, qui faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant. Quocirca rectam scripturæ sacræ expositionem ecclesia Christiana saluam sibi atq; liberam semper conseruabit.

10 Dixit autem Nehemias ipse est Athersata, & Esdras sacerdos & scriba, & Leuitæ interpretantes vniuerso populo, dies sanctificatus est Domino Deo nostro nolite lugere: nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis.

11 Et dixit eis, Ite cõmedite pinguia, bibite mulsum & mittite partes his qui non præparauerunt sibi, quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.

12 Leuitæ autem silentium faciebant in omni populo dicentes, tacete, quia dies sanctus est & nolite dolere.

13 Abijt itaque omnis populus, vt comederet & biberet, & mitteret partes & faceret lætitiam magnam: quia intellexerant verba quæ docuerat eos.

Quæ deinceps quatuor versibus illis Nehemias recitat, ea videtur etiam ipsa ad asserendam ac commendandam interpretationem scripturæ sanctæ referre: quando his ipsis primum ea, quibus Esdras & Leuitæ sunt vsi, interpretationum genera prodit, dein eius ipsius vim facultatemq; esse maximam minimè leuibus argumentis probat. Ac interpretationis quidem genus vnum fuisse in castigando positum lachrymæ verbis atrocitatem pœnarum pariter atque scelerum exprimentibus extortæ significant: alterum rursus consumptum in consolando, ipsa exempla consolationum apposita monent. Quæ duo genera sunt præcipua earum, quæ ad populum habentur, concionum: vt quæ duas doctrinæ Euangelicæ partes, videlicet vnam de pœnitentia, de gratia alteram comprehendant. Velut enim nefariæ vitæ & errorum nostrorum reprehensione ad pœnitentiam retrahimur: sic consolatione erigimur in spem & fidentem gratiæ cœlestis expectationẽ. Interpretationis autem vim facultatemq; fuisse maximam duobus argumentis probat: vno, quod reprehensione scelerum ac comminatione pœnarum potuerint auditoribus suis lachrymas extorquere: altero quod eosdem quasi lachrymis abstersis potuerint è mœrore & squalore luctus erigere & adducere ad epulas publicas & ad hilaritatem. Cum enim nuda legũ recitatio non potuisset eos adeo cito commouere: credendum est eos præceptis diuinis ad ipsorum vitam ac mores atque ad commonstrandum calamitatum causas interpretatione ipsa accommodatis adductos in notitiam atque in seosum suæ miseriæ, ex eaque perceptum dolorem lachrymas eis extorsisse. Idque videtur etiam Beda sensisse, quando dicit hos lectionibus sacris ac deuotis exhortationibus ad lachrymas concitatos fuisse. Videntur ergo hoc vno decimo versu cum docentes, tum doctrina, tum

na, tum ipsi quoq; discentes commendari. Ac docentes quidem duobus nominibus: vno, quod tanto feruore & studio scripturas populo explicarint, vt in se quisq; descenderet suamq; miseriam cerneret & deploraret, atque ad quærenda effugia moueretur. Id enim non minus pietatis habet quàm artis: quando affectus alijs nemo facilè mouerit, nisi in quo prius ipsi sint suscitati. In nobis autem ipsis affectus potissimum suscitabimus imaginatione rerum grauium & assidua ac Deo deuota precatione. Quarum rerum laudem illi sibi vel eo ipso vendicant, quod hoc possunt. Altera pars commendationis docentium est, quod eos ipsos consolatione rursus erigunt, confirmant ac sanant, quos graui castigatione paulò antè quasi vulnerarant. Nam idipsum etiam est bonorũ doctorum officij: nempe vt quem pœnitentiæ prædicatione in animis auditorum dolorem suscitarunt, eum prædicatione gratiæ rursus leniant ac sedent: quas seuera scelerum repræhensione lachrymas extorserunt, has abstergant suaui consolatione. Eamq; etiam Baptista tenuit in docendo viam: nempe vt primum terreret & ad pœnitentiam adduceret, dicendo quod viperæ essent, & steriles moxq; amputandæ plantæ: dein consolaretur commonstratione agni Dei tollentis peccata mundi. Petrus etiam Act.3. ea via processit in docendo: quando primum eis dicit: Vos iustum & sanctum negastis, &c. Et paulo post: Et nunc scio fratres, quod per ignorantiã, &c. Eodemq; modo Nehemias scribit Esdram & Leuitas eosdem modo in mœrorem ac luctum graui castigatione deiecisse, & consolatione postea rursus ad celebrandum festum erexisse. Nec minor est laus ac virtus discentium, qui dicuntur omnes fleuisse. Erat enim illis voluntas melior quàm patribus, vt quæ posset ad pœnitentiam citius ac facilius flecti. Maiores eorum dura ceruice & adamantino corde: hoc est, admodum pertinaces erant & obstinati. In huiusmodi auditoribus oleum & opera perditur. Quod est maximo dedecori. Illi igitur laudem maiorem merentur, qui non fuerunt adeo feri, quin mitescere possent. Hæc exempla sunt obseruanda. At multò maxima est doctrinæ commendatio, quippe quæ sit adeo grauis, efficax, ad mouendum omnibus artibus atque viribus instructa. Eo nomine sanè doctrina Christi pharisaicæ doctrinæ præfertur, quod non adeo tepida, frigida, friuola, soluta fuerit vt pharisæorum: sed efficaci quadam præstans facultate. Equidem hæc facultas mouendorũ hominum concionatoribus præsertim apud plebem valde est necessaria. Primum quod homines simplices ac rudes moueri citius ac facilius, quàm doceri queant: dein quia motibus animorum magis quàm ignoratione recti in transuersum abripimur, ideoque sint affectus affectibus opponendi: tertiò, quia sic omnes comparati sumus, vt vitijs nostris blandiamur, nec facilè ab his diuelli queamus, nisi nobis quanto maximo possunt opere exaggerentur: quartò quia maxima pars hominum adeo vecors est ac segnis, vt nisi his stimulis ad officium excitata nihil faciat recti. Qua de causa arbitramur affectus bonos vicem cotis præstare, quippe qua virtus magis acuatur. Exempla talium orationum cum in sacris literis, tum in monumentis sanctorum patrum multa extant.

Iam quoniam ecclesia non minus consolatione, quàm castigatione eget: nunc quoq; consolationis eius, quam Esdras & Leuitæ Iudæis miseriam suam deplorantibus attulerunt, exempla simul atq; effecta Nehemias vndecimo, duodecimo, & decimo tertio versibus profert. Ac primum consolationis eius, quam lugenti populo Nehemias attulit, exemplum promit. Eius hæc est summa. Quoniam dies sit festus, abstinendum fletu, facienda quæ ad festum pertinent: idq; saltem obseruantia Dei, qui hilares potius quàm tetricos cultores requirat, ac sanctis gaudijs homines reficiat ac conseruet. Ad genus deliberationis referenda videtur hæc oratio: quippe quæ conatur populo persuadere, vt erectis ex mœrore animis, hilarem eum sumant, ac Deo celebrent diem. Et tribus partibus perficitur: exordio scilicet, & propositione & confirmatione. Exordium à præsenti tempore ducit: Dies (inquiens) sanctificatus est Domino Deo nostro. Hebræa verba sic sonant: Hic dies sacer est Iehouæ Deo vestro. Id est, Nec vester est dies hic, nec cuiusquam alterius negotij: sed cultui veri Dei, qui se vobis peculiariter exhibuit seruatorem, consecratus. Est ratio ducta à tempore: quod cum sacrum sit quasique diuinum, rerum diuinarum curam ac tractationem suadet. Hoc autem exemplo discimus, exordia concionũ solenniũ ea esse optima atq; ad excitandos animos aptissima, quæ ab ipso tempore ducuntur. Eiusdem generis est, quod Christus de passionis suæ fructibus, deque cœna Domini concionaturus à pascatis tempore exordium ducit, dicens: Desiderio desideraui illud pasca vobiscum edere. Et Paul. Corinthios ad rectã ac legitimam eucharistiæ celebrationem reuocaturus, cum profligata prophanatione eius ad rem ipsam accessurus esset, à tempore narrationẽ eam exorditur, dicens: Iesus ea nocte, qua traditus est. Sed & idem hortaturus ad coercitionem scelerum, ab rebus festo paschatis fieri solitis initium suæ cohortationis ducit: Expurgate vetus fermentum, vt conspersio noua sitis. Quin etiã Chrysostomus decem diebus antequàm Iudæorum ieiunij dies aduentaret, suos homines aduersus eam superstitionem muniendos duxit: iudicans imitari se agricolas, qui torrentis ripas prius muniant, quàm exun-

det: itemq; messores, qui prius acuant falces & aream parent, quàm adueniat messis. Eodemq; modo concionatores omnes arbitrabuntur omnibus sabbatis ac festis diebus initiò statim homines commonefaciendos, vt suos Deo debitos dies soluant, nec consumant rebus à Deo alienis. Idq; rationes in illorum verbis reconditæ etiam ipsæ monent: tempus esse sacrum non prophanũ, & tempore quoq; perinde, vt fuerit, vtendum, sancto videlicet sanctè, ciuiliter ciuili. Sed & hoc tempus esse consecratũ Iehouæ, ei scilicet Deo, qui impunè despici non possit: & quidem Deo nostro, cui perinde suus à nobis sit habendus honos, atq; aliæ gentes suos ipsarũ Deos colunt. Hæc aliaq; cogitanda sunt in vso feriarum. Propositionis videtur esse: quod dicit, nolite lugere, nolite flere. ite, comedite pinguia, bibite mulsum, mittite partes. Summam rerum proponit duabus partibus distributam: quarum prima quid cauendum, secunda quid præstandum sit, monet. Cauendũ autem luctum ac mœrorem omnem duobus scilicet dicit verbis. Quorum prius אבל flere quidem & lugere significat, sed tamẽ & de rebus inanimis dicitur: veluti cum terra lugere fortasse per metaphoram, sicut & hæc eadem simili modò ridere, dicitur. Alterũ בכות fletum ac eiulatum significat. Ambobus ideo videtur vsus esse, vt omnem maximum & minimũ luctum, omnes item mœroris notas caueri oportere ostenderet: nimirũ vt animis omni perturbatione solutis ac liberis eo plenius ac melius officium Deo debitum præstarent. Nisi enim vacui sint affectibus animi, nec cogitari, nedum agi, quicquam rectè, nec percipi mente quicquid inculcetur, potest. Cumq; desperatione omnium maximè deijciantur animi humani, illã ipsam pij Dei internuncij suauissima illa gratiæ prædicatione maximè ducunt explodendam. Quod videre est in eorum omniũ sermonibus, atq;
" etiam in hoc ipso. Enitendum autem & præstandum quid sit, hoc modo monet: Ite, comedite pin-
" guia, mittite partes, &c. Atq; hæc quidem eò videtur dixisse, vt postquam sacrificassent, ad epulas sacras atq; ad conferenda munera ipsos excitaret. Qui mos sacrificiorum vetus fuit: nempe vt animalis oblati pars vna Deo, altera sacerdoti, tertia offerenti tribueretur. Sicut in 1. Reg. 1. Helcana dicitur obtulisse, & vxori atq; filijs partes dedisse. Et 1. Reg. 16. Samuel Bethlehemitas inuitat ad sacrificium, nec prius vult discumbere, quàm Dauidem regem vnxisset. Quod indicio est sacrificijs etiam adiuncta conuiuia fuisse. Videre est etiam huius generis conuiuiorum vestigia apud Homerum in 1. & 2. libris Iliados. Plutarchus etiam in Sympoſiacis scribit, priscis hominibus eum fuisse morem, vt inter res sacras haberentur mensæ, & prius ἀπαρχὰς, id est, primitias Dijs consecrarent, quàm accumberent ad edendum. Pinguium autem atq; partiũ nomine quę sua lingua משמנים à שמן id est, pinguedine vocat, eas videtur sacrificij portiones significare, quę familijs offerentiũ cedebant & conuiuis eorum. At nomine dulcium, quæ ממתקים vocat à verbo מתק, quod significat aliquid dulce efficere, deducto nomine, potum nimirũ in sacrificijs vsitatum dicit. Quem fuisse mulsum interpretes putant. Quod genus potiones sacrificijs olim adhiberi consueuere: fortassis ad significandum τὴν τοῦ θεοῦ ἄφθαρτον φύσιν, id est, nulli corruptioni obnoxiam naturã Dei. Quod ipsum mel vtrumq; repræsentabat. Est enim ea natura mellis, vt eo perunctæ res putredinẽ nullam admittant. Vnde & cadauera suorum vncta melle Babylonij sepelierunt: & Democritus interrogatus, qua potissimum re valetudo bona conseruari possit, dixisse fertur, si interiora melle, exteriora oleo maderent. Melle etiam & lacte manantem terram suis Israelijs Deus promittit quã intelligit optimorum atq; ad longæuitatem pariter & ad firmitatem conducentium alimentorum feracissimam futuram. Communicatione portionum videntur charitatem erga se mutuam exercuisse, & refecisse egenos. Fuit autem in Deo quidem amoris erga genus humanum maximi, signũ, quod nullum ab hominibus officium suscipit, cuius non aliquis etiam ad homines redeat vsus atq; fructus. Adeo videlicet est amicus hominibus, vt omnia sua velit habere cum amicis communia. Simul etiam est obseruandum hoc loco, quod duo præcipua diuinarum legũ capita, quorũ altero Dei, altero proximi amor, pręcipiuntur, hac ratione coniunguntur, inter seq; temperantur: quando sic seruitur Deo, vt simul etiã proximo benefiat, ac rursus sic proximo benefit, vt pro eo ac par est, prior officij pars cedat Deo. Quæ res tantæ priscis Christianis admirationi fuit, vt ad conuentus suos hanc quoq; consuetudinem transferendam iudicarint. Cumq; ea res quasi quædam charitatis mutuæ tessera fuerit: epulas illas publicas agapas appellarunt. Quam charitatis legẽ cum Corinthij pauperiorum fratrum contemptione violassent, grauiter à Paulo reprehenduntur. Meminerunt huiusmodi conuiuiorum, Origenes li. 3. Commentariorum in Iobum, & aliâs alij. Etenim Cypr. Serm. de eleemosyna, viduã diuitẽ & auaram ob id reprehendit, quod de dominico viueret, & in dominicum nihil ipsa conferret. Quod argumento est, hæc conuiuia habita fuisse ex contributis donationibus, quas collectas appellabant. Qualia vero fuerint ea conuiuia, Tertullian. Apo-
" loget. c. 39. breui quadam descriptione docet. Comeditur (inquit) quantum ad famem valet depel-
" lendam: tantum bibitur, quantum satis est pudicis & castis: oratio auspicatur & claudit cibũ: con-
" fabulantur inter se quasi dominum habeant præsentem. Huiusmodi sobria ac colloquijs pijs condita con-

dita conuiuia,sacris iam peractis videlicet,nemo pius ac bonus hodieq; improbarit. Equidē Tertull.in lib.ad vxorem docet,Christianos sacramentum ieiunos accipere consueuisse:hoc est,vsum eucharistiæ epulis nequaquam miscuisse, verum tunc demū conuiuia sua miscuisse,cum iam cœnam Domini celebrassent. Obseruandū est autem in hac Nehemiæ consolatione, conuiuia sobria ac casta esse eiusmodi,vt nec Deo displiceant , nec vllos Deo sacros solennesq; dies contaminent: sed sint apta reficiendis animis humanis instrumenta. Perinde est etiam obseruandū, quod Nehemias animos suis additurus,eleemosynam ac beneficentiá suadet. Existimandum est igitur conferenda pauperibus munera cum illorū,tum nostra ipsorum causa: quorū conscientiæ securitati & tranquillitati mentis multò plus accrescit,quàm pecunia minuatur. Præclarè enim dicit Solomō Prouer.19.fœnerat Iehouæ gratiosus erga pauperem: & retributionem suam reddet ei. In eandem sententiam Matt.10.& 25.Christus concionatur. Nec mirū est lætis animis esse eos,qui sibi sciunt apud Deum depositos esse thesauros,quos sciunt sibi nullo furto auferri posse. Meminerimus igitur sancta gaudia,moderata conuiuia,beneficentiam,ad lętitiam solidá ac plenam momenti plurimum afferre. Iam vero confirmationē verbis illis instituit Nehemias. Quia sanctus est,inquit,dies Domini:gaudiū etenim Domini est fortitudo nostra. Duas enim ad consiliū suum astruendū rationes affert: vnam videlicet à tempore,alteram ab vtili. Tempus obijcit,eo quod dicit hunc diem esse Domino sanctū qui lętiores animos requirat. Quasi dicat: Etsi sint peccata nostra meritò deploranda:cogitandum tamen est,nec esse nunc indictum publicū ieiunium,nec pœnitentiæ publicæ diem hunc decretū: verum potius festum tubarū, quo victoriarū maioribus nostris olim concessarum recordatio celebratur. Quocirca festum hoc gratiarū actionem potius requirit , quàm querimoniam publicam aut luctū. Cumq; suum cuiq; rei sit tribuendū tempus , & ipsa tempora suas sibi conuenientes postulent actiones: id agendū est hoc quoq; tempore quod ipsum monet. Non minus retinendū est decorum in tempore,quàm in rebus ac personis. Ab vtili ducit argumentum quando dicit,Gaudium Domini est fortitudo vestra. Significat autē Hebræū nomen non tam animi quàm corporis robur ac firmitatem. Id ergo censet considerandū , quod vt mœror corpora pariter ac animos exedit:sic gaudium hæc eadem reficit,fouet,firmat. Estq; hæc vis inprimis cœlestibus gaudijs asscribenda: quippe quæ sunt solida ac plena. Atq; hæc quidem indicio sunt,quibus rebus queant homines ex mœrore & luctu suscitari in spem bonam & animorū tranquillitatē: quibus item rebus & animi & corporis bona possint eis non modo conseruari verum etiam augeri.

Eius vero consolationis,quam Leuitæ lugenti populo attulerunt,exemplum decimo tertio capitis huius versu,cum dicit: Leuitæ autem silentium faciebant,&c. profert. Est autē hæc in pauca atq; in quandā quasi summā contracta consolatio: quippe in qua singulis verbis singulę partes orationis repræsentari videantur. Aliàs est minimè dubitandū,quin & si illos Nehemiæ plena ac diligens consolatio fecisset in dicendo breuiores: pluribus tamē sint quam hic referantur verbis populum allocuti. Expedit tamen habere quoq; & inspicere epitomas consolationū,eas præsertim quæ sunt adeo pręgnantes & plenę,velut hęc videtur esse; vt quemadmodū diximus,singula propè verba singulas orationis partes repræsentent. Eisdem autē videntur argumentis vsi , quibus ante eos etiam vsi fuerant,Esdras & Nehem. In quo videre est quàm pulchrū sit & vtile ciuitati,ministros, doctores,magistratus se mutuū iuuare,& alium ordinē alij quasi suffragari. Idq; etiam factum hoc loco vel hoc illius consolationis exemplū docet. Quantū autē apud Iudęos pondus habuerint Esdræ, Nehem. & Leuitarū orationes,decimo tertio cap. huius versu,cū author dicit, Abijt itaq; omnis populus,&c. ostenditur,addita quoq; causa. Elucet autem hic obedientia populi illius singularis,vt qui singulis propè monitis principis sui sigillatim responderit: ibant , conuiuabantur,dona suis amicis dabant,gaudebant,vt erant iussi. Omnia sua facta ad finem orationis ad se habitæ dirigunt. Eodemq; modo omnes,qui quidem bene sibi consultū volunt,verbi diuini auditores hoc eniti debent: vt ad id animos ac mores componant suos,quod vt apud eos obtineret,interpres seu internuncius Dei potissimum dicendo contendebat. Tantæ vero horum obedientiæ causam Nehemias huic vni tribuit rei,quod illi nō solum audierint,verum etiá intellexerint factam ad se cohortationem. Idq; dicit planè secundū naturá verbi diuini: qua fit,vt idipsum eorū omniū moueat ac flectat voluntates,qui ipsum intelligētia menteq; perceperunt. Quod qua ratione fiat,ijs nō difficile est videre,qui petierint à physicis distinctiones & appellationes partiū hominis,easq; cū prophetarū & apostolorū verbis contulerint ac compararint. In homine sunt,pars cognoscens, indicans,appetens: nempe memoria,intellectus,voluntas. Quę veniunt in memoriá ac notitiá,ea indicat intellectus: iudiciū huius voluntas exequi conatur. Ideo Paulus auditū , hoc est,vt audiatur, requirit: nimirū vt ipsum Dei verbum auriū sensu quasi quodá vehiculo in memoriá notitiamq; hominū transuehatur. Quod dein exceptū memoria proponit intellectui discutiendū ac iudicandum. Quá ad rem si diuina spiritus sancti gratia quæ mentes hominū illuminat,accesserit,genuina ac vera auditi verbi sententia percipitur, hæcq; deinceps voluntatem ad obtemperandū mouet &

impellit. Atq; hoc ipsum fieri D. Lucas Act.16. exemplo Lydię docet, cuius Dominus cor dicitur aperuisse. Idem docet etiã Dominus ipse Ioan 6. ex Esa. 54. Hierem 31. adductis locis: Erunt omnes docti à Deo. Et sanè frustra concionantes audiuntur, nisi mentes aperiat & illuminet Deus. Adhęc est cogitandũ qualis fuerit intellectus, talis & voluntas sit futura: ac quicquid tulerit voluntas, hoc ipsum homines faciunt ac dicunt. Præclarè etiam hoc ostendit D. Aug. li.1. c.14. de Gratia Christi, " Ac per hoc (inquit) quãdo Deus docet nõ per legis literã sed per spiritus gratiã, ita docet, vt quod " quisq; didicerit, non tantũ cognoscendo videat, sed etiã volendo appetat, agendoq; perficiat. Et isto " diuino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis " possibilitas adiuuatur. Atq; hæc propterea cogitanda sunt & considerãda, vt meminerimus ad auscultationem & perceptionẽ verbi diuini frugiferã non requiri solum attentionẽ & diligentiã maximã, verum etiã esse imbecillibus nostrarũ mentiũ viribus auxilia diuina necessaria, eaq; pijs precib. diuinitus impetranda. Sicut enim oracula diuina solo instinctu diuino afflatuq; funduntur: sic ad eorundẽ perceptionẽ & obseruantiã humanę mẽtes tantũ modo aperiuntur atq; excitantur impulsu motuq; spiritus sancti. Credendũ est etiã non minus piè Nehemiã quàm prudenter ἐπιτηδευμα illam attulisse: nimirum vt non solum obedientiæ laude Iudæos in officio retineret, verum etiam suam Deo, afflatæ gratiæ laudem deferret, eoq; omnes ad numinis religiosum cultum inuitaret.

14 Et in die secundo congregati sunt principes familiarũ vniuersi po
puli, sacerdotes & Leuitę ad Esdrã scribã, vt interpretaretur eis verba legis.
15 Et inuenerũt scriptũ in legę, pręcepisse Dominũ in manu Moysi vt
habitent filij Israel in tabernaculis in die solenni mense 7. & vt prædicent.
16 Et diuulgent vocem in vniuersis vrbib. suis, & in Hierusalẽ dicen-
tes, egredimini in montem, & afferte frondes Oliuæ, & frondes ligni pul-
cherrimi, frondes myrti & ramos palmarum & frondes ligni nemorosi, vt
fiant tabernacula sicut scriptum est.
17 Et egressus est omnis populus & attulerunt. Feceruntq; sibi taber
nacula vnusquisque in domate suo & in atrijs suis & in atrijs domus Dei,
& in platea portæ aquarum & in platea portæ Ephraim.
18 Fecit ergo vniuersa ecclesia eorum, qui redierant de captiuitate, ta
bernacula, & habitauerunt in tabernaculis: non enim fecerant à dieb. Iosue
filij Nun taliter filij Israel vsque ad diem illum: & fuit lætitia magna nimis.
19 Legit autem Esdras in libro legis Dei per dies singulos, à die pri-
mo vsque ad diem nouissimum: & fecerunt solennitatem septem diebus &
in die octauo collectam iuxta ritum.

14 Versibus illis pars octaui cap. altera continetur: qua narratio noua præponitur de festo tabernaculorum. Eius hæc est summa. Occasione recitatæ atq; explicatę legis inciderunt Iudæi in mandatum de festo tabernaculorũ, ideoq; ad eius celebrationẽ & virorũ principũ iussu excitantur, & suapte voluntate se conuertunt. Est aũt bimembris hęc narratio: quippe qua primũ occasio oblata ad celebrandũ festũ, deinceps festũ ipsum, describuntur. Et occasionẽ quidem, qua ad celebrandum festum adducti sunt Iudæi, sic describit versus 14. primis verbis, vt & quo tempore, & quib. ex reb. prębita fuerit, ostendat. Ac tempus quidẽ dicit diem secundũ. Quo videtur non festi, verũ aut mensis, aut festum consequẽtiũ dierum, secundũ nominare. Etenim prima die mensis septimi festum tubarũ, decima festũ expiationis: decima quinta demũ festũ tabernaculorũ, celebrabantur. Quisquis fuerit dies, faustũ eũ ac fœlicẽ fuisse, id argumento esse potest, quod occasionẽ prębuit ad pręstandum id officiũ Deo, quod diu fortasse fuerat non citra culpã intermissum: idq; ea prorsus occasione, quod hoc die librũ legis legerunt. Qua in re videre est, quæ res faciant faustos aut infaustos dies: nimirũ auscultatio verbi diuini, rerum diuinarũ tractatio, audita concio sacra, preces. Hi sunt igitur fausti dies, quos inuocatione Dei & studijs sanctis fecimus faustos. Quibus aũt ex reb. occasio fuerit eis oblata, Nehemias eo ipso perspicuũ facit, quod dicit, eos ad Esdrã auditũ & intellectũ legem confluxisse, eoq; in conuentu legẽ de illo festo repertã fuisse. Quod indicio est, duab. ex reb. occasionẽ illam eis prębitã fuisse: vna, quod auditũ legem ad Esdrã conuenissent: altera quod in legẽ reperissent hoc mandatũ. Harũ altera monemur, vtiles esse conuẽtus eos, qui diuini verbi percipiendi causa fiunt: vt qui præbeant occasiones maximis bonis acquirendis. Quod & Christus significat Matt.18. vbi duo vel tres, &c. Ioan.14. Ego & pater ad eũ veniemus. In templo datũ Annæ & Simeoni fuit, vt diu exoptatũ Mesiã coràm intuerentur: in synagogis datũ est alijs, vt agnoscerent Mesiã: alijs, vt à varijs morbis liberarẽtur. Et Dauid dicit se cõuentus sacros auidè frequẽtasse. Et Neh. vt hoc magis cõmendet, hũc conuentũ peculiarib. notis personarũ, loci, causę, describit.

In per-

In personis principes patrum nominat. Hi citra detrimentum abesse domo possunt, quando suis familiaribus quæ facto opus sint, sigillatim singulis præscripserint. Capiunt hinc consilia ad rem familiarem accommoda, & fiunt exemplum disciplinæ. Boni patrisfam. exemplum Origenis pater apud Euseb. Eccles. hist. lib. 6. cap. 2. præbet. Cumq; patribusfamiliâs lege Dei mandatum sit officium institutionis liberorum: cogitandũ est, minimè bene docturum eum, qui didicerit nunquam. Patribus illis Leuitæ & sacerdotes annumerantur, qui nimirum non se tantum profecisse arroganter opinantur, vt ab ipsis nihil amplius addisci possit: verum agnoscunt omne tempus ætatis in discando consumendum, & senescentibus discendum, & diem à die docti, & quo quis sit doctior ac sapientior hoc magis videat, se non posse viri docti nomen profiteri. Locum autem discentibus apud Esdram fuisse dicit. Et certè expedit sæpe eos adire, à quibus semper discedas melior & doctior: & decet viros pios ac sapientes, vt domicilia sua aperiant sapientiæ pietatisq; studiosis. Estq; imprimis bonorum & ad res excelsas aspirantium adolescentium, appetere & sequi consuetudinem senum virtute & vsu rerum præstantium: quorum & sermone fieri sapientiores melioresq; possint, & exemplis ad studium honestarum actionum excitentur. Quam ad rem momentu plurimum eis attulerit ipsorum quoque patrum probitas & industria, qui ipsos in huiusmodi conuentus consessusq; senũ adducunt. Eo namq; pacto non minus consuletur expectationi parentum piæ & solicitæ, quàm saluti virtutique adolescentium: quando vtriq; senserint, vt quod ludens militi suo dixit Terentianus Gnatho, quodq; reuera accidisse sibi in Lælio suo Cicero perhibet, nunquam vt accesserint hosce, quin ab eis abeant sapientiores simul atq; meliores. Optandam etiam cuiq; ciuitati illam expetendamq; fortunam duco, vt nunquam non aliquem habeat pietate, sapientia, prudentia singulari preditũ virum, cuius ad ędes ceu commune totius ciuitatis oraculũ quoscunq; vel iuuare consilio, vel doctrina augeri, vel consolatione refici, vel castigatione coerceri necesse est, oẽs cõfluant. Eiusmodi viri fuere Moses, Samuel, Helias, Esaias, Hieremias, Daniel: itẽque in alio doctrinæ genere Socrates, Aristoteles, Plato, alij complures, quorum domus ceu oracula suarum ciuitatum fuere. Horum autem factum ipsa quoq; causa commendat: nimirum vt intelligerent legem. Etenim intelligentia legis est omnibus hominibus non tam vtilis quàm necessaria. Ergo omnibus est enitendum, vt diuinas leges intelligant. Neq; est alia maior ac melior sapientia. Eius ipsius studio illi se flagrare hoc suo facto testantur. Commendantur eodẽ nomine Regina Sabęa, Magi Christum quærentes, & in sapientia multò inferiore Pythagoras, Plato, Euclides, & alij discendi causa longè lateq; peregrinati. Hi studio cœlestis sapientiæ, non solum consecuti sunt cognitarum legum intelligentiam, verumetiam in eas inciderunt, quas nunquam antea norant. Atq; hęc est ex duabus occasionẽ hanc prębentibus rebus vna. Altera est, quod in ipso legis libro huius institutio festi reperta fuit: nimirum in Deuter. Quanquam Moses eius etiam in Leuit. 23. cap. meminerit. Et hæc res indicat vtilem esse scripturæ sacræ lectionem: vt mirum non sit mandari nobis illam in vtroq; testamento. Velut Deut. 17. iubetur rex exemplum sacri Codicis sibi describere & perpetuo apud se habere. Quod studium Dauid, Solomon, Iosias, Ezechias strenuè secuti sunt: itemq; Eunuchus ille Æthiops cuius apud Lucam in Actis fit mentio, qui Diui Esaiæ lectione in notitiam Christi venit. Quod eius exemplum D. Chrysost. hom. 34. in Gen. mirificè tractat & explanat. Eodẽ etiam pertinet, quod Constant. Valentinian. Theodos. Lothar. ex scripturis emendationẽ veterũ legum didicerunt. Cùm aũt hoc modo festi illius institutũ illi in lib. legis inuenerint: videmus, quibus ex reb. ad optima ac saluberrima quæq; bona mortalibus occasiones prębeantur.

Porro decimi quinti versus parte maxima ac deinceps versibus reliquis festum etiam ipsum sic describitur, vt eius ipsius author, ritus, tempus, indictio, apparatus, finis, indicentur. Et author quidem eius Iehoua præcipiens hoc in mann Mosis indicatur. Qua nota crimen [illegible] abs se suoq; populo depellit, seq; significat illud festũ non ipsos opinione sua excogitasse, & authoritate propria constituisse, verum mandato Iehouæ sui Dei celebrasse. Et rectè. Neq; enim est cuiusuis instituere sacros solennesque dies celebrandos. Damnatur 3. Reg. 12. Hieroboamus rex quod festũ aliud ei præter id quod diuinitus erat institutum, calend. Octobris celebrandum instituisset. Qua de causa festum hoc Oseas cap. 7. non festum Dei, sed regis nostri festum appellat. Id si spectatum superioribus seculis fuisset, feriarum numerus nunquam tantopere excreuisset. Videmus satanam ocio hominum sic abuti in nostri generis perniciem, vt etiam sacrosanctũ illud ac diuinitus institutum ocium sabbati ad res malas regnoq; Dei infestas conuertat. Igitur hos imitati, paucis illis, quæ videtur diuinis legibus consentanea, festis contenti simus. Ritum autem illius festi indicat eo quod dicit filijs Israel in tabernaculis habitandum fuisse: & ipsius etiam legis verbis exprimit causam: vt sciant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum educerem eos de terra Ægypti. Hebręi putant eam ob causam institutum, vt memoria grata posteritas omnis teneret, quàm mirabili protectione Deus maiores eorũ sub nube saluos ex Ægypto & per de-

serta loca olim eduxisset. Quibus vtcunq; suffragatur Chaldæus paraphrastes, quando verba legis, quæ paulo antè addocta sunt, ad hunc modum reddit: vt sciant posteri vestri, quod in vmbraculo nubium sedere filios Israel fecerim. Sic, quod par est, verbis legis stemus, non difficile est videre, quod eo ritu Deus omnem gentem illam admonere voluerit afflictæ, miseræ & molestæ vitę eius, quam ipsorum maiores Ægypto egressi in deserto egissent: & vt mirabiliter sint ab ipso Deo supra quàm naturæ rerum atq; eorum opes ac vires ferrent, salui conseruati: vt præsentium bonorum fruitionem & lætam hanc fortunam cum maiorum inopia ac tenuitate conferentes, de sua fœlicitate sibi gratularentur, Deo mainrea gratias agendas arbitrarentur. Hoc festum ipse etiam Christus, Ioan. 7. dignum duxit, cuius celebrationi interesset, & ijs, qui id celebrabant, concionaretur. Qua de causa Beda censet huius obseruantiæ sacramentum esse nobis spirituali inquisitione perscrutandum: nostros patres liberatos ab Ægyptiaca seruitute per sanguinem agni ductos per desertum, relictis secularibus delectationibus: peregrinos nos esse in hac terra & patriam habere in cœlis. Eodem etiam D. Augustinus in Psal. 14. & 18. scribens spectat quando tabernacula scribit esse quasi quædam peregrinitatis atq; belli symbola, ac peregrinę & afflictæ & instabilis eius, quam in his terris agimus, vitæ militiæq; una admonentia. Præcipuè vero conducit ijs, qui sunt ex pauperibus & inglorijs diuites & honorati facti, inopiæ & fortunæ veteris meminisse: vt in acquisitarum opum ac dignitatum tam conseruatione prouidi, quàm fruitione & vsu moderati esse possint. Meminerint etiam homines: vtut habeant ampla magnificaq; palatia: tamen hæc eis non esse vel firmiora vel meliora, quàm tabernacula. Vnde & quaslibet domos tabernacula spiritus sanctus vocat, & corpus humanum eodem nomine appellat, ad demonstrandam eius fragilitatem. Hęc qui secum reputant, & ad frenandam superbiam, itemq; ad coercendum fastum ac luxum accommodant: ij festum tabernaculorum rectè riteq; se celebrasse existimabunt. Tempus autem huic festo destinatum illa verba significant: in die solenni mense septimo. Verum his illud est addendum, quod inf. cap. eod. sub finem sequitur: & fecerunt solennitatem septem diebus: item, á die primo vsq; ad nouissimum. Primus dies nimirum is est, quem solennem vocat. In quotum autem mensis diem, primus huius festi dies inciderit, ipsius legis verba Leuit. 23. ostendunt: A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias domini septem diebus. Ex quo perspici potest, septimi mensis decimũ quintum diem esse initium festi: rursum finem festi esse vigesimum primum eiusdem mensis diem: Septem autẽ diebus continuis festũ hoc durare. Non inutile est autẽ nec iniucundũ obseruare numeros ac momenta temporum, & in his recondita mysteria, quę Deus, qui nihil sine causa rationeq; certa facit, sine dubio spectauit, aut saltem piè consideranda nobis quasi proposuit. Equidem initiũ celebris huius festi, voluit esse mensis huius decimum quintũ diem: contrà ac fert superstitio humana, quæ decimum quintum omnẽ, vt infaustum fugit ac cauet. Pensator, si quid eiusmodi libeat obseruare, mystica significatione numerorũ, quicquid huius diei dignitati superstitio detraxerit. Quæ profecto contẽplatio nequaquam nobis erit contemnenda. Nam, vt dicit D. August. numeri ratio in multis sanctarum scripturarũ locis quanti sit æstimanda diligenter intuentibus non est obscurum. Nec frustra in laudibus Dei dictũ est, Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. Quibus illud prorsus est addendum, quod idem li. 2. c. 16. de Doctrina Christiana dicit, numerorũ imperitia fieri, vt multa scripturę sacrę loca minus intelligantur. Et certè decimi quinti diei numerus quaqua parte aspiciatur, pulchra mysteria habet. Primum enim si in duos septenarios, monade seposita, diuidatur: sanctis partibus constat: quando monas eum, qui solus est vnus, repræsentat: denarius, vt Aug. li. 2. c. 16. de Doctr. Christiana, indicat, creatoris simul ac creaturæ scientiã significat. Nam trinitas creatoris est: septenarius autẽ creaturã indicat propter vitam & corpus. In vita siquidem tria sunt: Vnde etiã toto corde, tota anima, tota mẽte Deus dicitur diligendus. In corpore aũt quatuor mani festissimè apparẽt elementa. Rursus si numerũ eundẽ in septenariũ & octonariũ diuidas, obseruãdos numeros habes, octonariũ duob. quaternarijs confectũ, & septenariũ semper sanctũ. Sin placeat eum in denariũ ac quinariũ diuidere: quales habeas partes, partim ex ijs quę dicta de denario sunt, partim ex ijs, quę de quinario dici possunt, colligi potest. Quinariũ enim numerũ ipsa natura fecit & ostendit admirandũ in quinq; sensibus, in eo quod ex quaternario & binario constat, quodq; ob id quod in ęquas portiones denariũ secet, *δίκη* nominatur. Et talia quidẽ in illius festi initio mysteria cernimus: nec minora in fine. Nam 21. diei numerus tres heptades compræhendit, ac propterea quasi ter sanctus existimatur. Iam & festi durantis numerus totus septenarius est: quem & hominũ doctorũ atq; sapientiũ & ipsius Dei iudicio sanctũ constat iudicatũ. Magnã præterea vim habere visus est in cœlo, in mari, in homine. Quod Gell. lib. 3. Noct. Attic. & Macrob. in Som. Scip. lib. 1. docent. Idem numerus, vt Chalcidius perhibet, Pythagoricis esse visus est optimus, naturæ maximè consentaneus, sufficientissimus. Quanti illũ faciant Iudęi, D. Hieron. in Cõmentarijs ad

rijs ad

rijs ad Esaiam docet Et hic, vt D. Aug. li. 11. c. 31. de Ciuit. Dei, perhibet, pro cuiusq; rei vniuersitate poni solet: quia primus impar numerus ternarius, totus par quaternarius hoc vno continentur. Qua de causa in scripturis sacris sępe pro vniuerso ponitur. Veluti quod Psal. 118. dicitur, Et septies in die laudabo te: id Psal. 33. explicatur his verbis: semper laus eius in ore meo. Idem epistola ad Ianuarium epist. 119. dicit, hunc numerum ad quandam perfectionem mysticam apparere. Ex quibus potest intelligi id tempus ad illud festum diuinitus electũ esse, quod in eo celebrando nos admoneat sanctitatis, constantiæ, perfectionis: nempe vt quam præ se fert hic numerus sanctitatem, perfectionem & stabilitatem, ei nos perpetuo studeamus. Quod autem collectis frugibus hoc potissimum fieri voluit: id ideo fortasse factum putandum, ne collectarum frugum abundantia elati ipsum desereremus, luxu difflueremus, nosmet perditum iremus. Quod & parabola diuitis eius, qui introducitur apud Lucam horrea sua ampliora faciens & ocium suæ libidini deinceps explendæ satiandæque plenũ pollicens, exemplo suo docet à plerisq; mortalibus, cũ opibus fuerint & honoribus aucti, fieri consueuisse. Prudentissimè vero author epigrámatis Græci docet, nos ijs, quæ habemus, sic vti debere, vt mortis vitæque memoriam pariter retineamus. Huius autem indictio festi solennis & augusta fuisse vel ex eo videtur, quod dicit: Et diuulgent vocẽ in vniuersis vrbibus suis. Quod Hebræa verba sic efferũt, ואשר ישמיעו ויעבירו קול בכל עריהם ובירושלים id est, si verbum verbo reddamus: & vt facerent audiri & transire vocem in omnia oppida eorum atque in ipsam Hierosolymam. Quæ phrasis significat voce preconis indictionẽ festi illius factam esse: nimirum vt & rebus & animis ad eius celebrationem melius comparatis essent. Est antẽ laudabilis hæc præsertim in diuinis rebus prudentia, qua ad id instituuntur ac diriguntur omnia, vt quæ fieri in honorem Dei debent, quàm optimè expediantur. Vnde et Canon Cõcilij Lugdunensis extat in c. pronunciandum. d. iij. de Conse. qui monet publicè promulgandos quicunque futuri sunt festi dies: nempe vt de festis incidentibus homines plebeij sciant. Apparatum autem etiam ipsum propositis preconis verbis expressit: Egredimini in montem & afferte &c. Et hæc quidem verba materiem, ex qua tabernacula fiebant, referunt omnem. In qua primo loco עלי זית frondes oliuæ nominantur. Olea autem cum pacis & letitiæ est symbolum, tum spiritus sancti gratiam representat. Veluti in Psal. dicitur: Vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ. Et apud Esaiam spiritus Domini super me, eo quod vnxit me, vt darem oleum gaudij pro luctu. Sed & folium Oliuæ ceu symbolum pacis orbi terrarum redditæ columba illa in arcam Nohæ reportauit. Animaduerterunt etiam hæc in illa planta recondita mysteria gentes aliàs diuinæ legis ignaræ: quando, vt Phurnutus refert, olina tantum Iouem coronare consueuerunt, quod ea sit ἀειθαλὴς, id est, semper virens, & πολύχρηστος, id est, multum vtilis, itemque pinguis, & colore glauco cœlestem referens. Cum autem oleum natura sit adeo tranquillum ac lene, vt quemadmodum Plinius ac Plutarchus scribunt, hoc ipso mare quoque tranquillum reddi credant nautæ & ad sedandos eius fluctus ipsum inijciant: verisimile est iussos Israelios ideo hanc etiam arborem ad illud festum adhibere, vt intelligerent se non solum clementiæ & gratiæ diuinæ, verum etiam eius, quæ ipsos deceret, tranquillitatis ac lenitatis admoneri. Postea frondes ligni pulcherrimi iubentur adhibere. In Hebraica veritate legitur עלי עץ שמן, id est, folia ligni pinguis. Quod nam autem illud fuerit pingue lignum, de eo variæ sunt interpretum sententiæ. LXX. Interpretes Cyparissi folia dici putant, alij cedrũ, alij pinum, quidam balsamum censent intelligendum. Et qui putant dici balsamum, hi liquorem pinguedinis nomine significari, & eius frondium copiam ex vicina Hierichunte exiguis sumptibus pariter atque operis haberi dicunt. Quidam etiam id arboris genus dici putant, quod Leuit. 23. cap. עץ הדר, id est, magnificum & ornatum, & vt LXX. vertunt, ξύλον ὡραῖον, lignũ speciosum nominatur: quod ob pulchritudinem Hebræi citrum exponunt. Quam sententiam author Complutensis editionis secutus est, quando vocem הדר citrum vertit. Huius arboris fructus אתרוגים Ethrogim, vulgo citra appellant Hebræi. Hadar autem propriè pulchrum dicitur & decorum. Iubentur etiam earum arborum frondes decerpere, quæ pariunt pulchros fructus: vt etiam sibi fructus, qui pulchri Deo videri queant, edendos cogitarent. Tertiò frondes myrti capere iubentur: quæ dicũtur Hebræis עלי הדס. Vocant autem Hebræi הדסים myrtos. Et hoc nomine Chaldæus paraphrastes verba Mosis Leuit. 23. עץ עבות id est, ramos arboris densæ, exponit: Iudęi, zwey eines geflochtenen Boums, vertunt. Videtur aũt exotica myrtus illa dici, quam Plinius perhibet varijs frondium ordinibus constare, & multa in eius laudem, quemadmodũ olea ac vina ea ipsa condiantur scribit. Myrtum autem creditum est habere vim amoris conciliandi naturalem: vt mirum non sit ceu sacrum quoddam eius, quo cum nos mutuo, tum vero maximè Deum complecti debemus, amoris symbolum adhibendum visum fuisse. Postremo iubentur & palmarum ramos adhibere. Vocant autem palmarum frondes Hebræi, quando folia adhuc in surculo delitescunt, & sceptri formam surculus refert. Sed & alio nomine. לולב frondem eã vocant.

Palmam autem victoriæ ſymbolum nemo neſcit: nec quiſquam dubitat ob id adhibitam, vt fortiter ſuperandas calamitates, moleſtias, illecebras, voluptates omnes meminiſſent. Finem autem in hoc apparatu propoſitum eum ſolum habuerunt, vt tabernacula facerent, & in his continuis illis ſeptem diebus habitarent: nempe, vt ne præſentium bonorum dulcedine deliniti, veteris ſortis obliuiſcerentur: ſed ſe peregrinos eſſe in his terris meminiſſent. Qua de re Zacharias capite decimoquarto concionatur.

Quam religioſè feſtum indictum ac præſcriptum populus omnis celebrarit, tribus vltimis capitis huius verſibus ſic oſtendit vt omnes peractæ rei circũſtantias attingat. In perſonis celebrantibus omnis populus, vniuerſa eccleſia eorum qui redierunt è Babylonio exilio nominantur. Perpulchrum ſcilicet gratitudinis concordiæque exemplum: quarum altera in eo, quod exules reduces id dicuntur egiſſe, altera in eo, quod nemine excepto omnes hoc egerunt, ſpectanda proponitur. Agnoſcunt enim exules ſibi non minus quàm maioribus ipſorum olim Ægypto edoctis beneficium eo ipſo datum, quod in patriam reducti eſſent, deque eo dignas Deo gratias agendas ſibi videri facto ipſo oſtendunt. Cumque omnes in hoc conſentiant, repugnet nemo: ciuilis concordię exemplum fiunt. Equidem Babylonica ſeruitus tanto durior eis & moleſtior, quàm eorum maioribus Ægyptiaca acciderat, quantò grauius moleſtiuſque eſt ingenuis ſeruire, quàm vernis. Rem actam ipſam Nehemias ſingularum rerum recitatione exprimit: egreſsi ſunt, pararunt tabernacula, habitarunt in illis, nec rerum ad celebrandum illud feſtum pertinentium quicquam prætermiſerunt. Erat id pietatis, qua ducti ſacrum illud minimè contemnunt. Humana ſapientia eiùs ritus diuinitus inſtitutos ridet: vtut ipſa habeat ſtultiſsima complura ac planè ridicula ſacra. Loca etiam ipſa notat: in domo cuiuſque, in plateis ac vicis vrbis, in templo. Quicquid ſacri prophaniq́ue, itemque publici & priuati iuris fuit, id omne ei tribuerunt. Modum in celebratione eius obſeruatum collatione exaggerat. Non fecerant ſic à diebus Ioſuæ. Præclarum hoc eſt pietatis ſpecimen. Ac ſi lex maledictum pronunciat eum, qui diuinum opus negligenter facit: nimirum ei benedictionem decernit, qui id ſumma fide & diligẽtia facit. Igitur magnis laudibus & pręmijs illi digni videntur, qui maiores ſuos hoc diligentiæ fideiq́ue genere longè ſuperarunt. Eſtq́ue etiam hoc pulcherrimum quod ea virtute, imò pietate, virtutum omnium domina ſuperarũt. Tempus etiam ipſum notat, vt quod in hoc ſpectandum maximè fuit. Septem diebus, & in die octauo collectam iuxta ritum eius. Hebdomadam integram celebratione feſti illius conſumunt, & octaua die ceu appendice ſanctum illud ocium claudunt. Quò fit, vt in illo feſto ſeptenarius & octonarius ex quibus diei decimi quinti numerus componitur, ambo concurrant. Alter quietis eſt, ad quam opere ſex dierum peruenitur: iuſtitiæ vero eſt alter, qui primus ſolidus numerus eſt. Quemadmodũ igitur exantlatis laboribus quies appetitur: ſic reconciliatione facta iuſtitia plena comparatur. Octauum autem diem illum עצרת Hebræi vocant, id eſt, cœtum, ſeu collectionem: ab עצר verbo, quod ſignificat retinere, prohibere. Quamobrem autem hoc nomine feſtum illud fuerit appellatum, de eo variæ cauſæ redduntur. Vna, quod peractis illius feſti diebus ſeptem, populus unum illum adhuc retineretur. Altera, quod omnibus operis prohiberentur. Tertia, quod ad contributionem pecuniarum earum quæ videntur eſſe ſacrificijs neceſſariæ faciendam populus retineretur. Quarta à R. Dauide Kimhio affertur, quod nullum peculiare nomen vt cæteris feſtis diebus huic tribueretur, ac populus quaſi nulla certa expreſſa cauſa detineretur. Forſan diei dominicæ, quæ & ipſa ſabbatũ proxima ſequitur, & eſt cũ collecta ſiue eleemoſynis, tũ ſacro ocio, quod diuini verbi lectione conſumitur ſacra, typus haberi poſsit. Nã & hæc, quoniã eſt reſurrectionis Domini perenne monumentũ, ſpem reconciliationis iuſtitiæque Chriſti morte acquiſitę, & quietis ſempiternę facit ac firmat.

CAPVT IX.

NOno capite libri ſui Nehemias eius, quam illo ipſo & Eſdra atque etiam Leuitis authoribus Iudæi publicè egerant, pœnitentiæ bene longam & perſpicuam deſcriptionem comprehendit. Tribus enim partibus eam, quò fiat & plenior & apertior, omnem diſtribuit: quarum prima pœnitentiæ eius notas & effecta commemorat: ſecunda adhibita ad vim atque impetum eius intendendum ſubſidia atque auxilia: tertia denique confeſsionis ipſius exemplum profert. Præclara profectò, nec minus his præſertim perditis moribus & temporibus neceſſaria, quàm digna pijs & ſalutis appetentibus hominibus conueniens materia. Id quod ſuo quæque pars oſtendet ac probabit loco.

IN die autem viceſimo quarto menſis, menſis huius conuenerunt filij Iſrael, in ieiunio & in ſaccis, & humus ſuper eos.

Et ſepa-

2 Et separatum est semen filiorum Israel ab omni filio alienigena: & steterunt & confitebantur peccata sua, & suas iniquitates patrum suorum:

3 Et consurrexerunt ad standum: & legerunt in volumine legis Domini Dei sui, quater in die & quater confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.

Ac prima quidem parte, primi videlicet versus illius: in die autẽ vicesimo quarto &c. A temporis notatione descriptionem illam exorditur. Intelligit autem mensem septimum, quo iam celebrarant tria illa festa. Eius enim mensis vicesimo secundo die festum עצרת seu collectæ fuit: vicesimo tertio forsan exteros abs se segregarunt: proximus ab hoc pœnitentiæ nimirum publicæ destinabatur. Fuit id argumentum pietatis euidentissimum: quod quæ ferijs illis recitata lex diuina reprehenderat, ea, nulla interposita mora mutarant. Quo exemplo discimus omnium nostrum interesse, vt quæ verbi sui prædicatione Deus docet, ea citra moram ad emendationem vitæ referamus. Nullis alijs in rebus periculosior est ac nocentior mora. Cum autem inter pœnitentiæ publicæ notas & effecta, quædam ab his præclarè dicta atque facta commemoret: vt conuentum totius gentis: vt ieiunium: vt habitum lugubrem: vt vitæ & morum emendationem: vt confessionem: vt recitationem legis publicam: vt inuocationem nominis Dei: primum in eis locum conuentus habet. Quem notationi temporis statim subdit his verbis, conuenerunt filij Israel &c. Fuit autem is conuentus ad actum publicum necessarius, & efficax ad excitandum pœnitentiæ feruorem, & vtilis ad pœnitentiam ipsam attestandam. Quæ enim publicè fieri debent, ea postulant communicationem voluntatum & sententiarum & operarum. Sed & alter alterius exemplo poterat excitari. Concursus autem hic euidenti indicio poterat esse, rem illam eis maximæ & quidem tantæ curæ esse, vt coniunctis consilijs & auxilijs imminens sibi malum depellendũ arbitrentur: veluti in restinguendis incendijs, in profligandis hostibus, in minuenda atque reprimẽda tyrannide ciues concurrunt. Huiusmodi concursus planè requiritur ad veram sinceramque pœnitentiam: nempe vt constet seriò hoc agi, quod priuatim quisque dicit. Cũ aũt rari sint qui illius modi conuentuum ausint, aut velint authores esse: vnde motus hic exortus sit, ex Hebræi verbi significatione & vi cognosci potest. Etenim verbum אסף quod significat colligere & congregare, hic in genere passiuo ponitur: נאספו id est, collecti, seu congregati sunt. Quo ipso adducimur, vt tam agentẽ aliquem, quàm patientem consideremus, hæcque inter sese conferamus, quemadmodum & videtur eorũ, quæ τὰ πρός τι Græci vocant, postulare. Si igitur illi fuere congregati, alicuius imperio seu mandato congregati sint, necesse est. At in populo omni, qui quidem non seditiosè concurrit, magistratus conuentus omnes indicit. Eodemq; imperante nimirum illi quoque conuenere. Igitur in magistratibus prudentia, in populo obedientia, in vtraque parte pietas erga Deum atque patriam, cernuntur. Magistratus enim quia pij sunt, agnoscũt suis ipsorum populique flagitijs attractas graues calamitates easq; nisi pœnitentia publica depelli non posse: tum quia prudentes sunt, facilè vidẽt, atq; etiam existimant opus esse ad id maturè indicto conuentu, & vt ipsi eum indicant, sua referre. Horum ergo magistratuum monentur exemplo alij, vt in tanta ordinum omnium deprauatione & corruptela communium, primi ipsi pœnitentiæ sese dedant, reliquosq; ciues ad id cum imperio, tum exemplo post se trahant. Idem Samuel, Iosaphatus, Iosias, rex Niniuitarum, alijque prudentes & pij magistratus factitarunt. Populus, quia pius etiam ipse est, conscientiæ stimulis cedit, & peccata sua agnoscit ac deplorat: tum quia obediens est, ad publicum illum cetum facilè sese colligi sinit. Quod si iam congregantem & congregatos simul intueamur ac consideremus, videbimus magistratus & populi pariter referre, vt vnà pœnitentiam agant & emendent vitã. Nam dum altera pars alteram accusat, omnis hæc actio necessariò suspenditur, & ea cunctatio tandem in perniciem publicam vergit. Rectius hi conuentus agunt. Atq; hæc est prima pœnitentiæ nota.

Secundam pœnitentiæ suæ notam edunt ieiunio. Quod Hebræi צום appellant, videlicet constantem ac seueram ab omni cibo abstinentiam. Sicuti sunt qui putant ieiunij nomen ab eo quod ieiunum vocatur, intestino, ad significandam abstinentiam illam translatum apud Latinos esse: quod idipsum quemadmodum physici tradunt, earum quas acceperit rerum nil retinet, verum ad inferiores ventris partes omnia transmittit: eodemq; modo qui ieiuni manent, ciborum nihil sibi sumunt, verum omnia alijs cedunt. Veluti Leuit 23. dicitur. In ieiunio quiescite ab omni opere, & affligite animas vestras: sabbatum enim est. Sabbatum autem à vespera ad vesperam durasse nemo nescit. Ergo totos dies illi ieiuni manebant intenti precibus & auscultationi meditationiq; legis. Clarius exprimitur hæc forma ieiunij, Esther 4. Ieiunate pro me & non comedite &c. Eiusmodi

quoque ieiuniorum leges priscis Christianis olim obseruatas fuisse, non difficile est in scriptis patrum videre. Augustinus de moribus ecclesiæ contra Manicheos: Visitata ieiunia ecclesiæ continuantur vsque ad noctem: toto enim die celebrabantur sacri cœtus, preces publicæ habebantur, sub vesperam dimittebantur, & cibum sumebant. Ergo à papanis ieiunijs hæc [illegible] distãt: vt quæ tempore, causis & effectis distent. Nam cum veteres ea solum suis ieiunijs tempora destinarint, quibus vel agenda pœnitentia publica, vel supplicatio facienda ad Deum, vel alia religiosa ac grauia pietatis officia facienda essent: papani stata anni tempora, vt quatuor angarias, vt quadragesimam, itemque statos ac certos quaque septimana dies suis ieiunijs deputarunt. Neq; vero firmamenti multum hoc ipsu afferunt suæ causæ, quod exprobrant nobis imitationem Aerij veteris hæretici, qui ipse quoque ante mille ducentos annos negarit se cum ecclesia ieiunaturum, sed eos ieiunijs suis dies electurum, quos pro sua libertate commodos ipse iudicasset. Nam si illum, quod verisimile est, Aerium obijciunt, quem D. Augustinus ad QuoduultDeũ scribens indicat hac occasione in hæresim incidisse, quòd presbyter cum esset, episcopi dignitate, ad quam ambitiosè aspirarat, potiri nequiuisset: nihil efficiunt adeo dissimilium atque discrepantium rerum atque hominum collatione. Aerius enim ille nec ieiunare cum ecclesia Christiana, nec contemnere papana ieiunia poterat: quando iam antea deserta ecclesia ad Arrianos secessisset: & illa de quibus contenditur, ieiunia nondum adhuc essent ea tempestate constituta: & si quæ maximè essent recepta, diuersis tamen temporibus atque modis seruarentur. Nos, vt quam sonit Aerius Arrianam hæresim detestamur, sic quid is de ieiunijs statuerit, non magnopere curamus: ac Diui Augustini de ieiuniorum temporibus iudicium, quod arbitramur sacris literis esse conuenientius, malumus sequi. „Hanc enim is sententiam de ieiunij tempore Diuus Augustinus tulit, Epist. 86. scribens: Quibus „diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel apostolorum non inue„niu definitum. Quod si fateantur, vti vel inuiti faciunt, agnoscere sese, nihil de statis temporibus ieiuniorum in sacris Biblijs scriptum extare, seque traditionem non Scripturam obijcere: simul etiã, quod faciunt, obijciant multis ex locis collecta testimonia D. Augustini, quibus traditionum & conciliorum pondus augeatur: aliud vicissim eis opponimus testimonium eiusdem Patris, quo sua Sacris literis dignitas & authoritas aduersus omnia statuta ac placita humana asseritur ac vin„dicatur. Is enim libro secundo contra Donatistas cap. 3. sic scribit: Episcoporum literæ & concilio„rum prouincialium decreta cedunt maioribus concilijs, Canonica autẽ scriptura nulli cedit. Integrum igitur nobis relinquent id quod paulo antè est adductum de temporibus ieiuniorum testimonium Augustini: nec quam authoritate sacrarum literarum obtinemus, hanc traditionum pondere nobis opprimant libertatem. Ac si velint nobis hæreticos priscos exprobrare, quasi illis ducibus & magistris ipsorum ieiunia respuamus: nobis facilius esset, siquidem res postularet, ab aduersa parte stantes hæreticos eos commonstrare, qui primi ieiuniorum leges fixisse memorantur. Etenim Eusebius Eccles hist. lib. 5. cap. 18. scribit Montanum hæreticum ob id ab Apollonio reprehensum, quod primus ausus esset leges de ieiuniis ferre. Atque sic quidem hæresim exprobranti nudo eiuseus hæreseos probrum regerens opponeretur: ni quod Christianos homines magis decet, argumentis mallemus certare, quàm maledictis. Indicat tamen hoc Apollonij de Montani ieiunijs indiciũ, displicuisse priscis Christianis eas ieiuniorum leges, quæ & premerent libertatẽ, & inueherent superstitiones. Cum enim Dominus & apostoli ieiunandum quidem monuerint, nullis autem statis temporibus ieiunia alligarint: rectè nimirum existimarunt, & quod necessitas indicarit tempus, & quem pietas ab omni superstitione segregata commonstrarit ieiuniorum modum, obseruandum. Cumque Manichei dominicum diem suis ieiunijs delegissent: in Gangrensi Concilio vetitum fuit, ne quis die dominico ieiunaret: partim vt libertatem in tempore eligendo saluam conseruarent, partim ne exemplo suo accedere ad Manichæorum hæresim viderentur. In causis item discrimen maximum apparebit: siquidem illas inter sese conferamus. Prisca enim ieiunia, publica quidem plerunque à magistratibus, vt iudicibus, regibus, principibus viris, vrgente publica necessitate, indicta constat: priuata vero, liberè & sponte, cum res tempusque ferrent, suscepta scimus. Velut in Iudicum nonnullorũ, in Samuelis & Saulis, in Iosaphati, in Niniuitarum, in aliorum historijs videre est factum. At quibus authoribus & quas ob causas illa Papana in ecclesiam sint inuecta, vel eorum ipsorum canones attestantur. Etenim d. v, cap. quadragesima. de cõse. Gregorius VII. quadragesimalis ieiunij nullas alias causas affert, quàm quod hi quadraginta dies sint quasi totius anni dierum decimæ Deo persoluendæ. Quod argumentum nec præmissas habet solidas ac firmas, nec conclusionem necessariam affert. Nec meliore modo angarias probãt d. lxxj. cap. j. Citatis Hieronymi in Zachariam verbis nõnullius menses referentibus. Equidem Origenes hom. in Leuit. 10. & si referat quæ tempora iam tũ aliquibus in locis essent ieiunijs destinata: simul tamen fatetur esse Christiano liberam potestatem per omne tempus ieiunandi, non obseruantiæ superſti-

superstitione, sed virtute continentiæ. Clarius id in libro de ieiunio aduersus Psychicos exprimit Tertullianus dicens: De cętero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinæ pro temporibus & causis vnius cuiusque. Eodemque modo Iudæi prementibus ipsos malis communibus, aut aliqua accepta clade ieiunabant. In materia & forma discrimen multò maximum apparet. Maiores enim ab omni cibo & potu prorsus abstinebant & habitu lugubri sumpto mœrorem publicè testabantur: illi pro ieiunio delectum ciborum certum habent: at tantum à carnibus abstinent: contrà piscibus & lautissimis alijs cibis, inprimisque vino, in quibus voluptas est & luxus maior, replentur. At à vino multò magis erat abstinendum, quando Solomon dicit, luxuriosa res est vinum: & Paulus, abstinate à vino, in quo est luxuria. Quod fortassis illi spectarunt quos Gregorius Nissenus in Ora. de amand. pauperibus refert tā à vino quàm à carnibus abstinuisse ieiunantes, vt & à vitijs auocarent sese & ad beneficentiam fierent promptiores. Eodemq; inclinare videtur Carthaginensis concilij quarti Canon octuagesimus quintus iubens baptizandos diuturno ieiunio tam à vino quàm à carnibus abstinere. Pisces autem quantis in delicijs habuerint, quantosque in his ipsis fecerint sumptus Græci simul & Romani, priscis historijs indicatur. Vnde & Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium scribit, quosdam quando ieiunarēt etiam à piscibus abstinuisse. Simile quiddam D. Augustinus de moribus ecclesiæ contra Manicheos, perhibet ipsos quoque Manicheos fecisse, qui nullis quidem carnibus, sed lautioribus epulis vescerentur, ac vino quidem abstinerent sed potionibus alijs suauioribus vterentur: Christianos contrà prorsus abstinere vsq; ad vesperam, in cœna comedare olusculum cum larido conditum, & sale conditas atque ad fumum duratas carnes, bibere tres aut quatuor cyatos vini. Vtri ieiunent melius, quęrit. Finem autem alium Papani ieiunijs suis præfixum nullum habent, quàm vt videantur religiosiores: vt eo ipso opere demereantur præmia nescio quę: vt satisfaciant placitis humanis, vt ne ieiunij violati pœnas incurrant. At Matth. 6. Christus hypocrisim damnat: cum ieiunaueritis, ait, ne sitis velut hypocritæ tetrici. Obscurant enim facies suas, quò perspicuum sit hominibus ipsos ieiunare. Et Matth. 15. dicit, Frustra coli Deum placitis humanis. Ideo vero solent diebus aliquot ab ieiunijs abstinere, vt ijs euolutis dein liberius genio indulgeatur: idipsum cum eo quem ieiunijs Christus fixit, fine pugnat, & iam olim est iudicijs patrum improbatū. Christus enim Luc. 21. ne grauentur (ait) corda vestra crapula & ebrietate: nimirum, vt vigilijs ac precibus facilius vacemus. Diuus Hieronymus ad Nepotianū, scribit ætate sua nonnullos sic ieiunare consueuisse, vt pro oleo cibos lautissimos vndiquaque exquisitos, pro vino sorbitiunculas suauiores haberent. At pijs longè est alius spectatus in ieiunijs finis: nempe vt essent ad preces ac cultum Dei magis expediti. Veluti Nehemias initio sui libri dicit ea de causa susceptum etiam abs se ieiunium fuisse, vt ad implorandum auxilium diuinum alacrior atque expeditior esset. Idem etiam de Anna prophetissa apud Lucam scriptum extat. Quod si consideranda sint vtriusque ieiunij fructus: sanè vt pijs sua ieiunijs repressa caro fuit, sic in illis plus crapulæ & luxus fuit, magisque sunt incensæ atque inflammatæ cupiditates: ac quemadmodum à Bachanalibus ad ieiunia, sic ab ieiunijs ad Panegyres transitū fuit. Hæc consideranda sunt, vt quid faciat pietas, quid parturiat superstitio, non nesciatur: vt extimulentur homines ad perpetuam quandam abstinentiā ac castitatem: vt afflictis temporibus seu publicè, seu priuatim, homines ieiunent, ac cū ieiunijs luctum coniungant. Equidem Christus, cum Apostolos excusat de eo quod non ieiunarent, non dicit ieiunia Noui fœderis legibus ac moribus abrogari, sed afflictis ac deploratis temporibus ipsum destinat, ac coniungit cum luctu. Veniet (inquit) tempus cū sponsus ab eis auferatur, tunc ieiunabunt. Quam excusationem Domini Diuus Origenes in Leuit. hom. 10. Pharisaicis ieiunijs ipse etiam opponit hoc modo: Illi ergo ieiunent, inquit, qui perdiderunt sponsum: nos habentes nobiscum sponsum ieiunare non possumus. Imprimis autem meminerint pij concionatores interesse sua, vt ad id ieiunij genus, quo ab omni genere flagitiorum abstinetur, homines suos cohortentur. Id enim Dominus apud Esaiam cap. 58. dicit se potissimum elegisse. Quod ieiunij genus Origenes ex D. Pauli verbis illis Coloss. 3. si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quęrite &c. colligit etiam verè esse diciq; posse Christianum: & vt obseruetur ab hominibus Christianis, eodem loco describit & commendat. Vis (inquit) tibi adhuc ostendam, quale te oporteat ieiunare ieiunium? Ieiuna ab omni peccato: nullum cibum sumas malitiæ: nullas capias epulas voluptatis: nullo vino luxuriæ concalescas: ieiuna à malis actibus: abstine à malis sermonibus: contine te à contagionibus pessimis, noli contingere panes furtinos peruersæ doctrinæ: nō cōcupisces fallaces philosophiæ cibos, qui te à veritate seducant. Tale ieiuniū Deo placet. Hoc ieiunij genus videtur Epictetus Stoicus duobus illis verbis ἀνέχου καὶ ἀπέχου, id est, sustine & abstine cōplexus esse. Quo nimirū symbolo vir sapiens innuebat præstare vt ardorem cupiditatum quantumuis acri & diuturna doloris maximi perpessione restinguamus, & appetitum ad obedientiam rationi debitam perpetuæ continentiæ freno

assuefaciamus, quàm cum dolori eesserimus, vel vino languidi, vel cibo cupedijsque confecti, vel vsu nimio Veneris exhausti, propterea que inepti & impares ad pietatis & honestatis omnis officia simus. Ex quibus colligi potest, esse religioni rectæ veræque pietati maximè conueniens, vt perpetuæ continentiæ frenum nobis ipsi inijciamus: ac si res tempusque postulent peculiare quoddam studium precum, quibus vel admissam culpam deprecemur, vel aliquid obnixè postulemus diuinitus nobis concedi, vel quacunq; de re sint agendæ gratiæ Deo: vt ad id rite recte, expedite peragendum ieiunijs nos & abstinentia præparemus. Atq; ad hoc ipsum etiam ieionij genus illos Iudæos vi pœnitentiæ, quam agebant, impulsos omnia signa probant.

3. Habitus lugubris.

Tertiam notam veræ pœnitentiæ sumpto habitu lugubri prodont: idque bifariam: primum in eo qood saccis induuntur, dein etiam eo quod puluere capita conspergunt. Saccus videtur vestis genus fuisse, quæ cum ex abiecta vilique materia, tum sine plicis & instar sacci cuiusdam infernè non magis, quàm supernè lata & ampla fuerit facta: nimirum vt materia pariter ac forma abiectum luxum ac fastum, inprimisque repressum animi tumorem pariter significarent. Qua de causa vestis huius nomine lugubris habitus passim in sacris literis notatur. Veluti in Iosephi historia pius pater conspecta filij veste cruentata saccũ, vt habet veritas Hebraica, dicitur induisse: Quanquam cilicio indutum vulgatæ versionis author vertit. At cilicium ex pilis equinis aut simili materia, saccus ex canabi, conficiuntur. Apod Iooam Niniuitæ eundem habitũ sumpsisse memorantur. Humi vero nomine videtur dicere puluerem, aut cinerem: quo testantur pœnitentes, quá abiecta ac fragili ex materia ducant ortum suum, & vt sint redituri in nihilum, qui nihil antè fuerint. Hæc res abiectionem animi significat, vt illa altera dolorem ac luctum, Quæ res ambæ requiruntur ad sinceram pœnitentiam. Qui enim vel adhuc attollunt cristas, vel risu lodoque soluuntur, ijs peccata sua nondum sic sunt cognita, vt dolorem mouerint, & represserint animos metu iodicij diuini. Illi sentiunt peccatis suis tátas attractas miserias ac calamitates, vt nisi matura sopplicatione eas depellant, sit pereundum.

Quartam notam pœnitentiæ suæ edunt Iudæi vitæ & morum emendatioue. Separatum est (inquit) semen filiorum Israel ab omni alienigena. Propria pœnitentiæ veræ hæc est nota: vt quibus rebus offensom sentias Deum, ijs ipsis statim renuncies: ac relictis illis ad meliora conuertare. Quemadmodum Petrus & Paulus à cœtu perduellium Christi statim ad Domini gregem conuertuntur: quemadmodum item Matthæus & Zachæus relictis illicitis quæstibus suis Christum è vestigio sequuntur. Eodemq; modo Iudęi illi mulieribus alienigenis valedicunt, vt audita lege cognouerunt illis ductis violatam legem & offensum Deum, Quæ res erat iodicio illos ex animo dolere & detestari factum suum.

Quintam pœnitentiæ suæ notá confessione edunt. Idque sic ab illis factum Nehemias refert, vt simul etiá quo modo sit factũ ostendat, dicans, steterunt & confitebaotur peccata sua & iniquitates patrum suorum. Standi enim & confitendi verbis editæ confessioois modum repræsentat. Alius forsan alium gestum magis probasset: sed seriò sincereq; rem peractam התודע quartæ coniogationis verbum docet. Id enim, quonism à ידע id est, nouit, scmit, verbo deducitur, ac significat idem ac si quis diceret se ipsum notum fecit, se cognoscendum præbuit: veræ sinceræque confessionis vim proprietatemque luculenter exprimit. Hæc enim efficit vt in intimis animi sinubus latentia peccata inde in conspectum atque in notitiam hominum protrahantur. Eodemque modo verbum illud ostendit, Iudæos illos pallium hyporiseos ac titulum populi Deo obedientis inspicienda curandaque protraxisse. Ita nihil celant, nihil fuco pingũt, qui sincerè confitentur. Quid autem sint confessi, id indicio esse potest, quod sua suorumque patrum peccata confessi esse dicuntur. Agnoscebant hoc ipso nimirum & fatebantur, ipsorum patres iusto iudicio Dei in exiliũ hoc detrusos fuisse: ipsos in eodem etiam iusto iudicio adeo diu detentos esse, adeoq; ægrè collapsum regnum è cineribus suscitare. Et hæc confessio satis clarum ac certum eorum pœnitentiæ testimonium perhibebat.

Sexta veræ salubrisque pœnitentiæ nota in eo, qood dicuntur in volumine legis Dei sui legisse, cernitur. Id enim indicio manifesto est, eos peccatis suis curandis medicinam ex verbo Dei sumpsisse. Nec iniuriâ. Quemadmodum enim peccata nostra quæ & quanta sint, omnium optimè in speculo verbi diuini cerni possont: sic hæc eadem omnium optimè tolli remedijs hoc ipso propositis curantur. Vsi sunt his remedijs Dauid, Petrus, Paulus: proposueruot alijs peccatoribus hęc eadem omnes apostoli & prophetæ.

Septimam notam pœnitentiæ eorum videtur hoc ipso significare, quod dicit: & adorabât Dominum Deum suum. Significat autem participiom Hebræi verbi idem quod supplices, scilicet ad Dei tribonal abiectos, vt qoi se reos agnoscerent, & deprecari culpam, & ei quem offendissent, cuperent reconciliari. Quæ res est omnium clarissima nota sinceræ salubrisque pœnitentiæ: quippe

quæ

quæ sontes non absterret à Deo, nec adigit ad desperationem: sed ad eum, quem offenderis, placandum incitat & impellit. Idqne fit afflatu spiritus adoptionis, qui desperationem omnem abigit, speque & fiducia gratiæ diuinæ erigit homines in certam ac solidam consolationem.

Illud est in primis obseruandum, quod adeo assidui in his pietatis exercitijs fuerunt, vt quater quoque die eis vacarent. Commendat autem eam assiduitatem Beda, & existimat horum exemplo morem eum in ecclesia inoleuisse, vt per singulas diurnæ psalmodiæ boras lectio vna de veteri siue nouo Testamento cunctis audientibus ex corde dicatur: & sic apostolicis siue propheticis confirmati verbis ad instantiam orationis genua flectant. Sed & horis nocturnis cum à laboribus cessatur operum, liberas auditui diuinarum lectionum aures accommodent. Equidem similis consuetudinis meminit Gratianus, quæ sua ætate floruerit, quãquam libri canonici quotannis omnes semel publicè euoluerentur. Sicut testatur eorum catalogus, qui d.xv.c.sancta descriptus extat. Eum morem aliqua saltem ex parte seculis ijs quæ Bedam & Gratianum antecesserunt vsitatum fuisse, vel id indicio non obscuro esse potest, quod officij lectorum prisci scriptores meminerunt. Equidem Instinus, qui circiter centesimum quinquagesimum à Christo nato annum vixit, Apologia secunda, perhibet veteres Christianos die solis conuenire, & recitare apostolorũ & prophetarum scripta consueuisse. Clemens etiam sactas ante cibum lectiones scripturarũ in septimo Strom. libro scribit. Quin Chrysostomum etiam officio lectoris functum constat. Eiusmodi lectorum mentio fit canone 8. Concilij Carthaginensis quarti. Ex Canone 59. Concilij Laodiceni. Itemque canone 47. Concilij Carthaginensis tertij cautum fuit, ne qui præter canonicos alij libri in publicis cœtibus recitarentur. Ex illa vero consuetudine aliâs haudquaquam improbanda, siquidem sit ab omni superstitione segregata, forsan horæ illæ quæ vocãtur Canonicæ, fluxerũt. Quæ tamen cum illarum veterum sint dissimillimę, nisi restituantur ad ipsarum examplum, his ipsis nũqnam sunt aceensendæ. Definiunt autem eas Canonistæ seu vocant officium dininum dicendum certa hora ex instituto sanctorum canonum. Et sunt septem numero secundum gl. in elem. j. de cel. miss. Quanquam Archidiaconus separat matutinam à septem, ponendo artificialis diei primam horam laudes. Vocantur aliâs communiter à Doctoribus: Matutinum, Prima, tertia, sexta, nona, vespere, completorium. Ad has dicendas quicunque essent in sacris constituti tenebantur. Vnde hæ nobis in ecclesiam irrepserint, varia traduntur. Equidem Stella perhibet ab Vrbano II. canonicas horas institutas quotidie à clero dicendas. Quas Vitellianus Papa Latinas in Britannia dicitur instituisse. Isidorus de offic. videtur hoc institutum ad exemplum Danielis referre, & in septenario numero earum cum sanctam trinitatem, tum quaternam mundi partitionem indicare. Quibus similia atque etiam plura Cassiodorus libro tertio, cap. 3. refert. Forsan eis ipsum etiam Hieronymum assentiri quis existimet, qnando ad Danielem in hanc sententiam scribit: Tria sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: tertia hora, sexta, & nnna, ecclesiastica traditio intelligit. Tertia hora Spiritus sanctus descendit super apostolos: sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cœnaculum: nona Petrus & Iohannes pergebant ad templum. Sed idem ad Eustochium melius ac simplicius dicit: Quanquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse sit somnus oratio: tamen diuisas orandi horas debemus habere, vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. Docet idem etiam eodem ferè loco, omnibus actionibus humanis præmitti simul ac postponi debere orationem. Hæc pia simplicitas nec certas precibus publicis simul ac priuatis decretas horas, nec certa puncta temporum sacris lectionibus tributa reprehendit. Verum ab hac alienus mos ille fuit, quo lingua peregrina, verba non intellecta cum inutiliter, tum superstitiosè recitantur. Quemadmodum autem ex eo quod sanctis illis exercitijs religionis Beda pietatis studium eximium colligit, & existimat horas psalmis ac lectionibus sacris destinatas esse, alij rursus canonicas horas ad exemplum horum institutas contendunt: sic Liranus hinc addisci posse existimat piæ mentis stabilitatem & constantiam: idque numeri quaternarij ratione Is enim & primus quadratus est numerus, & pariter par. Quò fit, vt quemadmodum cubus in quantitate continua firmus iacet, ac si maximè moueatur, tamen in quodcunq; recidat latus, iterum iacet: sic quaternarius etiam numerus ab omni latere in vnitatem suam inclinat. Et est hæc ratio neutiquam contemnenda. Nam & Philo in libro de Opificio mundi scribit, hunc numerum primum solidi naturam ostendere, cum præcadentes numeri incorporeis rebus dicati sint. Nam in vnitate censetur punctum: in binario linea: ad quam accedente latitudine fit superficies ad ternarium pertinens: ad hanc addita altitudine fit quaternarius. Planum hoc lusu puerili facit: quo in lusu, positis in plano nucibus tribus quartam superimponunt. Vbi in consistente ternario, vt triangulo quarta super imposita facit quaternarium numerũ, in figura piramidem, solidum iam corpus. Quo soliditas animi virtute vera præditi repræsentatur. Velut Aristoteles etiam Ethic. lib. 1. cap. 12. eum, qui bonus sit & virtute præditus, virum, ἄνδρα τετράγωνον vocat,

qui fortunæ casus omnes pulcherrimè, quaqua parte incidentes excipiat ac ferat. Sunt autem verba Simonidis quæ extant apud Platonem in Protagora: [illegible] Aristoteles etiã Rhetor. 3. virum bonum dicit quadratum esse, vt qui sic perfectus sit ac constans, vt solide semper consistat, nec vlla vi fortunæ deijciatur. Eiusmodi quiddam in libro de Abrahamo videtur Philo dicere: quod sanctus sit & laudabilis quasi quaternarius quicunque spe sit & fiducia bona: malus contrà, qui timore agitetur. Sic confessio peccatorum & prædicatio diuinarum laudum habent annexam quadraturam, quæ est æquabilitatis ac stabilitatis. Quæ cõtemplationes & si vulgo negligantur, minimeque sint per omnia ad popularem captum accommodæ: tamen elegantibus & excultis ingenijs, nec inutilem nec iniucundam afferunt speculationem: minimeque male docent ex assidua scripturæ sacræ lectione, & eius ipsius solida perfectaque notitia percipi solidam perfectamque fidem, qua confirmatus animus humanus, quaqua parte eum vel satan, vel mundus, vel alius aduersarius adoriatur, firmus ipse ceu quispiam cubus, perstet. Hoc alia per pulchra, eaq; ab arce quadam in edita ac prærupta rupe condita tracta similitudine Christus Matt. 7. docet. Quare viri graues, & qui libentius ad vsum vitæ ciuilis accommodant omnia, quàm in has philosophicas speculationes ingrediantur, has illorum obseruationes, vt quas & philosophis priscis, & sanctis patribus arrisisse cernunt, minimè moleste ferent minimeque repudiabunt. Cæterum quod de sacris nocturnis, seu vigilijs, Beda quo diximus loco, & libro peculiari Cassianus scribunt, non arbitror prudentibus & bonis viris per omnia probari posse. Matutinas quidem horas, quod id tẽpus anteuertat omnem ebrietatem, & qui nefaria moliuntur, tunc in cubilibus suis iacent, & homines circa auroram animis sunt ad omnem contemplationem magis expediti, nemo repudiarit. Altàs nox est quieti præsertim hominum diuinitus tributa: quemadmodum Psal. 103. scriptum extat expressis causis. Ac quanquam multi pio studio religionis multũ se vigilijs macerarint: nõ defuere tamen alij item pij, qui modum eos excessisse libere pronunciarint. Et in hac re quid pietas, natura, necessitas, honestas, ferant: arbitror obseruandum. Pietas nec sanitatem, nec vitam, nec vlla corporis bona vigilijs ac laboribus minuenda atque exhaurienda, nisi Dei mandato requirente, suadet. Natura quid ferat, si minus physicis fidem habeamus, experientia docet. Elegans est & eruditum hac de re dictum Hippocratis, quo res vtiles & necessariæ corpori, & earum modus, & ordo continentur: [illegible]. Labor excitat calorẽ, consumit & expellit humores: cibus deinde stomacho vtroque calefacto atque ad capiendum alimentum excitato, pascendo cõfirmandoque corpori commodè sumitur: tum cauendi sunt omnes animi simul ac corporis vehementes motus. Somnus ingens est beneficium hominibus datum. Ouidius id expendit bene cum dicit: Is quoque qui gracili cibus est in corpore somnus. Nec minus Vergilius: fessos sopor irrigat artus. Porro si inciderint negotia, quorũ executio suspendi citra detrimentum non queat, iam necessitas durum telum declinari non potest. Honestas autem quid spectandum hic ostendat, cum vsu rerum, tum virorum grauium ac sapientum iudicio confirmatum habetur. Recte dixit magister amoris. Nox amor & vinum nihil moderabile suadent. In legibus Romuli nocturna sacra sunt abrogata: vt & in legib. xij. tabularum. Viderunt illi quid nocturnis Græcorum sacris acciderit: experta est eorum posteritas quid Clodius & Catilina patrarint. Extant rerum earum vestigia in Declamat. Portij, in nonnullis Orationibus Ciceronis. Quid in papanis vigilijs passim acciderit, non latet. Quamobrem qui sapiunt quique & satanæ præreptas occasiones, & præclusam scandalis viam volunt, aptiora tutioraque rebus religionis expediendis tempora legent.

4 Surrexerunt autẽ super gradum Leuitarum Iosue & Bani & Cedmiel, Sabania, Bonni, Sarebias Bani & Chanani & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum suum.
5 Et dixerunt Leuitæ Iosue & Cedmiel, Bonni, Hasebnia, Serabsa, Odaia, Sebnia, Phataia: Surgite, benedicite Domino Deo nostro ab æterno vsque in æternum: & benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione & laude.

Altera capitis huius parte quæ Iudæis ad intendendam vim confessionis suæ sint adhibita subsidia atque auxilia breuiter indicatur. Quæ narratio diligenter nobis est consideranda. Cum actio omnis quæ quidem bona & honesta & cũ virtute fuerit, hoc melior ac laudabilior videatur, quo maiore fuerit animi intentione & studio tota peracta: certè pijs hominibus est enitendum, vt in tribuendis officijs pietatis omnes animi vires atque facultates quanto maximo possunt opere intendant. Quam ad rem ipse quoq; spiritus sanctus cum excitat nos & impellit, tum instruit

etiam

etiam ac iuuat propositis exemplis eorum qui id ipsi factitarunt quoque. Velut hæc Nehemiæ noua narratio declarat. In hac enim huc vsque commemoratis pœnitentiæ notis & effectis iam cohortatio quædam subiungitur, qua sacerdotes & Leuitæ populum Iudæum ad id, vt studio maiore Dei laudea prædicarent, ceu adhibitis calcaribus nouis extimularunt. Continetur autem hæc narratio quarto & quinto versibus: estque hæc eius summa: Leuitas ac sacerdotes conscendisse locum sacris sermonibus destinatum, & ex eo populum ad laudandū Deum cohortatos fuisse. Quæ res documento est, præcipuum in ecclesia locum sermonibus sacris deberi. Verum vt horum exemplo non solum ad id officij genus excitaremur, verum etiam quales esse sermones illos, & qua ratione eos haberi oporteat, edoceremur: circumstantijs totam illam rem illustrat: personis scilicet & loco, & modo, & reipsa, notatis. Personæ, à quibus susceptum exhortationis huius munus fuit, suis proprijs nominibus notantur: Iosue, Bani, & cæteri iam antè in negotijs alijs nominati principes sacerdotum & Leuitarum: qui nimirum ad id diuinitus erant electi & consecrati, vt exemplo pariter ac sermone populum excitarent. Vtile est & necessarium ecclesiæ, vt sint antistites religionis, ac præsertim administri verbi diuini: & illis ipsis nihil est aliud vel honestius vel salubrius, quàm vt suis hominibus cum piarum precum, tum etiam optimarum actionum omnium sint authores & duces. Ideo moris fuit vt essent certæ quædam siue laudum siue supplicationū formæ, quibus publicè recitatis populo omni sacerdotes quasi præirent. Extant in psalmorum libro tales hymnorum formæ ad præcinendum paratæ. Et officium hoc illi impunè deserere seu negligere nequibant. Sicut ait Paulus: Væ mihi nisi euangelizem. Locus autem dicitur gradus Leuitarum. Cuius nomen apud Hebræos ab ascendendi verbo deriuatur: ac significat cathedram subsellijs auditorum excelsiorem, vnde ad populum commodius oratio haberetur. Publicè tamen docendum monet. Modum, quem in cohortando obseruarunt, eo videtur exprimere, quod dicit: surrexerunt, clamauerunt voce magna ad Deum suum. In quo spectandum est, quod primi id faciūt ipsi, quod ab alijs erant postulaturi: idque studio maximo & optimo modo. Studium significatur, tum surgendi verbo, tum nomine clamoris. Quemadmodum enim ad id & sancti serui Dei, & Deus ipse surgere, dicuntur, quod magna animorum contentione & vi faciunt: sic ijdem etiā clamare, vel à Deo iubentur, vel sua sponte solent, quod summo studio ac Zelo sit proponendū. Veluti propheta iubetur clamare & vocem suam sicut tubam attollere: & Diuus Petrus, cum de missione spiritus sancti Hierosolymis concionaretur, quasi [illegible] dicitur, vocem suam extulisse & locutus esse. Optimo vero modo hoc ab illis actum id iudicio est, quod ad Dominum Deum suum dicuntur clamasse. Eum enim rectissimè adoramus, quem vnum nobis Decalogus, articuli fidei Christianæ, præscripta à Christo precationis forma proponunt adorandum. Frustra alii deos fictitios implorant, vt Baalis sacrificos irridens Helias docet. Res ipsa perspicua fit proposito exem- „ plo cohortationis: Surgite (inquiunt) benedicite Domino Deo nostro: benedicant nomini glo- „ riæ tuæ excelso in omni benedictione & laude. Perpauca verba sunt: sed quæ totius rei summam comprehendunt. Neque enim dubium est, quin pluribus sint tantam ad rem pertractandā vsi verbis: & hæc tantum referant notas rerum ac partium orationis eorum. Etenim eo quod iubent eos surgere, videntur ceu ab attentione exordium ducere, eoque populum astantem ad confessionis formulam paratam excitare: vt animis arrectis atque ad decantādas laudes diuinas paratis essent. Eo dein, quod dicunt: Benedicite Domino Deo nostro ab æterno vsque in æternum: quasi quadam propositione videntur officij tunc præstandi summam complecti. Benedicendi verbo studium & operas, quæ ad prouehendum regnum Dei à nobis requiruntur, comprehendunt siquidem, vti par est, ex animo benedicamus. Ad rectum autem Dei cultum est referendum, quod dicit ab æterno vsque in æternum. Qualis enim ipse est Deus, talis esse etiam cultus eius debet. Ergo æternus æterno, & spiritualis ei, qui spiritus est, Deo cultus conueniens est. In hoc etiam animabus est immortalitas data, vt æterno cultui Dei par esset: ideoque etiam eis corpora redduntur, vt ne desint eis ad actionem eam instrumenta. Postremo confirmationis est simile, quod oratione per apostropham conuersa ad ipsum Deum, dicunt: benedicant nomini gloriæ tuæ excelso in omni benedictione & laude. Excelsum dicunt diuinæ gloriæ nomē, quod eius ipsius fama quicquid est rerum vspiam sua celebritate superet, omniaque sint hac multò inferiora. Coniunctis etiam nominibus benedictionis ac laudis videntur omnia genera cultus diuini repræsentare: nimirum, vt quo quisque possit modo Deum colat.

6 Tu ipse Domine, solus tu fecisti cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum, terram & vniuersa quæ in ea sunt: maria & omnia quæ in eis sunt: & tu viuificas omnia hæc, & exercitus cœli te adorat.

Huic exhortationi, qua Leuitæ & sacerdotes populum ad laudandum & inuocandum Deum

excitarunt, iam exemplum confessionis vltima capitis parte comprehensum subiungitur. Estque bene longa confessio: quippe qua beneficia, quæ Deus maioribus Iudæorum promisit simulatque dedit multo maxima, pulchro ordine referuntur. Ac quoniam huius generis confessionum siue diuinarum laudum formulæ extant in sacris literis multæ: certè fuerint, vbicunq; occurrerint, considerandæ, inter seque conferendæ. Extat enim pulchra quoque in 76. Psalmo: in quo primum ecclesiæ bona prædicantur, in quibus elucent bonitas ac maiestas Dei: dein referuntur eius iudicia edita in hostes: in quibus potentia, iustitia, veritas Dei lucent: denique exhortatio ad laudes ac cultum Dei. Ad illam autem quæ est hoc loco proposita, ea propius accedit, quæ Psal. 104. proponitur. Etenim ea habet confessionem & prædicationem diuinarum laudum: cui & præmittitur exhortatio ad laudandum, inuocandum, quærendum, prædicandum Deum: confitemini Domino, inuocate nomen eius, annuntiate inter gentes opera eius: & subiungitur bene longa atque ex omni memoria antiquitatis repetita beneficiorum diuinorum commemoratio, eaque ipsa fœdus cum patribus initum, acta Iosephi, res in Ægypto, deserto, Cananæa terra gestas complexa. Nec absimilis extat Psal. 105. proposita confessio: in qua primum exhortatio ad laudes Dei ponitur, dein peccata maiorũ, & immissæ remissęq; pœnę recitantur. Hęc beneficiorũ diuinorũ bene longã commemorationem habet, quam & encomium Dei datoris præcedit, & eiusdem inuocatio religiosa comitatur. Tribus enim partibus quæ perinde ac Exordium, Narratio, Conclusio sunt, omnis est distributa: quarum prima quasi quoddam à diuinis laudibus doctũ exordiolum, descriptio Dei: secunda eorum quæ Deus in Cananæa terra, in Ægypto, in deserto, rursus in Cananæa commorantibus Iudæorum patribus ac maioribus dedit, beneficiorũ enumeratio: tertia supplicatio Deo facta proponuntur.

Exordiuntur igitur eo quod dicunt: Tu ipse Dominus &c. vt modo diximus, hanc confessionem à laudibus, aut quasi κατ' ἔπαινον facta descriptione Dei. Qua certis quibusdam, ac videlicet quatuor positis notis, quid de Deo sit statuendum, ostendunt. Earum autem notarum prima est, quod ipsorum Deus, vnus sit & verus Deus: secunda, quod sit rerum omnium procreator ac parens: tertia, quod sit almus omnium sustentator: quarta, quod sit omnium Dominus ac gubernator. Atque hæ quidem notæ, quoniam & errores in religionis rebus ac superstitiones omnes explodunt, & rerũ de Deo credendarũ præcipua capita cõprehendunt, sunt religiosè diligenterq; considerãdæ.

Igitur prima nota, qua Deus illorum vnus & verus Deus esse dicitur, melius Hebręis, quam vulgatæ Latinæ versionis verbis exprimitur: אתה הוא יהוה לבדך, id est, tu es Iehoua solus. Videntur verbis illis duo dicere: primum videlicet, quod ipsorum Deus vnus sit: dein, quod verus sit Deus. Quæ si rectè reputentur, vnum quiddam efficiunt. Nam & qui verè Deus est, vnus sit necesse est, & qui socium aliquem vel parẽ Deum habet, is verè esse Deus non potest. Seorsim tamen quodque est considerandum. Iehouæ nomen, quemadmodum vulgo notum, & aliàs sępe est à nobis dictum, ab היה, id est, esse, verbo deriuatur: nempe vt significet, eum esse Deum, qui cum ipse sit æternus, tum omnibus quæ fuere, sunt, ac fiunt, suũ esse impertiat & vnus omnia comprehendat, moueat, regat conseruet, ac vel donet, vel priuet vita. Sicut ipse Mosi indicat Exod. 3. cum is de eius nomine interrogaret. Huiusmodi immensus, infinitus, summè potens, sapiens, bonus, misericors, cum nisi vnus esse possit: illi dicunt Iehouam solum, id est, vnicum esse. Quo ipso non negabant multos passim esse, qui deorum loco haberentur: cum suos & Ægyptijs, & Arabibus, & Sidonijs ac Tyrijs, itemque Moabitis & Ammonitis peculiares esse deos vsu compertũ haberent: sed illos errore stultorum hominum, suum hunc reuera ac natura suapte Deum esse confitentur. Quæ confessio plane consentiens est apostolicæ sententiæ ei, quæ 1. Corinth. 8. proponitur his verbis: Nam etiamsi sunt qui dicantur Dij, siue in cœlo siue in terra: quemadmodum sunt Dij multi & domini multi: nobis tamen vnus est Deus. Etsi igitur Græci & Romani quoscunque de repub. bene meritos iudicarunt, statim in Deorum numerum retulerunt, deorumque loco & habuerunt & coluerunt: eos tamen ipsorum potius opinione, quàm reuera deos, imò quemadmodum Lactantius indicat, homines fuisse, nec humani quicquam abs se alienum habuisse credendum est. Nam qui vel mediocriter sapiunt, ijs non difficile est cognitu, quàm pugnet hæc de multitudine deorum opinio non solum cum natura Dei ipsius, verum etiam cum ordinata ac pacata mundi gubernatione. Cum enim Deus sempiterna quædam mens sit, eademque ex omni parte perfectæ consummatæque virtutis; ni sit vnus, id quod est, videlicet, infinitus, immensus, omnia conseruans, gubernans, continens, summè bonus, iustus, potens, sapiens: plane esse non possit. Nam si vel vnum aut alterum habeat parem, aliquid ei decedat & accedat, ab alio pendeat, non amplius omnia summa habeat, ac quia in plura diuisus esset, interitũ caperet, necesse est. Quod absurdum est & à Dei natura alienum. Huc illud etiam accedit, quod si plures esse deos daretur, consequens esset, alterum in alterius gubernationis fines irrumpere, & æmulationes oriri, & contentiones de

finibus

finibus nasci: itemque homines ac populos ab alijs dijs affligi, ab alijs amari: homines etiam ipsos æmula quadam nominis obseruantia in partium studia scindi. Quæ, ne quis fingi putet, suis testimonijs poetæ probant reuera accidisse. Sic enim apud Vergilium Neptunus de Æolo, cum ventis immissis Æneæ classem disiecisset, queritur:

Maturate fugam regique hæc dicite vestro:
Non illi imperium Pelagi, sæuumque Tridentem
Sed mihi sorte datum, tenet ille immania saxa
Vestras Eure, domos: illa se iactet in aula
Aeolus.

Et hanc tempestatem Iunonis instinctu vt Æneas carus Veneris filius affligeretur, immissam idem poeta attestatur. Verum hæc leuiora sunt: quin æmulationes, contentiones, simultates, pugnas deorū narrant, quibus multæ & variæ in orbem calamitates inuectæ credebantur. Quocirca Moses & prophetæ multitudinem deorum oppugnarunt oppositis illustribus testimonijs, quibus vnum solum esse Deum assereretur. Veluti Deuter. 6. Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est. Et Deuteron. 32. Videte quod ego sim solus & non est alius præter me. Et Esa. 44. Ego sum primus & nouissimus, & præter me non est Deus. His mens humana & illustrata rationibus, & confirmata testimonijs, vnum agnoscit, colit, implorat Deum, eumque Iehouæ nomine à deastris Ethnicis religiosè discernit: quodque errore mortalium potius quàm natura, planeque falsi & fictitij dij sint illi, noster Deus & nomine & re sit Deus, confitetur. Sicut Iustinus in Paræner. ad Gentes, Deum à deo Mosi de suo nomine sciscitanti respondentem dixisse, se esse ὁ ὤν, vt eos qui dij non essent, redargueret à diabolo confictos ac loco deorum ab hominibus ad cultum prostitutos esse. Minimeque miremur Iudæos illos initio suæ confessionis hoc de vnico Deo enunciatum proposuisse: cum & in decalogo Deus ipse mandet vnius Dei cultum, & ecclesia in symbolo Christianæ fidei, primum omnium fidem in Deum vnum profiteatur. Ergo ne videantur quas coniunctas vnique sibi deditas volt Deus, animi sui facultates multorum & variorum deorum cultu fiduciaque distrahere, vnum illi Deum confitentur ac colunt. Alteram autem notam, quod Deus sit rerum omnium parens & procreator, exprimunt eo quod dicunt: Tu fecisti cœlum & cœlum cœlorum, terram, & vniuersa quæ in eis sunt, maria & omnia quæ in eis sunt. Agnoscunt ac confitentur hunc mundum non extitisse casu, verum diuinitus procreatum. Quo ipso cum accedunt ad consensum ecclesiæ, tum à falsis hac de re proditis opinionibus se dissentire profitentur. Nam, vt Lactantius libro de Ira Dei, capite decimo scribit, Epicurus mundum ex atomis conflatum autumabat. Ægyptij quoque, quorum dominationis iugo maiores illorū subiecti fuerant, existimarunt Solem esse rerum omnium creatorem: velut perhibet Eusebius libro tertio de Præparat. Euangel. cap. 2. At Deus ideo condidit hunc mundum, vt sui cognitionem in homines insereret, operum suorum magnificentia ac pulchritudine. Quin etiam opificium corporis humani tanta arte elaboratum in conspectum nostrū produxit, vt vel eo ipso convinceret habere nos hæc abs se producta ac procreata. Quò referenda sunt etiam Mosis & prophetarum, aliorumque virorum insignium testimonia, quibus euincitur omnia ab hoc Deo nostro procreata. Cumque Deus & hunc mundum quæque in eo sunt omnia condiderit, & in rerū omnium possessionem homines collocarit, sicque omnia ordinarit, vt quemadmodum Origenes Tractatu in Matthæum nono scribit, homini potius quàm sibi mundum hunc fecisse videatur: iniquissimum atque indignissimum est, pro tanto beneficio adeo nullas Deo conditori gratias haberi, vt etiam eius ipsius laus omnis ad alios transferatur. Quemadmodum igitur illi Iudæi in suæ confessionis initio statim profitentur agnoscere sese Deum hæc omnia fecisse: sic nos etiam secuti Christianæ fidei symbolum, Deum cœli & terræ conditorem confiteamur. Illustrant autem simul ac probant hunc articulum confessionis, enumeratione partium operis procreati: quādo cœlum, terram, maria, quæque in eis sunt, exprimunt, nominatim ceu summa genera rerum conditarum. Eisdem classibus omnia complexus est Deus etiā ipsa in Decalogo, cum nullarū rerum quæ sunt vsquā imagines fieri & coli velle sese significat. Eandem mundi partitionē alijs item extra sacram scholam eruditis viris placuisse testis est Fastor. 5. Ouidius his versibus.

Post Chaos vt primum data sunt tria corpora mundo:
Inque nouas species omne recessit opus:
Pondere terra suo subsedit: & æquora traxit:
At cœlum leuitas in summa loca tulit.

En vt terram, æquora, cœlum, tria corpora cōmemoret, hisq; ceu generibus vt in hac sua confessione Iudæi, reliqua omnia comprehendat. Ac cœlum quidem nobis vt supremam mundi partem, vt thronum Dei, vt sedem beatorum cœlitum, vt pulcherrimum maximeque admirandum opus Dei Psal. 104. & cōpluribus alijs Scripturæ sacræ locis spiritus sanctus cootuendum ac con-

siderandúq; proponit. Qua de causa nō solum Moses, Iobus, Dauid, Solomon, & diuini illi scriptores reliqui, verum etiam extra ecclesiam plerique sapientes alii, quin ipsum etiá vulgus hominū considerationi cœli cœlestiumque corporum non minus oblectati quàm occupati fuerunt. Verū Plato in Timæo, Aristoteles lib. 1. de Cœlo, Plin. lib. 2. cap. 1. aliàs alii prius de nomine cœli, quàm de eius substantia ac natura sibi dicendum iudicarunt. Aerem autem cœli nomine & antiqui, & ipsæ Sacræ literæ vocarunt. Quidam etiam mundum cœli nomine appellarunt. Apud Homerum, vt Eustathius obseruat, ὁ ὑπὲρ τὰ νέφη ἀὴρ ὁ ἄχρι τῆς ζώνης τῶν πλανητῶν· καὶ ὁ ἀπὸ τῶν νεφῶν μέχρι τοῦ ἀπλανοῦς ... ἀὴρ καὶ οὐρανός: id est, aer is, qui supra nubes est ad planetarum zonam vsq; extensus: item quicquid est inter nubes & cœlum stellatum intermedium: ac rursus alibi stagnans ac densus aer cœlum nominatur. Aristoteles autem libro primo capite tertio de Cœlo scribit extremam mundi sphęram, primum mobile vocant, cœlum stellarum nominat: dein omnes in æthereà regione sphęras: denique & totum mundum eodem nomine appellari. Definiunt autem qui rerū naturæ scientiam profitentur: cœlum esse corpus simplex, æthereum & rotundum, & astris vndiquaque exornatum, quod & perpetuo moueatur. Et Aristoteles quidem ait: ἕνα μὲν οὖν τρόπον οὐρανὸν λέγομεν τὴν οὐσίαν τὴν τῆς ἐσχάτης τοῦ παντὸς περιφορᾶς, ἢ σῶμα φυσικὸν τὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ περιφορᾷ. Eodemque modo ferè Damascenus libro secundo capite sexto. Οὐρανός ἐστι περιοχὴ ὁρατῶν καὶ ἀοράτων κτισμάτων. Quanquam hoc videtur latius esse dictum. Id autē cœli nomen, quo Hebræi illi sua lingua vtuntur, שמים scilicet, seu ex שם, id est, ibi, & מים, id est, aquæ: seu ex אש id est, ignis, & מים, id est, aquæ, compositum existimemus: materiam, ex qua cœlum conflatum sit, ostendit. Quam ad rem si referamus etiá, quæ de cœli nomine Moses scribit, iussisse videlicet Deum, vt in medio aquarum superiorum & inferiorum interstitium quoddam latè fusum atque ex omni parte patens fieret, idque extemplo factum cœli nomine appellasse, stellis ornasse, & præsertim duobus magnis luminibus, sole & luna scilicet illustrasse: non difficile erit cum materia simul etiam formam, & vt illam pulcherrimam mundi partem Deus procrearit, videre & considerare. Equidem nō moramur eos, qui siue ex elementis an alia firmiore materia confectum cœlum multa in vtramq; partem dicere solent & disputare. Moses certè, quemadmodum ex ijs, quæ modo dicta sunt, perspicuum fit, testatur, Deum ex medijs aquis materiam cœli sumpsisse, eamq; instar cortinę, quemadmodum psaltes ait, extendisse, seu effudisse in eam quam cernimus, formam. Quam Mosis narrationem Theodoritus in eam sententiam accipit, vt existimet, Cœlum ἐκ τῆς ῥευστῆς τῶν ὑδάτων οὐσίας, id est, ex fluxa aquarum materia conflatum sic esse, vt quæ fluxa fuerit prius, sic dein virtute Dei sit firmata ac densata, vt à firmitate sua firmamentum diceretur. Et vt hæc illi firmitas accesserit, Seuerianus similitudine à crystallo petita videtur indicare, quando dicit: ἐπάγη ἐν μέσῳ τῶν ὑδάτων πῆγμα κρυσταλλῶδες ὁ οὐρανός; id est, coaluit in medijs aquis quoddam Crystalli simile pegma. Atque hoc quidem: vt videntur & Moses sensisse, & philosophi nō negasse: sic arbitror diuinæ sapientiæ & potentiæ tribuendum. Nam Mercurius Trismegistus in Pimandro cœli splendorem & firmitatem miratus, existimat id quod purissimum & maximè luminosum esset, vi diuini spiritus ex aquis attractū: & Plutarchus libro secundo de Placir. Philosophor. refert Aristotelem in ea sententia fuisse, vt ἐκ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ μίγματος, hoc est, ex caloris & frigoris commixtione conflatum cœlum existimarit. Sed & Homerus ob id χαλκοβατὲς δῶμα hoc est, æneas ædes appellauit, quod agnosceret operis huius firmitatem. Hæc intuentur & considerant piæ mentes, in materia simul ac forma artificis industriam & potentiam mirantur: tam fluxam ac liquidam materiā delectam ad corpus adeo solidum ac firmum: tum quod nomen, consensus hominum, motus, sensus oculorum, vt rectè Plinius collegit, ostendant, adeo rotundam esse formā, vt oculis humanis quaqua parte spectetur, connexus ac medius objeiatur: & quod non solum est pulcherrimū verum etiá sapientissimè excogitatū, sese ipsum ita vt nec cōpagibus, neq; fulcris egeat vllis, contineat ac includat. Iam verò quoniá hi non modo cœlum, verum etiá cœlum cœlorū prædicant: plures sanè esse cœlos statuere videntur. Qua de re variæ sunt & discrepantes, & nonnullorum etiá portentosæ opiniones. Etenim Basilides Hæreticus insignis à quo Basilidiani ipsius asseclæ nomen adepti sunt, adeo delirabat, vt quot integer annus dies habet, totidem ille cœlos esse existimaret, & ob id ἀβράξας nomen Gręcū cuius literis hic numerus significaretur, ceu sacrosanctum celebraret. Psellus ex Chaldæorum sententia cœlos septem, quos σωματικοὺς κόσμους, id est, corporeos mundos appellat, refert: primum ἐμπύριον, id est, igneū. post hunc tres αἰθερίους, id est, æthereos: inde alios tres ὑλαίους, id est, materiales: quorum extremus terrestris sit & semilucidus, & sublunaris locus. Plato, Aristoteles, alijq; philosophi veteres octo statuunt sphæras: lunæ, Mercurij, Veneris, Solis, Martis, Iouis, Saturni, octauam stellarum fixarum: quibus recentiores nonam & decimam nempe primum mobile, addunt. Verum hanc de cœlorum numero quæstionem Diuus Augustinus in earum, quæ & esse præter fidem, & citra salutis detrimentum, vel ignorari, vel in medio relinqui possint, quęstionum numerum refert. Extat locus is lib. 2. contra Cœlestiū cap. 23.

Cœli sunt plures.

Idem

Idem tameo lib.12.de Genesi ad literam cap 34.cœlos recitat:primum hoc corporeum,quod super aquas est & terram:secondum,quod spiritu cernitur in similitudine corporali:tertium quod mente perpurgata atq; à carnis sensibus ad omoium cœlestium rerum ipsiusq; etiam sobstantiæ Dei contemplationem abrepta aspiciatur.In quod & apostolum raptum censet,quodq; posse dici paradisorum paradisum putat. Atque hoc quidem cœlum ego putarim id esse, quod illi cœlom cœlorum vocant:quod sit omniom supremum:ac non solum Dei,verumetiam saoctorum angelorum & fœlicium animarum sedes. In eamq; sententiam Origenes, Basilius, Theodoritus ioclioant: quando statuunt à Dauide cœlorum cœlum appellari οὐ τὸν ὁρώμενον,id est,noo illud oculis nostris obiectum,ἀλλὰ τὸν ἀνώτερον,verum aliod eo soperius cœlum. Cui sanè sententiæ competere existimarim positam à Damasceoo cœli definitionem: quod videlicet sit περιοχὴ ὁρατῶν καὶ ἀοράτων κτισμάτων, id est, complexio quædam omniú quæ & videntur & videri nequeunt operum Dei. Ἐντὸς γὰρ (loquit) αὐτοῦ εἰσιν αἵ τε νοεραὶ τῶν ἀγγέλων δυνάμεις, καὶ πάντα τὰ αἰσθητὰ περικλείονται καὶ περιορίζονται. Idem, Quo ipso continentur cum intelligeotia præstantes angelorum potestates, tum quæcuoq; sensu percipiuotur. Hoc fortasse quod & cæteris sphæris superius sit ac præstantius,& ob perpetuam bonorum maximorú ipsiusq; adeo summi boni fruitionem optatissimum,Hebræa quadam dicendi consuetudine cœlum cœlorum appellatur. Quam possessionem nobis Christus filius Dei morte sua acquisiuit, & eo quod supra cœlos omnes ascendit,aperuit ac præparauit.Cumque Plinius,vtut impietatis ferat notam, ita sapiat tamé, vt existimet extra cœlum id quod videmus positas res nec indagari nec percipi ab hominibus posse: oostra, quibus illuxit verbum Dei,multò magis interest, iotra metas scripturæ sacræ consistere nosq; contioere: ac quod illi Iudæi oimirum vnicè spectant, cœli nomine admonitos pulcberrimam illam ac nobis vtilissimam mundi partem gratis animis aspicere: cœli cœlorum nomioe recolere sedem maiestatis Dei,spectare deniq; & quęrere hanc nostram patriam cœlestem. Quemadmodum id quod oculis his aspicimus cœlum excelsum, augustum,vndiq; patens, ac summú,sui simile,omnia continens, plurima maximaq; bona demittens infra se positis mortalibus,& cum cæterorum omniú mira sit ac perfrequens vicissitudo, hoc ipsum perpetuo sibi constet firmum:sic & esse Deum,& oos,cum illi cooiuncti isthic fuerimus, etiam ipsos futuros extra aleam omnis corruptionis,itemq; Deum vbiqoe excelsum, similem,augustum,præsentem. Iam quemadmodum Moses, qui quidem contemplationis boius princeps est magister & aotesignanus, cum secundo cap. primi libri rerum procreationis sommam paucis verbis compræhenderet, etiam cœlestis ornatus seu militiæ meminit, sic illi nimirum huius magistri vestigia secuti, postquam cœlorum procreationem suis laudibus extulissent, deinceps eandem appendicem צבאם וכל id est, & omnem ornatum militiamúe eorum, addunt. Videtur Hebræa vox צבא, sicot ostendi complunbus scripturæ sacræ locis posset,tam militiam,quàm ornatum significare. Sed & probabilis est sententia quam D.Hieronym.quæst.10.ad Algasiam profert:scilicet militiæ cœli nomine eum Solem,Luoam,reliquaque sidera,tum omnem angelorum multitudinem appellari. Duobus eoim hanc testimonijs probat. Vno ex Euangelio Lucæ petito,qood extat cap.2. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudaotium Deum. Quorum enim bæc multitudo fuerit,indicio est,quod postea Lucas eodem loco dicit: Et factum est, vt discesseruot ab eis angeli. Alterum autem testimonium ex Psal.104.profert: vbi scriptum extat facere Deum angelum spiritus,& ministros suos ignem vrentem. Posset his doobus tertiom illud addi,quod obseruat D. August.quæst super Gen.lib.4.quæst.101.videlicet castra Dei,quæ vidit Iacob in itinere,sine dubio multitudinem angelorum fuisse,qoam militiam cœli scriptura sacra appellat. Minimeqoe mirum cuiquá videri debet,quod angelis pariter ac astris, inprimisq; duobus illis principibus astrorum soli & lunæ hęc duo scilicet τῆς στρατιᾶς καὶ τοῦ κόσμου,id est,ornatus siue mondi militiæq; nomina attributa fuisse:cum tanta ambo ordioes luce pariter ac potentia præstent, quantá post Deum, non sit vspiam io omni rerum existentium oumero inuenire. Equidem angelis excelleotem quandam propeq; incredibilem lucem,puritatem,sapientiam, celeritatem, potentiam sacræ literæ & attribuunt, & reuera adesse propositis exemplis astruunt atque confirmant. Sed & Chrysostomus existimat plus virium vnum angelum habere, quàm vniuersum genus homanum habeat coniunctis omoibus viribus ac copijs suis. Ac profectò si tantam vim hostium, quanta Senacheribus Hierosolymam obsessam premebat, angelus vnus nollo negotio, minimoq; temporis momeoto fregit ac straoit:qoid credemos aliquot angelorum legiones fuisse præstituras fuisse? Nam legionom, & τῶν λεγεώνων nomioa ad significandam eorum potentiam accommodantur. Quod si item taota vis est spirituum immundorum, qui propter obtrectationum & calumniarú præcipuú & assiduom vsum diaboli nominantur, quiq; nimirum propter naturam vitiosam & degenerem moltò minus scientia potentiaq; valent, quàm boni: quantam nobis & diuinæ literæ commemorant, & omnis vsus vitæ rerumq; gestarum memoria attestantur: noo difficile est, quanta sit eorum, qui natura

suæ bonitatem saluam sibi atq; integram conseruarunt, potentia ac virtus, existimare. Hancque etiam eorum vim & potentiam perpetuam esse Euthymius eo ipso videtur indicare: quòd eam dicit ἀγήρω δύναμιν, id est, sic diuinitus comparatam, vt ei nulla senecta afferre exitium queat. Maximam autem & quantâ homines vix sint sustinendo, lucem angelis inesse: cum id quod Hebræis vsitato loquendi more angeli lucis, id est, multa luce præstantes substantiæ nominantur, euincit: tum vero maximè probant eorum species hominum oculis obiectæ, quibus aut vultus, aut vestitus eorum, aut locorum in quibus apparuerunt, spacia fulguris instar coruscarunt. Astris autem inprimisq; soli & lunæ tanquam regibus eorum quanta non modo lux verumetiam vis sit diuinitus attributa, nemo nescit: sacris videlicet æquè atq; extraneis scriptoribus hoc ipsum attestantibus. Primum enim, quemadmodum Moses ipsa indicat, clarissimum afferunt ac suauissimum toti mundo lumen: dein efficiunt etiam gratissimam illam totiq; rerum naturæ maximè necessariam dierum atque noctium vicissitudinem, itemq; menstruorum & annuorum spaciorum atq; adeo omnis temporis dimensionem: deniq; præbent euidentia signa non modo tempestatum, verum etiam aliarum rerum maximarum. Quemadmodum enim Canicula, quæ & Sirius dicitur, quæq; apud Troglodytas ante solstitium, aliâs in nostris locis post exoritur, maximam vim caloris: Hyades autem, quæ etiam ab ὕειν id est pluendo nominantur, pluuias: aliæ stellæ alias aeris mutationes videntur afferre. Admirandum est autem inprimis, quod sub eo orbe, cui inest fixa stellarum non errantium omnis multitudo: septem sunt orbes alij, quorum singuli singulas eas, quæ vocantur errantes, stellas vehunt: quarum diuersissimi sunt motus: ac modo coitiones, modo discessiones, earumq; ipsarum aliæ alijs longiores fiunt. Atq; harum quidem stellarum licet pleræq; sint etiam vulgo cognitæ: omnium tamen sunt notissimæ sol & luna. Quarum altera vim vitalem rebus suppeditat, ac semina sic calefacit, vt alimenti ex terra arripiendi, frugesq; proferendi vim concipiant: altera naturalem facultatem rebus affert, & humores in animantiû hominumq; omnium corporibus alit: vtraq; defectu lucis suæ ceu subtractis caloris & humoris alimentis, maxima nascentibus rebus & animantibus omnibus afferunt detrimenta. Quare nec superstitione sit nec stulto & inani timore, quod horum luminum defectu viri sapientes adeo vehementer percelluntur: sed quod obseruatione mortalium & seculorum omnium exemplis exploratè cognitum habetur, his ipsis maximas rerum mutationes & calamitates & clades ceu certissimis nuncijs semper significatas fuisse. Estq; non solum maximum beneficium & miraculum Dei tam mobilia atq; excellentia corpora in tantos tamq; varios & multiplices vsus nostros esse procreata, eademq; ipsa diuinitus decretas nobis vtilitates officij sui iugi functione in horas afferre: verum etiam consolationi & delectationi propè singulari diuinitus nobis esse infusam eorum naturæ & motuum & effectuum notitiam. Quamobrem cum & angelis & astris tanta vis & dignitas insit, tantoq; nobis & solatio sint & bono: mirum non est quod in hac confessione & aliâs etiam ambo cœlestibus illis ac propè diuinis rebus annumerantur. Ab illa autem supera ac non minus excellente quàm excelsa mundi parte rectâ ad terram, quæ communis est sedes hominum, descendunt. Ac quemadmodum cœli, cœli cœlorum, exercitus eorum, nominibus cum cœlum ipsum, tum cœlestia omnia complexi sunt: sic terræ & earum, quæ in hac sunt rerum omnium appellatione tam quæ in terris degunt, existunt, insita sunt, & recondita, quàm terram ipsam comprehendunt. In quibus illustria sunt & admiranda potentiæ, sapientiæ, bonitatis Dei signa: quæ profecto terræ situm, formam, partes, opes, ornamenta contuentibus atq; ponderantibus quasi gregatim occurrunt. Est terra locata in media mundi sede, quasiq; totius mundi centrum: veluti physicorum & mathematicorum doctrina, & grauium corporum omnium motu comprobatur. Cumq; emineat è mari, in medio vniuersi mundi loco: mirum videri queat, vtrum penitus defixa sit, & quasi radicibus quibusdam suis hæreat, an media pendeat. ni diuinus psaltes nobis diceret ipsam niti diuinitus positis fundamentis. Insignis elucet hic potentia Dei, qua vna tanta nobis moles sustentatur. Rotundam autem esse & vndiq; in sese nutibus suis conglobatam, æqua siderum à terris omnibus distantia mathematicis instrumentis explorata, & vmbræ eius, quam in lunæ eclipsi mittit, sphærica figura, & ortus occasusq; siderum, & complura alia signa, quæ Plin. lib. 2. cap. 70. & 71. recitat, ostendunt. In quo lucet insignis opt. max. patris erga genus humanum propensio: qua factum est, vt quam liberis suis parauit, multis nominibus vtilissimam, eam etiam censuerit omnium pulcherrima forma figurandam. Etenim rotunda forma negat vllam aliam esse pulchriorem Plato: quippe quæ & hoc habeat præ cæteris pulchrû, quod eius omnis extremitas paribus à medio sui puncto radijs attingitur: & ipsa vna omnes reliquas formas concludit ac comprehendit. Est & admirabilis eius & varia diuisio. Etenim Zonæ quinq; statuuntur: quarum duæ extimæ propter nimis remotum solem tanto frigore rigent, vt habitari possint à nemine: duæ rursus his vtrinq; proximæ temperatæ & habitabiles: quarum alteram habitant, qui quod aduersa nobis vrgent vestigia, An-

gia, Antipodes nominantur: alteram autem nos incolimus. Inter has est maxima, videlicet intra cancri & capricorni tropicos ambos media, quæ solis ardore perpetuo torretur. In quo rursus est mirabilis & religiosissimè adoranda conditoris sapientia, qui non modo Zonas illas in quibus homines degunt, medijs inter frigidam atq; torridam locis ambas collocauit, eoq; ipso quod hinc frigus, inde calores suppeditat, habitabiles fecit: verum etiam immissis in illam torridã aquis Oceani cauit, ne calore nimio consumeretur, eoq; temperandis ijs, quæ tenent homines, deesset. Aliæq; deinde secundum climata ac parallelos terræ diuisiones fiunt: quibus multa quæ digna sunt & vtilia cognitu deprehenduntur. Est autem & notissima & maximè necessaria cognitu illa habitabilis orbis partitio: qua tres eius primariæ partes constituũtur: Europa videlicet & Asia, & Aphrica: quibus iam quarta quam Americam vocant, adiungitur. In quo maximè est admirandũ, quod Europa, cum sit omnium minima spacio, tam incolarum multitudine, quàm rerum gestarum gloria, omnium maxima ac celeberrima euasit. Est deinde noo mious suauitatis & delectationis, quàm vtilitatis percipere ex illa varietate & copia reliquarum terræ partium: vt montium, vallium, pratorum, aruorum, syluarum, fontium, fluminum, lacuum. In quibus tanta conditoris bonitas ac sapientia lucet, quanta nec oratione & verbis efferri, nec mente comprehendi potest. Et tamen hæc omnia superat tanta copia animantium, quæ seu viua sint, seu mortem obeunt seu venenata sint & pestifera, seu salubria ac sana, siue fera sint natura seu mansueta ac cicure, omnia multis ac maximis seruiunt vsibus humanis Qoibus accedit immensa quædam frugum, metallorum, gemarum, herbarum tam ad cibum, quàm medicinam curamq; corporum salubrium, earumq; rerum omnium æstate quidem penè quotidie, & nonnullorum etiam tam hyeme quàm æstate prouenientiom multitudo. Quo nomine terra non tam sedes, quàm alma parens suorũ incolarum videtur esse & suo quodã merito celebrari. Immensę vero bonitatis est & gratiæ Dei quod is & prius noluerit hominem procreare, quàm ei tam locuples ac bonorum omni genere refertum domicilium præparasset, & non solum has opes parauit hominibus, verum etiam earum eruendarum & ad vsum suum conuertendarum scientiam dedit. Quod vt indicent illi se non ignorare, cum terram nominatim exprimunt, tum quæ in hac sunt omnia simul recensent. Agnorunt hæc & prædicarunt alij item pij & boni viri: vt psaltes Psal. 136. terram super aquas fundatam, & Psal. 118 plenam misericordiæ Dei signis esse indicans: item Solomon prouerb. [illegible]. dicens sapientia Dei fundatam terram. Tertij generis res à Deo procreatas maris appellatione comprehendunt. dicentes, Maria & quæ in eis sunt. Ac quoniam Hebræi mar[illegible] nomine non solum Oceanum & omnes eius in terras influentes aquas, verum etiam quęliber stagna & flumina appellant: verisimile est, hoc nomine præcipuè quidem ipsum Oceanum, & hæc quæ in ipsas terras influunt, vt Ægyptium, Persicum, Arabicum, Mediterraneum. & quæ in eis sunt monstra & animantia significari. In quo maxima sunt miracula Dei. Equidem ipsum mare est omnium maximum receptaculum aquarum: ac licet multa maxima flumina recipiat, his ipsis tamẽ ita non augetur. vt exundet, & aliquid damni terris apportet. Quod tametsi corporum superiorum præcipueq; solis calori vapores inde in aerem subtrahenti, itemq; venis & meatibus terrarum fluuios è mari reuertentes suscipientibus Physici acceptum ferunt: tamen est admirandum opus Dei. Idq; etiam Ouidius profitetur, eo quod dicit:

Tum freta diffudit rapidisq; tumescere ventis
Iussit & ambitæ circumdare littora terræ.

Astruit autem hoc diuino testimonio psaltes dicens. terminum posuisti, quem non transgredientur, nec conuertentur operire terram. Pertinet eòdem quod salsum est & reciprocum, ac non modo piscibus verum etiam alijs vsibus hominum mira arte conditoris accommodatum. In his omnibus elucent inprimis vires & artes conditoris. Qua de causa cum viri pij in hanc considerationem libenter ingrediuntur, tum ipse etiam Deus in decem legum tabulis, in multis suorũ vatum oraculis, in habitis ad homines sermonibus, in nostræ fidei symbolo, hoc ipso quod cœli, terræ, maris & rerum his comprehensarum parens sit & procreator, vult celebrari.

Eo vero quod dicunt: & tu viuificas omnia hæc: tertiam notam illam addunt, quod Deus omnium rerum conditarum sit almus sustentator. Significant enim verbis illis Deum his omnibus quæ in cœlis, terris, mari degunt, & dare & alere & sustentare vitam. Iam & si vulgo notæ sint animantium causæ, materię, alimenta: ac multa quoq; in aere ex naturalibus causis nata cum aquis pluuia decidant, alia igne, alia aere, alia aquis, alia terra prouenientibus alimentis nutriantur: videmus tamen hæc omnia nec afferendæ nec conseruandę eorum vitæ sufficere, nisi conditoris accedente quæ laborantibus illis opem afferat, virtute. Credendum est ergo Deum non solum omnia condere verum etiam hæc eadem alere & sustentare: errare Stoicos, qui secundis causis hæc assignant. Epicureos item desipere, cum putant omnia casu volui. Quin hoc est propriũ Dei, perpe-

tuo sustentare quæ fecit. Ad hanc sententiam etiam accedunt iudicia sacræ scripturæ. Nam 1. Tim. 6. dicitur: Deus is esse, qui viuificat omnia. Act. 17. scriptum legimus: In ipso viuimus mouemur, & sumus. Coloss. 1. Omnia per eum consistunt. Hebr. 1. ferens omnia verbo potentiæ suæ. Psal. 144. Oculi omnium in te sperant Domine. & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis manum tuã & imples omne animal benedictione. Inprimis est magno solatio, quod filius Dei tot indicia curæ diuinæ cuncta fouentis ac conseruantis in vilissimorum animalium victu itemque in plantis, & aliàs alibi in natura rerum declarat: quodq; nos ad petendũ à patre cœlesti panem quotidianum & excitauit, & præscripta postulationis forma, instruxit. Quanquam id se factitare alioquin & misso manna, & conseruatis integris vestibus Israelitarum in deserto oberrantium, obsessis in Samaria, in Hierosolyma, in alijs angustijs suppeditato victu comprobauit. Hoc vt agnoscunt & confitentur illi: sic nos agnoscere debemus & perpetuo prædicare.

Quartam denique notam, quod hic Deus sit dominator omnibus adorandus, eo quod dicunt: Exercitus cœli te adorant, pulchrè proponunt. Idq; si quid adorandi verbo, & exercituum cœlestium nomine significent, consideremus, perspicuum fiet. Igitur exercitus Hebræis צבא dicitur à צבא militandi, belligerandi verbo. Videntur aũt, vt plerisq; placet, & ipsi paulo ante diximus, hoc nomine primùm præpotentes illæ cœlestium spirituum eorũ, qui vocantur angeli, legiones, quibus Deus vel ad hostes suos sternendos, vel ad eripiendos ac conseruandos amicos vti solet, significari. Videmus enim vt Deus his ceu præpotens aliquis rex copijs suis consueuerit vti. Cumque magna sit illis vis diuinitus data, prudenter ad eam repræsentandam LXX. interpretes Hebræum nomen modo στρατιὰν οὐρανοῦ, modo δυνάμεις, Philo στρατιὰν τινὰ, nonnulli στράτευμα, vertunt. Nam στρατιὰ significat exercitus, quos educunt hi solum, qui cum iure nil profecerint, armis experiundũ, vt vim vi repellant, decreuerunt. Eiusmodi legiones angelorum adductæ sunt olim ad soluendas Hierosolymam & Samariam obsidione. Eiusdem generis Sol, Luna, reliquæq; seu fixę, seu errantes stellæ videntur esse: quibus in hæc inferiora corpora vis est ingens diuinitus attributa: quemadmodũ antè diximus. Cumq; cœlo proxima loca teneant ignis & aer, & in his Deus multa mirabiliter efficiat, quibus aut punit sontes, aut terret atq; à peccatis reuocat malos, aut conseruat in gratiam receptos: hæc ipsa quoq; videntur his exercitibus Dei annumeranda. Ea sunt illa in sublimi nata atque imperfectè mixta corpora, quæ τὰ μετέωρα Græcis appellantur, quæque tribus classibus omnia continentur.
1. Primæ classis sunt ignea ex inflammatis & ardentibus exhalationibus facta: vt cometa, candela accensa, capræ saltantes, Draco volans, stella cadens, chasma & alia generis eiusdem.
2. Secundæ sunt aeria, siue aquea & frigida, quæ nunquam accendnntur: vt nubes, nebula, pluuia, ros, pruina, nix, nymbus, grando.
3. Tertiæ sunt, quæ ex quadam halituum confusione miscentur: vt venti, tonitrua, fulmina, terræ motus, turbo, & similia. De quibus Ouidius Met. 1.

Illic & nebulas illic consistere nubes
Iussit & humanas motura tonitrua mentes
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.

Hæc agmina militiæ cœlestis nec ideo sacris pariter ac hnmanis literis describuntur, nec propterea à pijs hominibus spectantur & obseruantur: vt illa ipsa vel metuamus, vel ne noceant, sacrificijs demulceamus, ac diuinis honoribus afficiamus: sed vt eorum conditorem ac moderatorem Deum agnoscamus ac veneremur. Is enim propterea Dominos exercituum appellatur, quòd huius seu ornatus splendorem, seu militiæ potentiam modo intendit modo remittit: iamq; adhibet ad eos extirpandos quos iudicio iusto condemnauit: iam conuertit ad eruendos ac conseruandos illos, quorum miserias & ærumnas commiseratur. Quemadmodnm igitur apostoli, itemq; angeli ipsi oblatos etiam sibi ab ijs, quos mandato diuino iuuerant, honores diuinos repudiarunt, Deũq; ipsum honorandũ docuerũt: sic est minimè dubitandũ, quin hęc ipsa quoq; cœlestia, ignea, aeria, mixta corpora, si quidem illis esset copia fandi, nos ad opt. max. conditoris cultũ abs se ipsis ablegarent. Idque videntur Iudæi illi suæ confessionis verbis illis indicare: & exercitus cœli te adorant. Id enim perinde est ac si dicant. Hæc agmina cœlestis militiæ, quæ religionis rectæ expertes gentes Deorum loco habent, implorant, ac colunt, adeo nolunt sibi diuinos honores exhiberi: vt ipsa quoq; te sui Dei loco habeant ac colant, seq; ad imperium tuũ prompta ac parata sistant. Porro officium adorandi משתחוים participio significant. Id autem si redeundum sit ad originem, descendit à verbo שחה quod significat inclinare, demittere, submittere. Cumq; supplices animi summissionẽ & obseruantiam inclinatione corporis attestentur: eo verbo Hebræi in forma Hithpaal vti solent, quod est, caput aut reliquum corpus, aut potius seipsum incuruare. Coniugatur autem in singulari numero sub terminatione plurali, השתחוו: et in plurali Vau vltimum duplicatur. LXX. Interpretes verbo προσκυνεῖν quod idem significat, Latini vero adorandi verbo ferè exponunt. Iam quoniam Hebræo verbo externùs quidam corporis gestus, quo bonos is, quem animo ha-

mo habemus alicui, ceu symbolo significatur: non difficile est videre discrimen diuini & humani cultus: nimirum vt vnum idemq; verbum vtramq; animi summissionem, & eam quæ mortalibus honoris ergô conuenit, & eam quæ debetur Deo, significet. Qui igitur Deo supplices fiunt, hi illum agnoscunt suum conditorem, sustentatorem, dominum & perpetuo colendum, & omnibus in rebus inuocandum. Iam cum illi dicant Deum ab angelis adorari, indicant eum ab illis præstantissimis ac potentissimis cœlestibus spiritibus ac substantijs loco Dei coli, proptereaq; à minoribus & infirmioribus nobis multò magis adorandum. Deum autem ab angelis coli non illi soli, sed & alij pij vates, & alieni à cœlestis scripturę scientia philosophi confitentur. Empedocles enim docuit omnia ab vno nata, etiam [illegible], id est, longæuos Deos. Plato vero & Philo, propter officia quæ præstant angeli Deo, [illegible] id est, interpretes, & [illegible], id est, ministros secundarios appellant. Dauid etiam hos inuitat quasiq; exhortatur ad laudandum Deum, cum dicit Psal 148. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt. His verbis Dauid & angelos, & eos omnino omnes, quorum, vt Dei laudes celebrent, interesse existimat, ad laudandū eum excitat & cohortatur. Angelorum enim officium duabus potissimum in rebus consistit. Vna, vt optimum maximum celebrent Deum: altera, vt ecclesiæ Dei, quæ supremus ille rex mandauerit officia præstent. Ad prius officium Dauid eos, & eo, quem citaui loco, & Psal 103 hortatur dicens: Benedicite Domino omnes angeli eius. Hocq; officij genere angeli Dei Christum, cum primū natus esset prosecuti memorantur Luc. 2. hymno, Gloria in excelsis, decantato. Posterius officiū Paulus eo ipso repræsentat, quod eos [illegible] appellat. Est autem nobis consolationi maximæ, quod Psal. 90. scribitur angelis Dei in mandatis datum, vt perpetua quadam custodia sua nos tueantur. Cum autē vt præclarè Paul. Heb. 1. colligit, angeli sua, quā filio Dei præstant, obedientia attestentur: agnoscere se Christū verū esse Deum: qui pro suæ erga Deum fidei constantia aliàs illi diuinos honores illos nequaquam essent habituri: nos, qui cœlestibus illis spiritibus longè inferiores sumus, id nobis multo magis faciendum existimemus. Estq; hoc illorum Iudæorum laudibus dandum, quod eum censent adorandum, a quo se cum procreatos professi erant, tum etiam saluos conseruari confidebant.

7 Et dixit Esdras, Tu ipse Domine Deus, qui elegisti Abram, &
eduxisti eum de igne Chaldæorum: & posuisti nomen eius Abraham.
8 Et inuenisti cor eius fidele coram te, & percussisti cum eo fœdus,
vt dares ei terram Cananæi, Hetei, & Heuæi, & Amorræi & Pheresæi, &
Ebusæi, Gergesæi, vt dares semini eius: & implesti eius verba tua quoniam iustus es.

His iactis quasi diuinarum laudum fundamentis, hacque strata ad celebrandas eas via, dein bene longa narratione quæ maioribus ipsorum atque etiam illis ipsis Deus dedit beneficia complectuntur, eaque probant ac declarant, primum quidem hanc totius mundi machinam, vt est à Deo condita, sic ab eo ipsa non modo non deseri, verum etiam perpetua quadam eaque in omnes minimas æquè atque maximas res inprimisque in ecclesiæ suæ tutelam commeante cura ac prouidentia foueri, gubernari, sustentari: Tum vero maximè ipsos ingratos esse & indignos quibus opem afferat Deus, vt qui maxima eius beneficia animis ingratissimis accepissent. Sunt autem narrationis huius capita quatuor. quorum primo quæ in gentis authorem, secundo quæ inter educendum ex Ægypto, tertio quæ in deserto, quàrto quæ promissam terram ingressis data sunt, continentur.

Septimo quidem versu, beneficia in authorem gentis collata à Domino referunt: quod nimirum Deus hunc è media turba idololatrarum euocatum in societatem ac fœdus susceperit, eoque & ipsum & omnem eius posteritatem amicitiæ perpetuæ nexu sibi deuinxerit, & opibus ac honoribus maximis auctos ornarint. Quod cum maximi in beneficij loco sit ducendum, sanequàm exactè describunt. Cumque res omnes ex suis causis plenissimè cognosci queant: etiam huius cum Abrahamo initæ societatis causas præcipuas recensent: nimirum vt vnde hæc exorta sit, & quæ qualisq; fuerit, & quas quantasque afferat vtilitates, cognoscamus. Efficientem autem causam & formam, & effecta solum referunt. Et causarum efficientium alias in Deo, ac rursus in Abrahamo ipso alias monstrant. Et in Deo quidem duas: electionem scilicet & vocationem monstrant. Electionem etenim repræsentant eo, quod dicunt: Tu ipse Domine Electio.
Deus, qui elegisti Abram: quando verbis illis apertè edicunt, hoc quicquid est dignitatis & amicitiæ initæ cum Deo, tantummodo tribuendum electioni Dei. Iam si causas causarum scrutari libeat: quid sit & vnde oriatur, & quid præstet electio, fuerit considerandum. Licebit ergo dicere, electionem esse illam dispensationem Dei, qua, pro sua bonitate & iustitia, Deus ex illa mortalium

maſſa corrupta ac perdita, quos vult ſaluos conſeruare, ſeligit ad ſalutem & beat: ac iuſto iudicio reliquos exitio ſuo merito relinquit. Vbi vero oriatur hæc electio, in eligente ne an eligendis, Phocius quærit: & putat ex eligendis rebus ipſis oriri: quod in his ipſis diſcrimen id exiſtat, quo moueatur eligens ad id vt alterum eligat, alterum repudiet. Idem etiam ſentiunt, qui verbum בחר, quo Iudæi ſunt hic vſi, putant à ב & חור id eſt, luce deriuatum: quod quæ candida ſunt præ nigris eligamus. Verum neq; hæc deductio nominis, neq; ipſa opinio admitti poſſunt. Nam etſi חור alborem ſignificet: tamen ideo non ſequitur, vt ex eo nomine בחר eligendi verbum deriuetur: cum & alia nomina inde exiſtant, & ex verbis potius nomina, quàm ex nominibus verba apud Hebræos deriuentur. Ad hæc ſi rem ipſam penitius inſpiciamus, perſpicuum eſt omnibus, omnes homines, atros, hoc eſt, corruptos, labe mali infectos naſci, iiſq; nihil ineſſe candoris ac boni: ſeu vires, ſeu conatus ac voluntatem ſpectemus. Quin rectius arbitrabimur hoc diſcrimen ex vario propoſito eligentis oriri. Idq; Chryſoſtom. rectius dicit, quàm intelligit ac ſentit: eſſe videlicet hoc arcanum, ac nulla mortalium cogitatione comprehendi poſſe. Paulus autem intelligit id rectiſsimè: quando electionis Dei nullam aliam cauſam aſsignat, quàm propoſitum ac voluntatem Dei: vnde & exclamans ait: ô altitudo diuitiarum. Eodemq; modo Iudæi illi contenti ſunt dixiſſe, eius amicitiæ, quæ Patriarchæ principi cum Deo fuit, electionē diuinā præcipuā cauſam fuiſſe. Ex quo colligi ſatis certò poteſt, quod hæc vna ſit iuſtificationis & gratiæ fons & origo: quando hac ipſa pater credentium etiam ipſe in gratiam ſuſceptus atq; in ſocietatem aſcitus eſt. Cumq; videamus verum eſſe quod Paulus dicit, non eſſe volentis aut currentis hominis, ſed miſerentis & eligentis Dei: tantò maiores deberi gratias Deo, quanto plus ſalutis noſtræ cauſæ in illo, quàm nobis fuit, arbitremur. Verum vt hæc eſt princeps cauſa: ſic ſecundaria eſt altera, nempe vocatio: quam non obſcurè ſignificant eo, quod dicunt: & eduxiſti eum de Igne Chaldæorum. Vbi verbō Hebræum in Hiphil forma idem ſignificat, ac ſi diceremus: Exire eum fecit: nimirum mandato & promiſſo excitatum, & arcano motu attractum. Id vero aliter Hebræi, aliter item Græci interpretes exponunt. Hebræi nomen Vr appellatiuē, & quidem pro fornace accipiunt: ac fingunt Abrahamum in quandam ignibus ardentem fornacem coniectum, eo quod Ignem, quem Dei loco habent & colunt Perſæ, nollet adorare, verum ope Dei inde extractum. In quam ſententiam Vulg. verſionis author etiam ipſe forſan inclinat, vt qui Ignis nomine Hebræam vocem explicarit. At LXX. Interpretes χώραν vertunt, id eſt, regionē. Moſes autem Gen. 12. & alibi ſatis claris verbis oſtendit, Abrahamum Vra Chaldaica ſiue regione ſiue vrbe euocatum, ad verum Dei cultum animum aduertiſſe: recitatis videlicet vocationis verbis. Ex quo perſpicuum fit, alteram fœderis cauſam fuiſſe diuinam vocationem. Duplex autem eſt vocatio. Vna communis, qua homines excitantur quidem, non autem flectuntur eo vſq;, vt quæ proponuntur probent & apprehendant: rurſus efficax altera, quippe qua voluntates eò vſque vt oblatas res arripiant, pertrahuntur. Quæ vocatio ſecundum propoſitum Dei efficax eſt: quandoquidem hac electi ad ſalutem pertrahuntur. Eodemq; modo Abrahamus cum vocatus, tum electus fuit. Electionis autem ideo prius hi, quàm vocationis meminerunt: vt oſtenderent vocationis vim diuinitus acceſsiſſe: nec quicquam Abrahamo, omnia verò Deo tribuenda. Additur autem illud in ipſius confeſsionis verbis indicium propenſæ erga Abrahamum Dei voluntatis, quod mutato nomine Abrahami proprio ſpem & expectationem promiſſorum bonorum quaſi quodam monumento perpetuo ſaluam in Abrahami mente conſeruarit. Equidē nomē prius erat Abram: poſt, quia futurus erat ope & gratia Dei המון גוים אב, id eſt, vt LXX. vertunt, πατὴρ πολλῶν ἐθνῶν, pater multitudinis gentium. Relinquuntur autem ad euitandam cacophoniam tres tantum in Abrahami nomine ſyllabæ. Et vim nominis huius Deus, qui id illi imponit, ſuis ipſemet verbis in eam quæ modo eſt adducta, ſententiam, exponit. Credibile eſt vero hoc modo ceu inſtrumento vſum Deum ad aperiendam ac declarandam ſuam Abrahamo erga ipſum propenſiſsimam voluntatem. Qua re & Abrahami voluntas cum pro eo ac fert natura voluntatis pellecta & attracta ad amplexandū Dei promiſſum, tum etiam in promiſsi boni ſpe confirmata, fuit. Atq; hæ quidem cauſæ ſunt in Deo, qui cum vocauit tum elegit Abramum. Obſeruandum eſt autem quod electionem vocationi præponunt: nempe vt efficiens effecto. Nam aliàs multi ſunt, vt ait Dominus, vocati, pauci electi. Efficacem ergo huius fuiſſe vocationem eo ipſo oſtendunt, quod ipſa cauſarum collocatione ſignificant eam ex electione diuina promanaſſe. Atq; hoc modo laus omnis tribuitur Deo. Rurſus autē in Abrahamo cauſam huius amicitiæ monſtrant vnam, ſcilicet fidem: quando dicunt: ומצאת את לבבו נאמן לפניך: id eſt, & inueniſti cor eius fidele coram te. Interpretes LXX. vertunt hoc modo: καὶ εὗρες τὴν καρδίαν αὐτοῦ πιστὴν ἐνώπιόν σου. Quod idem ſignificat. Eſt autem נאמן apud Hebræos ab אמן verbo deductum Thoar, quod fidum, firmum, ſtabilem, verum ſignificat: qualem ſanè ſe præſtitit Abrahamus non modo credendo quæ promittebat verum etiam faciendo quæ iubebat ac requirebat Deus, inprimiſq; eo ipſo quod ija

quæ eius

quæ eius fidei opponebantur tentationibus omnibus ſuperatis conſtanter in fide perſeuerauit. Quod ipſum vt ſit voi fidei tribuendum apoſtolus Heb. 11. oſtendit hoc modo: per fidem appellatus Abraham obedijt, vt exiret in locum quem accepturus erat in hæreditatem: & exioit oeſciens qoò eſſet venturus. Quibus verbis fidem patriarchæ Paulus ſic commendat, vt oſtendat banc non ſolum ioſtrumentum appræhendendæ gratiæ Dei, verum etiam viuam, & quod eius eſt propriũ, per bona opera efficacem fuiſſe, eoq; mortuæ fidei, quam Iacobus rectè damnat, inanem oſteotationem omnem explodit. Verum quam qualemq; fidem dicant illi in Abrahamo fœderis ioiti cum Deo & ſalutis appræhenſæ caoſam fuiſſe, partim cordis nomine, partim hac add[illegible] clauſula, לפניך id eſt, coram te, vel, in conſpecto tuo, ſatis luculenter oſtendunt. Nam vt homines ex ijs qoæ ſenſibos oculorum atq; aurium obijciuntur incertas capiunt coniecturas & iodicium faciunt incertum, iniquum & falſum: ſic Deus ex ijs, quę in cordibus bominum latentia cernit, certè colligere, & qui qualeſque ſiot homines rectè vereq; iudicare poteſt. Ergo bominibus qui penitius quàm in externam vitam ac mores inſpicere nequeunt, vel externa quadam ſpecie & ſimulatione ſe probare patriarcha ooſter potuiſſet: Deo vero, qui in cor bominis intuetur, vt recta cordis cooformatione ſe probaret, neceſſe fuit. Acies humanæ meotis ad opera: at vlterius in ipſios etiam cordis intimos receſſus iudicium Dei penetrat. Qoò fit, vt coram hominibus quiois etiam hypocritæ, coram Deo ſoli illi, qui reuera ſunt, fideles inueniuntur. Quamobrem omnes illæ voces ſunt notę fidei, illamq; docent eſſe earum, quę io Abrahamo quidem erant, amicitiæ eius cum Deo caoſarum principem: quando נאמן Hebręum nomen habitum animi ſignificat, & cordis appellatione externa ſpecies operum excluditur, & conſpectus Dei non cæcum & incertis nitens coniecturis, ſed diuioum iudicium poſcit. Iam cum fides Abrahamo fuerit eius, quo eum Deo eonionctus eſt, inſtrumenti vice: nobis etiam vt hac potiamur anſa, fuerit enitendum. At oe quis hanc principem cauſam amicitię eius fuiſſe, atque ipſi qooq; electioni & vocationi prępoonendam potaret, hi quoq; Inueniendi verbo caueot, eoq; rectam cauſarum efficientium ſeriem nobis oſtendunt. In ijs enim quibus abs ſe tendebat Abrahamus ad Deum gradibus locandis eum ordinem ſois illi verbis monſtrant: vt in Abrahemo fidem, inde altero gradu quod iouentus ſit à Deo, in tertio vocationem, in qoarto electionem, oſtendant. Eondem autem ordinem vel vnum Inueniendi verbum, ſi cætera ad euidentiam ac certitudinem ſententiæ piæ & veræ nõ addidiſſent, demonſtraret. Neq; enim Abrahamum Deus inueniſſet, niſi quæſiuiſſet: nec quæſiuiſſet, niſi dilexiſſet: nec dilexiſſet, niſi dignatus eſſet gratia ac dilectione. Quemadmodum enim ea reperiſſe dicimur, in quæ nulla data opera ac ſortuitò iocidimus: ſic rurſus ea demum dicimur inueniſſe, quæ magno opere & ſtudio quęſiuimus, vt acquireremus. Quod pater ille reperta filia apud Ouidium dicit: To noo iooeota reperta es. Eodemq; modo Deus eos dicitur inuenire, quos prior ipſe gratia ſua dignos duxit ac quæſiuit. Sicut dicitur: ipſe dilexit nos prior. Sed & Adamum cum p[illegible]mum lapſus eſſet, ita plane qoæſiuit & io gratiam reuocauit. Hæc eſt ergo recta ac vera cauſarum ſeries: electio, vocatio, fides, iuſtificatio, obedientia, coniunctio conſociatioq; cum Deo. Quo ordine progreſsi illi, primũ dicuot Deom elegiſſe, poſt vocaſſe, demum fidõ inuentum in ſœdos ſuſcepiſſe. Quod quo modo factum fuerit, iam initi fœderis forma ad hunc modum propoſita declarant: Et percuſsiſti fœdus cum eo, vt dares ei terram Cananæi, &c. Quibus verbis indicant Abrahamum perinde familiariter in amicitiam à Deo ſuſceptum, ac ſi par à pari ſoſciperetur: adhibita ſcilicet ineundorũ fœderum ſolenni formola, poſitis etiam quibus vtraq; pars obſtricta teneretur, conditionibus. Cerimoniæ ſimul ac conditiones Gen. 15. & 17. deſeriptæ extant. Hic vero cerimonias כרת, id eſt, ſcindendi verbo, quod animalia circa ſanctionem fœderis mandato Dei diſſecta repræſentant, videntur vtcunq; ſignificare. Erat autem excellentis erga Abrahamum amoris, quod cum eo Deus adeo omnia more humano ageret: ideoq; nolunt id illi ſilentio præterire. Conditiones autem eas ſolum recenſent, qoibus ſe Deus obligarat: qood nimirum Cananeæ gentis terras eis eſſet daturus. Extant Gen. 15. cap. expreſſa earundem geotium oomina. Et Gen. 10. Cananeos, Hetæos, Heuæos, & reliquos, qoi nominantur hoc loco populos omnes è Canaano Chami filio oriondos, & in ijs quas Iſraelitæ poſt occuparuot, terris habitaſſe, Moſes docet. Hæc promiſsio quanta bona complectatur, tam hæc illorum confeſsio, quàm euentus comprobauit. Quid ille viciſsim pręſtare debuerit, non commemorant: ſatis enim erat, quod fidelis inuentus eſſet, dixiſſe. Verum hæc amicitia ad eum modum inita eum Deo, quantos Abrahamo fructus apportarit, eo perſpicoum faciont, quod dicunt: Et impleſti verba tua: quoniam iuſtus es. Implere verba dicitur, qui promiſsis ſatisfacit, & quæ bona pollicitus fuerit, ea ſuppeditat. Idq; feciſſe Deum, ijs quæ poſtea referunt, quaſi demonſtrant. Caoſam reddunt, qoia iuſtus ſit: hoc eſt, in dictis & in factis bene ſibi cooſtet. Atq; hanc quidem Dei in Abrahamum authorem gentis ſuæ beneficentiam, ceu initia cæterorum inde emanantiom booorum prædicant ac laudant. Quorum oos exemplo diſcimus noſtra quoque inter-

esse, vt maioribus nostris diuinitus tributa beneficia grata memoria teneamus, honoratè & honorificè prædicemus, ad excitandam in nobis fidem conuertamus.

9 Et vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto: clamoremque eorum audisti super mare rubrum.
10 Et dedisti signa atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius & in omni populo terræ illius: cognouisti enim quia superbè egerant contra eos: & fecisti tibi nomen sicut & in hac die.
11 Et mare diuisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco: persecutores autem eorum proiecisti in profundum, quasi lapidem in aquas validas.

Deinde cum dicunt, Et vidisti afflictionem, &c. ab eius, quod authori gentis suæ dedit Deus, beneficij prædicatione, ad id quod toti genti primum dedit, faciunt transitionem: nempe vt eorum maiores graui tyrannidis Ægyptiacæ iugo oppressos, in auitam libertatem vindicarit. Quod quidem est omnium, quæ genti Israeliæ Deus dedit, beneficiorum maximum ac celeberrimum: maximum, quod ingens esset eius, qui premebat ipsos, potentia: summa ipsorum qui premebantur, imbecillitas & inopia: præsens periculum: admirabilis, inauditus omnibus naturæ viribus maior ac superior liberationis modus. Celeberrimum item erat, quod eius fama statim in omnem orbem terrarum esset euagata, & omnibus populis in ore esset: quod Deus ipse eius memoriam cum in lege & prophetis passim refricat, tum posito monumento conseruandam duxit: quod denique eo ipso quasi quodam typo communem totius generis humani redemptionem veteri populo voluit repræsentare. Quæ sane Ægyptiacam illam immensis modis antecellit. Nos enim seruitute duplici tenebamur: vna satanæ, altera peccati. De peccati iugo Ioan. 8. dicitur: Qui facit peccatum, seruus est peccati. De satanæ tyrannide 2. Tim. 2. Paulus dicit: quod impij & increduli captiui satanæ laqueis teneantur ad eius voluntatem. Vtriusque meminit apostolus Ephes. 2. Et vos (ait) cum essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta principem cui potestas est aeris, qui est spiritus nunc agens in filijs contumacibus, &c. Ab vtraque seruitute genus humanū per filium Dei liberatum testis est scriptura sacra: à peccato quidem, vt Matt. 1. dicitur: Ipse liberabit populum suum à peccatis eorum. Et Iohan. 8. Si vos filius liberauerit, verè liberi estis: à satana vero, Coloss. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum & transtulit in regnum filij dilectionis suę. Iam vt illam Ægyptiam liberationem pascalis celebritas, sic hanc communem redemptionem cœna Domini celebrant, & vt grata fidentique memoria ambæ teneantur, æquè præstant. Quemadmodum autem illi Ægyptiacæ redemptionis memoria repetita cum maiorum ingratitudinem detestantur, tum se gratos futuros pollicentur: ne si ingrati liberti sint, in seruitutem retrahantur: sic nos grata recordatione redemptionis nostræ, crimen ingratitudinis & ex hac metuendum damnum depellemus. Cumque ad excitandam in animis humanis gratitudinem vix alia res sit efficacior, quam accepti beneficij iusta ac digna consideratio: hi instituunt diligentem & ad animos humanos cum excitandos, tum misterijs diuinis ac salubribus imbuendos accommodam suæ liberationis considerationem. Primum enim eius antecedentia commemorant, & in his ostendunt eius efficientes causas: tum rem ipsam vt peracta fuerat omnem pulchrè describunt: verum his ambabus narrationis huius partibus breuē rerum cōsequentiū recitatiunculam interponunt. Atque hæc quidem 9. 10. 11. versibus complectuntur. Et in antecedentibus quidem referunt, quod Deus afflictionem patrum illorum viderit, & clamorem eorum audierit: item signa atque portenta dederit, superbè contra Israelitas ab Ægyptijs acta cognouerit. Hæc vt liberationem Israeliorum antecesserunt: sic eius ipsius efficientes causas in Israelijs, in Ægyptijs, in ipso præcipuè Deo monstrant. In Israelijs afflictionem & clamorem dicit, ijsque nominibus, præsertim vt apud Hebręos sonant, indicat tristissimā rerum faciem & conditionem. Nam עני significat eas angustias, in quibus sunt qui vtrinque premuntur: qualibus Israelij premebantur, cum primùm eis & dimensum pabuli debiti negaretur, & augerentur onera ac labores: dein cum intra copias Pharaonis, & rubri maris aquas conclusi tenerentur. At צעקה nomen & clamorem & eiulatum significat: qui nimirum erat animi non solum vehementer afflicti, verum etiam planè deiecti & confracti certum argumentum. Harum rerum confessione rei illius laudem omnem suis patribus adimunt, Deoque adscribunt. In illis quæ erant, cordis contractio atque deiectio, itemque fletus & eiulatus: hæc ad reprimendam ferociam atque ad minuendā frangendamque potentiam Pharaonis perparum momenti poterant afferre. Quid enim faceret imbellis turba muliebriter flentium hominum aduersus densos ordines instructorum ad prelium equitū atque curruum? Erant præterea animis in

mis in diuersas partes distractis: quando alius Deum, alius Mosem vel inuocabant vel accusabant. Testis est historia Exod. 14. & prioribus capitibus. Igitur penes illos nisi inopia, miseria, desperatio, nihil erat. Quæ res non salutis causæ, verum via ad interitum erant. In Deo contrà monstrat, videre afflictionem, audire clamorem, terrere signis & miraculis, suscipere cognitionem causæ eorum, qui petulanter superbè fuerant læsi. Equidem prouidentiæ diuinæ sunt non obscuræ notæ: videre iniurias & audire querelas. Et sanè Deus Exod. 3. &c. cap. testatur se vidisse & audisse quæ essent in Ægypto facta. Quæ res est omnibus pijs solatio maximo: videre scilicet & audire Deum, quas plerunq; pij nullis testimonijs probare possunt iniurias sibi illatas. Potentiæ vero diuinæ sunt illa quæ fecit in Ægypto miracula. Hebræa nomina ferè eandem rem significant. Etenim אותיות dici videntur ab אתה id est, veniendo, quod nuncient aliquid euenturum. Itidem מופתים futurum aliquid monentia signa dicuntur. Addunt autem personas Pharaonis & seruorum, in quibus hæc sint edita signa, vt ostendant se meminisse plagarum, quibus Ægyptij sunt afflicti. Hæc signa vt fiebant ad reprimendam ferociam Ægyptiorum, sic contempta nunciant eorundem internecionem. Iustitiæ vero hoc acceptum ferunt, quod cognorit superbè egisse Ægyptios contra Israelitas. Cum enim vidisset Deus Ægyptiorum ferociam & tyrannidem supra modum increuisse, iamq; intolerabilem euasisse: coercendam tandem & ab hominum miserorum atque innocentium ceruicibus retrahendam iudicauit. Atque hoc est, quod vulgo dici solet: Gott richt so niemandt spricht. Atque hæ sunt liberationis huius principes causæ: prouidentia in omnes res se extendens, potentia par cum reprimendis inimicis, tum eripiendis & conseruandis amicis: iustitia nonferens iniurias præsertim atroces. Has omnes suscitare & impellere videtur misericordia quasi mota tristi & lamentabili spectaculo amicorum afflictorum. In harum Dei virtutum contemplatione magna spes auxilij mortalibus afflictis affulget. In Ægyptijs autem quod superbè egerunt, quasi causa liberationis Israelijs fuit. Etenim superbia malis ruinæ, pijs & afflictis salutis est causa. Cum Babylonij superbia quasi extra nidum suum efferrentur, proximus terminus exilij Iudæis præstò fuit. Quamobrem si fremant & ferociant aduersus ecclesiam gentes malæ: ea res non terrori, verum potius solatio pijs esse debet: quando ex ea re ferè pijs sua liberatio proficisci solet. Atque his quidem vt antecedentibus huius rei positis, ipsam quoque rem iam subiungunt: quando dicunt Dominum diuisisse mare ante eos: ipsos sicca per medium mare via transijsse: hostes ceu essent saxa in profundos gurgites abiectos esse. Quibus verbis videntur per quandam ὑποτύπωσιν hanc rem ceu depictam in tabula ob oculos ponere. Extat hæc res pluribus verbis descripta Exod. 14. & nonnullis quoq; psalmis decantata. Erat admirabilis potentiæ Dei, quod maris aquas, quibus omnis Israelijs exitus præclusus erat, diuisit, eoque per eas ipsas viam suis aperuit. Hæc potentia Dei magno solatio pijs est, quoties vident se premi potentia aduersaria eaque tanta, vt aliàs nullis naturæ viribus cedat. Ergo hanc intuerentur taciti, Moses iubet: quod etiam exitium minantibus secundis causis, Deo non difficile sit vel ijs ex rebus, quæ nullæ sunt, opem afflictis afferre. Estque hic Israelitarum per medium mare transitus siccus, euidens argumentum fortis ecclesiæ Dei, quæ sæpe magnis angustijs inclusa, humanis præsidijs ac consilijs destituta, Deo duce viam ad euadendum inuenit. Erat rursus iræ & iustitiæ Dei, quod hostes & optimè instructos, & populi sui ceruicibus iam imminentes in ijs aquis perdit, in quibus ipsi perdere ecclesiam constituerant. Seuera nimirum ac grauis de tyrannide & superbia, de libidine & luxu, de multis alijs flagitijs est pœna sumpta: quando florentissimum Ægyptiorum regnum tot tantasque in aquis, in agris, in armentis & gregibus, in primogenijs, in omnium hominum corporibus, in rege & ordinibus regni subinde alias post alias accipit clades, strages, calamitates. Hæc qui pij sunt, non possunt non mirari sæpeq; secum reputare. Atque ô fortunatos ac fœlices eos, quos faciunt aliena pericula cautos. His duabus partibus narrationis suæ, rerum quæ miraculum hoc sunt consecutæ commemorationem interponunt: ac dicunt: & fecisti tibi nomen sicut & in hoc die. Quo ipso ostendunt eius rei fama longe lateq; euagata, gloriam nominis diuini mirum in modum increuisse. Idq; etiam Rahaba Hierichuntina Iosuæ ducis exploratoribus, & Gabaonitæ etiam ipsi Iosuæ confitentur.

12 Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in colum-
na ignis per noctem: vt appareret eis via per quam ingrediebantur.
13 Ad montem quoque Sinai descendisti, & locutus es cum eis de
cœlo: & dedisti eis iudicia recta, & legem veritatis, cerimonias, & præ-
cepta bona.
14 Et sabbatum sanctificatum tuum ostendisti eis, & mandata & ce-

& legem præcepisti eis in manu Moysi serui tui: Panem quoque de cœlo dedisti eis in fame eorum, & aquam de petra eduxisti eis sitientibus: & dedisti eis vt ingrederentur & possiderent terram, super quam leuasti manum tuam vt traderes eis.

Commemorato beneficio eo, quod maioribus Iudæorum Deus tunc dedit, quando hostibus Erythræi maris vndis suffocatis, sicco tramite saluos ipsos eduxit: iam quo modo per deserta illa loca post eosdem deduxerit inque his ipsis eos conseruarit, recensent. Qua in ratione multa peculiaria Dei in Hebræam gentem posita beneficia complectuntur: vt quod ei ipse eis ducem præbuerit: vt quod eis leges tulerit: vt quod annonam cœlitus suppeditarit: vt quod eis peccata multa condonarit: vt quod spiritum suum sanctum dederit eis doctorem: vt quod omnia ad tuendam vitam necessaria subministrarit. Hæc omnia quoniam sunt maxima, atque etiam habent non potentiæ solum verum etiam prouidentiæ & misericordiæ Dei clarissima signa: singula in singula considerant, eoque sese quasi præparant atque excitant ad grauem & seriam amici fœderis instaurationem. Exordiuntur autem commemorationem eam ab ipso ductu, ad quem applicati per deserta loca illa ad promissæ terræ fines vsque peruenerunt, ac dicunt: Et in columna nubis ductor eorum fuisti per diem, &c. Quibus in verbis videre est, quo sint vsi duce, quo modo sint deducti, quæ denique sui ductus habuerint signa. Ac Deum quidem agnoscunt ac dicunt sibi ducem fuisse: quando personæ secundæ verbo orationem conuertunt ad ipsum Deum. Et hoc duce semper est vsa ecclesia: vt videre est in Adami, Nohæ, Abrahami & Isaaci & Iacobi rebus gestis ac fortunis: in Mosis, Iosuæ, Iudicum, regum actis: in ecclesiæ Christianæ historijs. Quò pertinet etiam, quod Dominus Iesus non modo toti ecclesiæ, verum etiam tribus in nomine suo congregatis præstò affuturum pollicetur. Eodemque est referendum, quod dicit se nobiscum futurum vsque ad consummationé seculi. Sub huius ducis signis quàm vacare debeant omni sollicitudine & metu milites Christiani, clarè docet is qui dixit: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et ad animos in hac fiducia confirmandos id quoque facit, quod ductus huius modum Hebræo verbo נחה pulchrè exprimunt. Id enim significat tanta cura, solicitudine, moderatione, fide ductos, quantam vel in gregibus pastor, vel in teneris liberis pater, adhibent deducendis. Hi enim rationem quandam imbecillitatis & stultitiæ eorum, quos ducunt, ita habent, vt eis parcant, multa condonent, ne nimium fatigentur, ne qua impingant, ne labantur, ne crus frangant, ne algeant, ne nimio æstu crucientur, cauent. Quin Exod. 19. clarius ipse modum sui ductus exprimit, quando dicit: Vos ipsi vidistis quomodo portauerim vos super alas aquilarum & assumpserim mihi. Sic Psalm. 90. testatur angelis Dei nos portandos commissos esse, vt ne vel pedes offendamus. Ergo qui Deum ducem sibi deligunt, hi prouidentiæ eius, quæ est omnium optima rerum humanarum custos, se committunt, inque eius tutela suauiter conquiescunt. Illud autem inprimis est tribuendum misericordiæ & bonitati Dei, quod cum Deus, pro eo ac spiritus est, externis sensibus oculorum haudquaquam percipiatur, eoque minus homines sibi de eius custodia persuasum habeant: ipse quædam externa sui ductus signa proponat, quorum aspectu se solentur homines & contineant in fiducia patrocinij diuini. Quod subsidij genus illi quoque suorum maiorum fidei datum confitentur, quando dicunt oculis eorum obiecta quædam externa præsentis numinis signa, nubem scilicet & ignem, easque & temporibus certis, & vsibus quæque suis destinata. Considerandum est igitur, cur hæc ipsa potissimum sint delecta, & quare suo quodque tempori tributum, & quibus quodque vsibus fuerit destinatum. Ac primum cur nubem Deus ad significandam suam præsentiam delegerit, partim naturalis consideratio nubium, partim etiam is, qui sacris literis est descriptus, earundem vsus, indicarint. Ac nubem quidem, siquidem libeat eam naturaliter considerare, ab obnubendo Latinis dici putatur: quod aeris densitate, qua nubes fit, cœlum quasi tegatur. Vnde & Neptunum putant dictum, quod obnubat, id est, mare & terram nube tegat. Eodemque modo Deus omnia tegit ac tuetur. Est autem nubes aer densus, frigore mediæ regionis aeris compactus in eiusmodi quandam molem, quæ tandem aut pluuias aut ventos gignit. Quò fit, vt nubium aliæ sint steriles, aliæ fœcundæ. Et steriles quidem eæ videntur dici posse, quæ cum ex vaporibus siccioribus ortæ fuerint, vel ventorum dissolutione, vel cœlestium corporum virtute in aerem vertuntur. Fœcundæ contrà dicuntur, quæ cum resolutæ fuerint in pluuias, fœcunditatem afferunt terris. Sic sane defendens periclitantem ecclesiam præsentia numinis ex rebus quodammodo fumosis vulgoque contemptis in molem ingentem, qua tegi ecclesia possit, conglomeratur: & vtut externis hominum sensibus nulla, quasique nubis aut fumi similis esse videatur: hominibus tamen aut peculiaria quædam affert bona, aut est vice tegumenti. Efficiens causa nubium sunt sol, luna, astra: præcipuèque luna, quæ plu-

quæ plurimum potest in hæc inferiora corpora, quò referendæ etiam sunt nebulosæ fixæ stellæ, Hyades, Arcturus, Orion: ad quas cum planetæ accesserint, materiæ vis augetur, & mutationes cieri nemo negat. Hi sunt autem qui sacrarum literarum encomijs celebrantur, exercitus Dei, quibus is ad efficiendas vmbras & alas tegendæ ecclesiæ suæ vti solet. Materia est vapor humidus & calidus: quæ docet posse Deum quibusuis ex rebus colligere tegmina ecclesiæ suæ. Cumq; vulgus putet nubes, vaporem, fumum quasi res nihili esse: etiam ex nihilo sua ecclesiæ præsidia atq; auxilia produci posse. Nubium autem formam spongiæ similem esse id argumento est, quod sit tota cauernosa ac mobilis. Huius auté nubis, quam ceu ducem copijs populi sui præfecit Deus, formam columnæ similem fuisse Moses attestatur. Quod argumento est certo, posse Deum etiam imbecilles res illas sic firmare, sicq; solidas ac stabiles efficere, vt ceu columnæ sustentare ecclesiæ suæ molem possint. Quod & Paulus 1. Cor. 1. docet. Iam si motum nubium consideremus, certum est, eas vel à motu ventorum, vel cum hi remissiores fuerint, aut à sole, aut à primo mobili trahi. Qua de causa nautæ rectè dicunt, non posse semper ex nubibus iudicium de ventis rectum ferri. Sic & si sui sint ecclesiæ præsides & administri, qui mouere debeant & curare ea, quibus ipsa cum defendatur, tum propagetur, hiq; sint interdum æquo remissiores: ideo tamen non est desperandum: cum Deus ipse ciere motus vtiles possit. Sunt item colores nubium varij, pro varietate materiæ: quibus etiam insunt ferè signa aeris mutationum: omnium tamen hoc est proprium vt aliquid hominibus afferant vtilitatis. Sic qualiscunque nobis appareat facies Dei, semper tamen est credentibus bona. Quemadmodum item finis est nubium, humectare terram, solis æstum mitigare, recreationem quandam degentibus in terra mortalibus & animantibus afferre: sic ærumnarum & crucis igne æstuantes reficit Deus. Hæc consideratio nubium nimirum ostendit causas, quibus spectatis Deus sit vsus hoc signo. Verum illæ multo magis eo, qui sacris literis est descriptus nubium vsu confirmantur & illustrantur. Etenim quod, Gen. 9. dicitur, cœlum nubibus obductum, & in his arcus fœderis constitutus: id argumento est, nubes ad obsignandam gratiam diuinam adhiberi, magisq; nobis consolatione cœlesti reficiendis, quàm perterrendis poni. Quare & si putent physici, nubes ideo non decidere, quod calore solis in sublimi pendentes ne decidant, contineantur: tamen cum manifestum sit opus Dei, nubes colligere & souere: rectè qui pij sunt referunt earum sustentationem ad prouidentiam & potentiam Dei, qui illas prodesse non obesse velit hominibus. Hierem. 10. Deus eleuat nubes ab extremitatibus terræ: Psal. 146. Deus operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Nubes etiam visa fuit cum lex ferretur: in nube se patefecit pater cœlestis ad baptismum filij sui, Domini nostri: nubes Christo ascensuro se ceu vehiculum præbuit: nubibus idem ad iudicium aduehetur: nubibus ad Christum vehentur, qui sub finem mundi superstites erunt. Sed & Esa. 60. verbi Dei precones nubium similes dicuntur, qui instar pluuiæ in vniuersum orbem dispersi, multam generi humano attulerint fœcunditatem. Præterea nubem baptismi quoque typum, 1. Cor. 10 Paulus ponit. Eam ergo ob causam Deus nubis symbolo suam præsentiam Israelitis attestatus est, vt viderent quantum in ipso spei præsidijq; positum haberent, seq; habere sibi debere persuaderent. Ignis autem & ipse partim in historia scripturaq; sacra, partim in suapte natura causas eas monstrat, quas in ipso adhibendo credibile est Deum spectasse. Ignis enim sua natura cum ipse est purissimus, clarissimus, celerrimus, calidissimus: tum etiam puritatem, lucem, calorem, & agendi vim naturæ suæ conuenientem in omnia maximam habet. Plurimum etiam eius non solum in omni cœlo, verum etiam in terra deprehenditur. Velut D. Ambrosius in Opus Hexaemerō scribens indicat, è lapidibus & ferro excussum eum deprehendi, qui in terris inest: ac rursus micantem polum & cœlestia sidera eum, qui isthic sit, commonstrare. Igitur ignem propter hanc naturæ suæ excellentiam & vim longe lateque dominantem Ethnici quoque, vt Porphyrius scribit, pro naturæ diuinæ symbolo habuere, nonnulli quoque ei diuinos honores detulere. Quibus etiam hoc accedit, quod Deuter. 4. Deus se ipse dicit esse ignem consumentem, & in scriptura passim dicitur ignis vel exisse ab eo, qui consumeret hostes, vel apparuisse in eius vultu, vel cœlitus demissus esse, vel aliud quiddā fecisse. Iam quoniam Deus est sanctitas, lux, calor: itemque periclitantibus e vestigio opem affert, & summa celeritate res maximas perficit: ac rursus ignea omnia sunt celerrima: non mirum est igne diuinam præsentiam significatam. His consideratis causis, eæ quoque sunt inuestigandæ, quas videtur in hoc spectasse Deus, vt suum cuique symbolo cum tempus peculiare, tum etiam proprium vsum destinarit. Id autem partim apertis verbis indicatur, partim non indicatur quidem, sed ex eo tamen quod dictum est de altero, colligi non obscurè potest. Ignem dicunt adhibitum nocte, ad illustrandum viam, qua ibant. Ignis ergo ceu laterna præferebatur euntibus: solabatur aduersus tenebras & principem earum: noctis frigus leniebat. Ergo signum alterum ob id eis interdio dedit, vt aduersus solis æstum tecti munitiq; essent, ac vmbra illa suauissimè afficerentur. Atque his præsentiæ suæ symbolis

datis ingens populo suo auxilium aduersus multas cum itineris molestias & incommoditates, tum angustias animi & metum & solicitudines dedit. Quod illi summo Dei merito, censent summis laudibus celebrandum. Hinc proximo loco referunt, quod eis leges tulit, ad hunc modum: Ad montem quoque Sinai descendisti, &c. Hoc beneficium quanti sit æstimandum, Deuteronom. 4. Moses ostendit: Et obseruabitis & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis: vt audientes vniuersi præcepta hæc, dicant en populus sapiens & intelligens, gens magna. His verbis indicatur, leges eas, quibus gens Israelia donata fuit, non inane & vacuum & vulgare donum fuisse: verum & ingentes eis vtilitates, & dignitatem atque gloriam maximam attulisse. Vtiles fuisse & necessarias, vel ex eo perspici potest, quod ingenij vires his acutæ, & mens illuminata rerum diuinarum & humanarum scientia fuit, & in tranquillo pacatoque statu res eorum publica fuit conseruata. Maximam vero apud exteras nationes hæc disciplina vitæ ciuilis, & illud augustum sacerdotium attulerunt eis authoritatem. Nec mirum: cum & Atheniensibus, Spartanis, Romanis, Massiliensibus olim suæ leges maximo fuerint honori: licet illæ cum his non essent vllo modo comparandæ. Videmus etiam quemuis ciuem eo nomine bene audire, quod pulchrè beneque constitutam habeat domi suæ disciplinam. Quantò maiorem autem vtilitatem & dignitatem suæ leges illis potuerint afferre, vel ijs ex circumstantijs, quas hæc pars confessionis exprimit, colligi potest. Etenim eæ nobis quo loco, quo modo, quæ & quales, quoque internuncio sint illis latæ leges, ostendunt. Ac locum suo proprio nomine, Sinam montem scilicet, appellant. Est autem is Arabiæ mons altissimus, & Horebo monti vicinus, quem eundem esse cum Sina Diuus Hieronymus putauit. Nec desunt, qui putent eum esse, qui Plinio Casius dicitur, altissimus & celeberrimus tota Arabia: certè Stephano teste vicinus Ægypto. Verum hunc ipsa diuinæ legis promulgatio & circa hanc miracula facta, itemque vocatio Mosis celebriorem fecere. Causæ vero, quas in delectu huius loci Deus spectarit, quemadmodum in lib. de Decalogo Philo scribit, quæ quidem veræ sunt, soli Deo sunt notæ: quæ rursus verisimiles sunt, ab hominibus afferri possunt. Quatuor autem ipse eodem loco affert: quibus Deus spectatis potius in vasta solitudine, quàm in aliqua populosa ciuitate maluerit leges suas promulgare. Earum prima est, quia pleræq; ciuitates pluribus sunt refertæ vitijs, & habent omnia deprauata, & luxu fastuq; turgent, inprimisq; religionē contemnunt. Altera, quemadmodum periti medici prius humores vitiosos è corporibus ægrorum eijciunt, quàm illis præbeant cibos, ne manentibus illis inutilia fiant alimenta: sic quoniam diuinæ leges animis puris sunt accipiendæ, populum suum Deus è promiscuæ Ægyptiorum turbæ contagio seuocauit in illam solitudinem, eiq; tum demum leges suas promulgauit, cum veterum errorum ac vitiorum species ex animis eorum euanuissent. Quantum enim errorum ac vitiorum in Ægypto suxissent, cum idolum Mose absente erectū, tum vero maximè illa crebra impatientia significarunt. Tertia, Quemadmodum hi quibus est proposita longinqua nauigatio, non tum demum vela, anchoras, reliquaq; ad eam rem necessaria parant, cum est in nauem conscendendū, verum multò antè vt omnia habeant parata atq; instructa, vident: sic Deus arbitratus est populū suum prius optimarum legum ac societatis ciuilis disciplina instruendū, quàm in terræ promissæ fines atq; in oppida ac vicos introduceret ac collocaret. Quarta, vt ab eo sibi leges illas afferri viderent, à quo commeatū insperatum accipiebant; ex eoq; caperent experimentū diuinitatis, qua non solum eis vita prorogaretur, verum etiam bene beateq; degendę vitæ ratio præscriberetur. Hæc res, quoniam ad excitandā gratam in animis eorum voluntatem momenti plurimum poterat afferre, minimè reticenda visa fuit. Porro modū, in ferendis legibus seruatum paucis verbis illis ostendunt: Descendisti in montē & locutus es eis de cœlis. Videntur aūt duobus quasi capitibus omnem rem complexi esse: videlicet descensu Dei, & habita ad populū oratione. Descensum Dei Moses Exo. 19. ad hunc modū depingit: Totus (inquit) mons Sinai fumabat: eo quòd descendisset Dominus super eū in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace, eratq; omnis mons terribilis. Orationis eius, quam habuit ad eos Deus, exemplum Exod. 20. descriptum extat. Illustria sunt hæc Dei in humanum genus propensæ voluntatis signa duo: descensus videlicet ad eos & colloquium habitum cum eis. Descendere Deus dicitur (vt ait Augustinus lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 5.) cum aliquid facit in terra, quod præter vsitatum naturæ cursum mirabiliter factum præsentiam quodammodo eius ostendat. Eodemque modo legem suam sibi ferendam censet, vt intelligant Israelij ipsum met earum promulgationi interesse. Quæ res deiu verbis loquentis fidem fecit. At quo modo locutus sit illis fortassis est considerandum. Aliter enim Deus angelis suis, aliter nobis loqui solet. Dei quippe (inquit Augustinus) sublimior ante suum factum locutio, ipsius sui facti est immutabilis ratio, quę non habet sonum strepentem atque transeuntem, sed vim sempiternè manentem, & temporaliter operantem. Hac loquitur Deus angelis sanctis, nobis autem aliter longè positis. Et rectè hæc Augustinus.

Alijs

Alijs enim Deus arcano afflatu suam voluntatem pandit: velut Augustinus in Psal. 38. scribens indicat Deum in magno silentio cordis magnum edere sonũ, si se nobis saluti futurum polliceatur. Rursus Abrahamo & Mosi, & ante hos Adamo, & huic adeo frequenti concioni Israeliorũ videtur Deus non per substantiam suam, verum per assumptam aliquã corporalem creaturam, per quam voces illæ fierent, & humanis auribus personarent, verba fecisse. Testatur enim Scriptura vocem eius ambulantis in paradiso auditam: quemadmodum Augustinus censet libro octauo de Gen. ad literam. cap. 18. itemque in Psal. 138. docet. Credendum est autem eum plerunque ineffabili suo quodammodo homines pariter atque angelos affari, idque nobis eo quo percipere factum datur modo significari. Iam quemadmodum oratione sua voluntatem suã mortalibus aperuit: sic voluntati suæ patefactæ descensu mirabili suamque maiestatem & potentiam referente conciliauit authoritatem. Opus est enim conciliata legibus authoritate, ni velimus eas, ceu araneæ telam cuiusuis crabronis impetu perrumpi. Qua in re præsertim est obseruandum, quod quò plus tribuerint legibus magistratus, hoc plus illis ipsis authoritatis apud suos homines conciliarint. Ipsos enim, si nihil cõmuni mortalium natura præstantius habere visi fuerint, nemo reuerebitur: contrà si custodes & quasi quidam patroni legum esse putentur, omnes habebunt obedientes. Cũ autem plurimũ retulerit, quæ qualesq; leges hominibus obtrudantur: quales Deus suo populo tulerit, enumeratione singularũ partium ostendit. Primo loco משפטים iudicia recenset. Quo nomine cum latas de iudicijs leges, tum præcipuè Dei super nouis casibus consulti responsa comprehendunt. Solebat enim Moses, si quid incidisset noui negotij, Dominũ consulere, & pro eo ac placeret de eo, iudicare. Sed vt iudicarent qualia fuerint ipsis hæc iudicia visa, addunt epitheton ישרים, recta, νέμω, æquo & bono consentanea. Et sane legi, quæ est recti norma conueniens est hoc attributum, quippe quo monentur iudices ne ab hac regula discedant. Secundo loco תורות, id est, leges ponunt. Quod quidem cõmune est nomen, quo ceu genere species reliquæ continentur: verum hoc loco pro specie positũ, eoq; ciuiles leges, cuiusmodi sunt de iure personarũ, de modis acquirendi, de verborum obligationibus, intelligi putarim. Has leges אמת, id est, veritatis titulo ornat, indicans veras aut veritati conuenientes fuisse. Minime vero mirabimur veritatis nomen legibus tribui: si cogitemus priscos homines, vt Plato perhibet, ius idem esse quod verum, dixisse: quod nemo sit iustior eo, qui veritatem in omnibus suis dictis & factis præstat. Qua ratione & Cicero in Oratione antequam iret in exilium, itemque in Ora. pro Quintio, verum pro iusto, & veritatem pro iustitia dixit: & qui mentiuntur contra suam mentem ire, & à iure discedere dicuntur. Iustitiam autẽ, quam nomine veritatis significari diximus, optimæ cuiusque legis esse propriam, vel ipsum legis nomen apud Græcos à νέμω id est, distribuendi verbo deriuatum ostendit: Ex eo nimirum, quòd pro eo ac fert iustitia, legis sit suã cuiusque assignare seu mercedem seu pœnam. Hoc libentius autem qui veri Dei notitiam habent, veritatis nomen tribuunt legibus diuinis: quod Deus ipse est veritas ex eoque nihil nisi verum potest proficisci: vt vel eo ipso quod veræ sunt, diuinitus datæ demonstrentur. Tertium in illo ordine locum חקים, id est ritus & ceremoniæ tenent: quę de sacerdotum officijs, præmijs, legibus, itemque de sacrificijs, ferijs & reliquis generis cuiusdam rebus essent. His epitheton nullum apponunt: quando res ipsa eas à reliquarum gentium ritibus segregabat. Quarto loco מצוה præcepta referunt, quibus ad amorem Dei, ad ea quæ debemus hominibus, officia, ad vitæ & morum disciplinam instruimur & excitamur. Has dicunt טובים id est, bonas esse præceptiones: cũ per se videlicet quod quæ bona sunt, præcipiant, tum quod sui ipsarum obseruantibus ingentes afferant vtilitates. Et his attributis videntur ideo diuinas leges ornare voluisse, vt & contemptores earum perstringerent, & suum de eis iudicium pium confiterentur. Atque hæc genera Psal. 89. versu illo continentur: Si dereliquerint filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint: si statuta mea prophanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga transgressionem eorũ. Videntur autẽ hæc genera non obscurè significare, quam plenam, omnibus suis numeris atq; partibus absolutã, omnibus vitę partibus necessariam ac conuenientem habeamus diuinis legibus comprehensam doctrinam. Estq; præsertim obseruandum, quod sabbati legem peculiariter nominent: vt quæ reliquis generibus haud sit inferior, verum omnibus communis: ac partim sacra partim ciuilis. Vnde & in leges duodecim tabularum hac de ferijs est relata. Quo ipso quoque discimus hoc sanctius nobis esse sabbatum oportere. Verum obseruandum in primis est omnibus populis, quòd de data suis maioribus lege tantas Deo gratias agũt: vt quod documento sit bonas leges beneficij maximi loco habendas: sicut etiam Martianus Iureconsul. in l. ij. ff. de ll. & agnoscit ac confitetur, & citata Demosthenea definitione legis probat, leges esse munus diuinum. Quocirca bonis legibus est inhiandum potius quàm insidiandum.

Ex ijs, quę Deus Israelitis in solitudine dedit, tertium hoc beneficium fuit, quod 15. versu præ-

Manna.

dicant, mirabiliter sese in summa rerum necessariarũ inopiæ sustentatos esse. Et breuiter quidem recensent hoc loco, quæ pluribus verbis Exod. 16. Num. 11. apud Mosem extant scripta. Tribus autem de causis magnum hoc et admirandum beneficium fuisse confitentur: vna, quod panem cœlitus dedit: altera, quod è dura petra aquas eduxit: tertia quod exploratione terræ mandata promissionem denuo renouauit ac confirmauit. In describenda causa prima sic versantur, vt quid, vnde, in quem vsum ipsis sit datum, ostendant. Quid enim dederit, nomine panis ostendunt. Mirum vero non est huic cibo nomen panis tributum fuisse: quando placentæ quædam ex eo coquerentur, & Hebræi panis appellatione ciborum omne genus significent, & Moses eum promittens pariter ac inuentum populo ostendens panem vocat. Verba Mosis sunt illa: Dabit vobis Dominus Deus vespere carnes edere, mane panes in saturitate. Et rursus eum admirantibus ait: Iste est panis, quem Dominus Deus dedit vobis. Quin & Dominus ipse eum pollicens panem appellat, Ecce ego (agit) pluam vobis panes de cœlo. Quoniam autem panis nomen communius est, & ad plura genera referri potest, hoc contrà peculiare est genus: Moses ei suum proprium Mannæ scilicet tribuit nomen. Qua ratione faciat id, variè existimatur. Quidam à מכנה, id est, præparando, quod hic cibus ita vt poterat comedi, planè iam paratus daretur, nec necesse haberent eum amplius vel molere, vel pendere, nomen adeptum putant. Porro LXX. Interpretes, vulgatæ versionis author, Theodoritus, & Iosephus ex eo nomen illud ei datum putant, quod eo primum conspecto populus quæreret, quid hoc esset. Quod in Chaldæa lingua locum habet: in Hebræa non item. Chaldæi enim dicunt מן הוא, quid hoc? Hebræi vero Nun omisso, מה הוא, quod idem est. Moses autem Exod. 16. scribit ob id Manna appellatũ, quod Israelitæ eo viso dicerent: מן הוא id est, num hoc est man: videlicet, donum diuinitus datum? Cui interrogationi quasi respondens Moses ait: Iste est panis. Nam מן aliàs etiam donum significat. Qualis autem fuerit panis de eo variæ sunt præsertim Hebræorum opiniones. Onkelus dicit calcis instar album, quasi gelu super terra iacuisse. Philo ceu milium admodum tenue fuisse scribit. Iudæi recentiores putant ipsum duplici rore quasi quadam theca tectum fuisse, ita vt subtus & superne ros esset: cumque exorto sole ros superior euanuisset, ipsum man apparuisse: eiusque rei memoriam hoc quasi monumento custodiunt ipsi, vt inter duas mappas mediũ in mensa panem ponãt. Credibile est autẽ ex illa varia מחספס Hebrææ vocis expositione etiam oriri sententiarum varietatem. R. Solomo exponit מגולה id est, inuolutum & aggregatum quiddam: Aben Esra & Dauid Kimhi עגול, id est, rotundum: alij decorticatum, denudatum, contusum, vertunt. Moses Exod. 16. pruinæ & coriandri simile fuisse perhibet, rotunditate scilicet non colore. Coriandri enim semina subnigra, Mannæ vero alba ceu pruina. Porro gustu per suauem & instar mellitæ placentæ fuisse refert. Num. 11. legimus quod hic cibus in olla coctus & placentæ siue tortæ ex eo confectæ panem oleo coctum præse tulerint. Commendatur etiam Sap. 16. saporis eius suauitas. Verum Psal. 78. laudes eius recitantur hoc modo: Et pluit super eos man vt comederent, & frumentum cœlorum dedit eis, panem gloriosum comedit homo. Nominat panem angelorum, quasi quo vescerentur angeli, dignum. Ex his intelligi potest, appellatione panis excellentem quendam & diuinitus comparatum cibum significari. Iam vt vnde eum acceperint, indicent: è cœlis significant ipsis datum. Quo ipso docent etiam, hoc alimenti genus non è thesauris naturæ depromptum, verum omni natura maius ac cœleste quoddam munus fuisse, eoque distinguunt ac segregant hoc alimentum ab ijs, quæ φυσικῶς id est, secundum naturam largitur. Aliàs Aben Ezra scribit Man esse nomen Arabicum, ac sibi quoq; visum alicubi Mannę genus, quod duobus solum mensibus Nisan & Iar quotannis descendat: sed quod multum ab hac discrepantis sit naturæ: vt quod nec expositum soli in liquorem soluatur, nec per noctẽ putrescat, nec sit adeo durum, vt tundi necesse habeat, verum impositũ linguæ statim liquescat vsusque eius maior sit in medicinis, quàm cibo. Galenus certè & Dioscorides Mannæ cuiusdam mentionem faciunt, quod ex aere natum roris simile, sit & mirum in modum suaue. Galenus libro tertio de alimentor. facult. cap. de melle δροσόμελι vocat. Aben Ezra in Exod. 16. caput annotat multas causas, quibus fiat, vt inter hoc cœleste, & illud naturale magnum sit discrimen: nempe quod illud naturale mannæ genus in Sina solitudine datum non sit: quod vere & autumno tantũ pluat: quod tantum valeat in medicina ac non etiam in cibo: quod in annũ & vltra duret: contra cœleste Manna tantum in solitudine, continuis annis quadraginta, quotidie sabbato duplo plus quàm aliàs, in victum, & eiusmodi vt in crastinum conseruari non posset, fuerit datum.] Quamobrem cum cœleste munus fuerit: Christus filius Dei Ioan. 6. significationem eius ad se transtulit, qui verè sit cibus animabus sustentandis destinatus. Vno vero verbo significant eius vsum, eo quod dicunt, ad famem eorum, scilicet restinguendam. Idque verè dictum ab eis vel id argumento esse potest, quod positis ante Hierichuntem castris, cũ iam Cananaicis frugibus vesci cepissent, Manna statim eos defecit. Ergo tantisper eis hic panis est datus, dum habere panem alium sibi sustentandis nullum possent.

possent. Magnum hoc beneficium fuit: nec minus quòd aquam eis eduxit è petra. Extat historia Exod.17. de petra quæ percussa virga Mosis magnam dedit copiam aquarum. An non, quod homines putant fieri non posse, aquam dedit Deus è pumice? Maius hoc miraculum fuit: quando nulli in petra meatus, nullæ cauernæ, quæ vaporibus admissas recipiant exhalationes: tum quæ sit solidior ac durior, quàm vt isthic aquæ, si quæ maximæ inessent, erumpere possent. Celebrant hoc beneficium non illi soli, verumetiam Esa.48. Psal.78 Paul.1 Corinth.10. Et ad Christum Paulus hoc miraculum transfert. Omnes (ait) biberunt de comitante eos petra: petra autem erat Christus. Ad eum fontem omnes apud Esa 55.cap. sitientes inuitantur. Huius fontis aqua Ioan. 4. commendatur ab ipso filio Dei. Discimus fuisse præterea Israelitis pariter ac nobis Christum vnicum fontem vitæ, quo reuera sitis extingui queat. Magnum ergo hoc vel typi nomine & illa de causis beneficium Dei fuit. verum his duabus causis hæc accedit tertia: non miraculum quidem, sed miraculi similis, quód eorum ipsorum vsus opera denuo renouat ac confirmat eis Cananeæ terræ promissionem. Quod hoc modo referunt. Et dixisti eis, vt ingrederentur & possiderent terram, super quam leuasti manum tuam vt traderes eis &c. Extat hæc res prolixè copioseque descripta Num.13.cap. Hac renouatione promissionis, perinde eis fouebat animos spe & fiducia gratiæ diuinæ conatibus ipsorum aspiraturæ, atq; pane & potu corpora nutriebat. Mandat ergo mitterent exploratores, qui terræ bonitatem cognitam populo prædicarent, eoque calcar adderent ad maturandam eius occupationem. Atque hoc mandatum de mittend. exploratorib. repræsentant illi, cum dicunt: & dixisti eis vt ingrederentur &c. sicut eo quod dicunt: super quam leuasti manum tuam, significant iuramentum quo se Deus ad eam dandam Abrahamo olim obligauit; Gen. 22. Leuare enim manus solent, qui iurantes quasi Deum testem sistunt. Nec citra causam grauè phrasis illa præsenti negotio adhibetur; quando significat illam immensam propeq; incredibilem Dei bonitatem & clementiam: qua fit vt Deus non modo iuret, verum etiam more humano quasi leuata manu se iurare declaret, vt suis apud nos fidem faciat verbis. Ingens & hoc beneficium fuit, ideoque tam honorificè prædicatur. Plerunq; enim videmus fieri, vt magna bona parata sint mortalibus: quæ tamen ipsi vel ignauia, vel formidine, vel imprudentia sua impediti minime quærunt, nedum consequuntur. Hoc vt est infortunium maximū, sic à suis Israelijs eo ipso Deus depellit, quod suæ promissionis spem hoc modo erigere & confirmare conatur. Quo conatu tamen apud Iosuam & Chalebum solos profecit: quando reliqua turba suapte impedita formidine & diffidentia in solitudine vitam finiuit.

16 Ipsi vero patres nostri superbè egerunt, & indurauerunt ceruices
suas & non audiuerunt mandata tua.
17 Et noluerunt audire & non sunt recordati mirabilium tuorū quæ
feceras eis: & indurauerunt ceruices suas & dederunt caput vt conuerterentur
ad seruitutem suam quasi per contentionē: tu autem Deus propitius,
clemens, & misericors, longanimis & multæ miserationis non dereliquisti eos.
18 Et quidem cum fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent iste
est Deus, qui eduxit te de Aegypto: feceruntq; blasphemias magnas.
19 Tu autem in misericordijs tuis multis non dimisisti eos in deserto:
columna nubis non recessit ab eis per diem vt duceret eos in viam: & columna
ignis per noctem, vt ostenderet eis iter per quod ingrederentur.

Eorum beneficiorum quæ Deus Israelijs olim in solitudine degentibus dedit, quartum illud fuit, quòd & si multis malefactis eum grauiter offendissent, omninoq; commeruissent, vt funditus delerentur: ipse tamen eis hęc clementissimè condonauit, deque sua erga ipsos propensa voluntate adeo nil remisit, vt nihilominus eis & symbola suæ præsentiæ exhiberet, & victum pariter ac amictum suppeditaret. Cumque maximum quiddam sit & omni natura maius, ingratis & inimicis tantum indulgere & dare: diligenter id illi & propositis potissimis eius causis persequuntur, 16.17.18.19. versibus, idque bipertita commemoratione: quando ex multis quæ aduersus Deū admiserunt, peccatis, duo potissimum recensent. Vnum quod spreto manumissionis dono, reditū in Ægyptum moliti sunt etiam inuito ac per Mosem, Iosuam & Chalebum reluctante Deo: alterum, quod aureum vitulum quendam eius ipsius qui ipsos Ægypto eduxisset, Dei loco habuerint: quorum vtrunque eis Deus condonarit. Ac prius quidem 16. & 17. versibus referunt hoc modo: Ipsi vero & patres nostri superbè &c. Hæc enim verba nobis primum peccatum à patribus admissum, dein eius remissionem diuinitus concessam continent. Et in peccato quidem recitando causam &

sicientem, materiam, formam exprimunt. Ad causam efficientem referendum est, quod dicunt: superbè egerunt, indurauerunt ceruices suas: non sunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis. En, vt exprimant tres omnis illius mali causas: obliuionem omnium ad eorum salutem tuendam diuinitus editorum miraculorum, pertinaciam, superbiam. Grauissima sunt hæc vitia, ac plerunque concurrunt. Qui enim negligunt iudicia ac præcepta Dei, nec præter se ipsos aliud quicquam spectant, hi plerunq; animis efferuntur, omniaque pre se & humana & diuina contemnunt: ac rursus qui superbi sunt, hi ipsi quoque sunt pertinaces & obstinati. Tales erant Israelitæ, cum obliti mirabilis ex Ægypto eductionis se vident populum magnum quem perire in solitudine sit indignum, eoque tam promissiones, quàm conditiones à Mose propositas omnes repudiant ac contemnunt. Hæc est eis omnis illius mali causa, cuius confessionem ideò nimirū eis spiritus sanctus extorquet, ne qui illam in ipso vel quærant, vel ostendant Deo. Semper enim vi nostrorum affectuum ad malas res impellimur, earumque culpam conamur alijs imputare. Ac quanquā deus in certos quosdam fines peccata & vitia nostra trahat ac deducat: nullius tamen nobis est author aut causa mali, cum illa in nobisipsis inueniatur. Materiam flagitij referunt illa verba: noluerunt audire mandata tua, dederunt caput, vt conuerterentur in seruitutem suam. Videntur autem id omnino peccatum referre, quod Num. 14. descriptum extat, quando verbis exploratorum territi queruntur, ac dictitant præstare vt redeant in Aegyptum & eligant profectionis ducem. Erat autem recens acquisitæ libertatis & terræ, & promissionis, & in hāc ducentis Mosis, & promittentis Dei iniusta atque insana contemptio. Formam, seu qualitatem facti. illa repræsentat clausula: quasi per contentionem. Quo nomine significat eos vel obliqua ac Mosem potius quàm Deum ipsum mordente accusatione, vel tacita saltem exprobratione declarasse quod existiment, melius eis in Ægypto cum seruirent Pharaoni, quàm isthic sit in tanta rerū inopia, fuisse. Plus ergo damni cum det hæc liberatio siue manumissio quàm boni: malle sese relicta Mosi & Deo manumissione sua redire in pristinam illam hac libertate misera atque afflicta potiorem seruitutem. Mirum est autem L X X. Interpretes, præsertim in Codice Complutensi, illam secus quàm Hebraica veritas ferat, exposuisse, videlicet ἐν αἰγύπτῳ, id est, in Ægypto. Etenim Hebraica veritas habet: במריים, id est, in amarore suo ipsorum: seu, vt minimè malè vertit author vulgatæ translationis per contentionem. Fortassis Græci be Mizraim, pro bemiriam legerunt: quod procliue est factu, præsertim dormitante quandoque etiam bono Homero. At illi fatentur patres ipsorum de proposito in hanc terram illos inducendi consilio quasi contendisse: quodq; Deus optimo atq; ad iuuandos ac tuendos ipsos propensissimo animo fecerat, id quasi in illorum perniciem factum esset, interpretatos esse. Hoc peccatum, vtut esset seuerissimè puniendum, quàm clementer eis Deus condonarit hi illorum posteri confitentur ad hunc modum: Tu autē Deus propitius, clemens, misericors, longanimis, & multæ miserationis. Diuina bonitate & clementia factum prædicant, vt hac adeò tetra impietate patres eorum sibi totius gentis interitum non attraxerint. Ingens est beneficium etiam in homines quos ingratos senseris, beneficia conferre. Cumque hoc proueniat ex mera Dei bonitate, pluribus eam ipsam exprimunt & extollunt verbis. I. Deum סליחות, id est, si verbi vim penitius inspicias, condonationum, vocant. Nam סלח significat condonare & propitium esse. Videntur autem plurali numero significare eius, quæ est in Deo immensa, clementiæ & bonitatis abundantiam. Vnde & L X X. Interpretes participio quidem vtuntur, verum eo ipso verbi Hebraici vim exprimente: ὁ θεὸς ἀφίων τὰς ἁμαρτίας, id est, Deus remittens iniquitates. Iam si colligamus exempla clementiæ Dei: videre erit, hos rectè plurali numero vsos ostendisse Deum esse fontem indulgentiarum, nec aliò petitum indulgentias currendum. II. חנון gratiam impartiens. Quod nomen à חנן verbo χαρίζεσθαι significante deriuatur. III. רחום, qui intimo affectu misericordiæ moueatur. Lucas eandem rem verbo Græco σπλαγχνίζεσθαι exponit, quod viscerum commotionem significat. IIII. ארך אפים, id est, si verbo verbum reddas, longus ad nares: idem est, ac si dicamus tardum ad iras. Iram enim Hebræi notant appellatione narium: quod qui irati sunt, æstuantes edant quendam è naribus flatum. V. רב חסד, id est, multæ propensionis. חסד enim Hebreis idem est, quod στοργὴ Græcis, Latinis ingenita ad iuuandos suos propensio. Eam erga nos propensam voluntatem in patre Christus Luc. 11. pluribus illustrat & confirmat verbis. Neque vero quisquam hæc epitheta ab illis ταυτολόγως posita putet. Quia namque peccati abs se patrati conscientia anguntur, ijs vtilis est in his & necessaria consolatio posita. Qui rursus peccata sibi remissa sentiunt, hi non solum hæc præ gaudio referunt, verum etiam alia generis eiusdem plura, si fortè occurrerint, recensent. Extollit hæc verborum congeries laudes gratiæ diuinæ: reprimit humani meriti fiduciam superbam: affert saucijs ac desperabundis conscientijs magnam consolationem. Nec potest non prodesse plurimum: cum tantò facilius in spem salutis erigimur, quātò maior gratiæ diuinæ lux affulget. Alterum autem peccatum 18. & 19. versibus hoc modo confitentur: Et

quidem

quidem cum fecissent sibi vitulum &c. Repetuntur eorum quæ Exod. 32. memorantur: Quæ sic proponunt: vt primum Israeliorum factum, dein clemens de eo iudicium Dei narrent. Ad exprimendum factum verba adhibent duo עגל מסכה: quorum altero formam, altero materiam notat. Materiam notat מסכה nomine, quod fusile significat. Quo de nomine tamen diuersæ sunt interpretum sententiæ. Quidam putant fuisse fusam vituli imaginem: & חרט esse instrumentum quo res solent deaurari. Rursus in ea sunt alij sententia, vt putent inaures, armillas & alias generis eiusdem res in ignem abiectas, & ex ea massa conflata vitulum fabrefactũ fuisse. Quam sententiam LXX. & Chaldæus Paraphrastes sequuntur. Etenim Mosis Exod. 32. verba בחרט, id est stilo: LXX. vertunt, ἐν γραφίδι: Chaldæus, בזיפה, id est gladio. Qua nimirũ à dictione, vt hoc ἐν παρέργῳ addam, ὁ μόσχος Græci dicunt. Formam autem עגל, id est, vituli nomine significat. Cur vero vituli formam cæteris prætulerint hic quidam reticetur: sed est coniectura, ab Ægyptijs tractum exemplum. Etenim Heliopolitani bouem, Memphitæ vaccam coluere: illi vt medium quiddam ac præstantius alijs inuenisse viderentur, sibi vitulum delegerunt. Atque hoc quidem Israeliorũ factum ex suis fontibus scilicet, Exod. 32. plenius haustum penitiusq; inspectum ac consideratum vtcunque nobis idololatriç fontes aperit ac monstrat. Vulgo creditum est eos authores idolorum cultus esse, qui primi inuexerunt mortuorum statuas ac monumenta. Sed & ea siue consuetudine, siue superstitione vetustiorem fuisse statuarum & imaginum vsum & alium huius mali fontem esse, cum Rabelis idola patris suffuratæ exemplum, tum hoc ipsum Israelitarum factum declarant. Absente enim Mose, nec vlla præsentis numinis imagine eorum oculis obiecta, dicunt Aharoni: fac nobis deos, qui nos præcedant: Mosi enim huic quid acciderit, nescimus. En vt illi Deum esse nec ignorarunt, nec inficias iuerunt: vt qui id miraculis plurimis eisdemque maximis experti fuissent: sed eum sibi prçstò adesse non credunt, nisi ipsius imaginem aliquam ob oculos positam haberent. Qualem igitur animo suo conceperunt, talem eius imaginẽ sibi fingunt: cumq; in Ægypto boum imaginibus honores diuinos haberi vidissent, vituli imago in mentem ipsis venit. Quæ res argumento est, inde ex eo cultum idolorum enatũ esse, quod homines à veri Dei cultu ad phantasias suas discedunt. Sic enim fert sors nostra, vt absque Deo esse nequeamus; iam eo ipso qui verus est Deus, ex animis nostris quasi exempto, fictitius ac falsus aliquis succedat, necesse est. Hoc Hierem. 2. videtur dici: Obstupescite cœli, horrescite, vehementer exhorrescite. Duo enim grauia fecerunt populus meus. Me reliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquas. In his verbis priore loco facta à Deo secessio, ceu causa efficiens: posteriore cisternarũ effossio, hoc est, idololatria, velut effecta, ponuntur. Quanquam autem ipsa idoli prostitutio quasi partus idololatriæ esset, ac errorem mentis quasi matrem omnibus prodidisset: illi tamen ceu sorex mus seipsi produnt, dicendo, En Dij tui qui te eduxerunt. Iam si roges an vero vitulum habuerint loco Dei, aut esse Deum putarunt: id omnino negamus factum: nam & antequam vitulus is effictus esset, sciebãt Ægypto se eductos esse, auspicijs & vi numinis scilicet, quod postea factus vitulus iam tũc reprçsentabat. Nec ita stupidi fuere Ethnici, quin intelligerẽt ac profiterentur, ligna & lapides non esse deos. Idque testantur eorum excusationes apud Arnobium, Lactantium, Augustinum & his antiquiores patres. Sic in vituli figura præeuntem sibi Deum colunt ac sequuntur illi. Ac quia vim diuinitatis ei, quam effinxerant rei inesse crediderunt, ideo Dei nomine vocant ac venerantur. Hoc videtur ijs, qui mundana quadam sunt prudentia præditi, minimè malum, minimeque superstitiosum. Sed quale quamque cæcum & vanum, & tetrum sit iudicium horum, Iudæi illi iudicio suo interposito docent his verbis: locuti sunt blasphemias magnas. In paucis verbis illis videre est; hos, etsi certa quadam limitatione dixissent Israelitæ eum esse Deũ suum qui figura vituli repræsentabatur, non autem vitulum ipsum: tamen blasphemum dictum illud agnoscere & profiteri. Et rectè sane: neque enim desunt causæ. Prima, paulo antè in lege secunda vetuerat Deus omnem non modo prostitutionem, verum etiam fabricationem imaginum. Hæc lex citra grauem legislatoris contumeliam violari non poterat. Secunda, quia addiderat appendicem, se esse Deum violatæ legis vindicem, nec concessurũ vt hæc impune violetur. Hæ Dei minæ contemnebantur non sine graui ipsius contemptione. Tertia, quod hæc imago vitulum, scilicet animal mentis omnis expers, nullo modo cum æterna illa rerum omnium architectatrice, gubernatrice, conseruatrice natura comparandum repręsentabat. Iam si nephas sit cum Nireo Thersitem conferre: quãtò magis est nefarium putandum, quod hi Deũ, qui spiritus est immensus, æternus, nulli corruptioni morboue expositus, sapientissimus, potentissimus, sanctissimus, cum exiguo mortali, multis morbis obnoxio, ob ingenitam stoliditatem prouerbio locum faciente vitulo compararunt. Ac si rex ægrè ferat se conferri cum bubulco aliquo fœdo ac sordido: quis neget has adeo absurda collatione minui gloriam ac maiestatem Dei? Verum horum Iudæorũ iudicio prophetæ & apostoli suffragantur. Psal. 105. Et fecerunt vitulum in Horeb & adorauerunt sculptile.

Et mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. En vt psaltes neget adoratum Deum: sed dicat vitulum seu sculptile adoratũ. Quicquid igitur dicunt adorare sese Deum aut diuos: nos cum psalte dicemus eos statuas adorare. En vt dicat gloriam ipsorum, hoc est, Deum: qui ipsorum gloria ac dulce decus erat, motatam in similitudinem vituli comedentis fœnum: hoc est deformatam & fœdatam & obscuratã imagine eius animalis, quod adeo non sit cum homine conferendum, vt ne cibo quidem hominis naturæ conueniente sustentetur. Hæc est gloria Dei, quod omnipotans, sapientia, veritas, iustitia, sanctitas, bonitas, itemque æternus sit & sibi ipsi sufficiens sustentando: quid ad hoc vitulus, qui subtracto fœno saluus esse non posit? Idem Paulus Rom. 1. censet dicens: Cumque se crederent esse sapientes, stulti facti sunt, mutaueruntque gloriam immortalis Dei, per imaginem non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, verum etism volatiliom & quadrupedum & reptilium. Ostendit apostolos indignam atque iniquam collationem vel in eo deprehendi, quod is, qui sit ἄφθαρτος, id est interire nequeat, τοῦ φθαρτοῦ ἀνθρώπου, id est, eius, quæ in horas interire posit, rei imagine repręsentetur. Fugiamus igitur afflatus satanæ, quibus vis diuina attriboitur idolis: sicut Ioannes monet, fugismus idola. Præclarè etiam ijs, qui imaginum aspectu cieri in animis humanis religionem putant, Athanasius eo ipso occurrit, quod dicit: Quando vious homo te non permouet, vt agnoscas Deum: quomodo id pręstabit homo ligneus? Magnum scelus est has tenebras velle in tanta luce euangelij retinere. Nos vel horum iudio docti meminerimus ioteresse nostra, vt quemadmodũ frugifilij familiãs coruã sodalium rommercia fugiont, quibus eis vt contagiosis pater interdixit: sic ipsi quoque imagines ac statuas vt nocentes res sugiamus, quoniam Dominus earum vsu nobis interdixit. Huic illorum malitiæ Deus non modo meritas pœnas non irrogaoit, verum adeo pepercit eis, vt ob id eos nec noctu, nec interdiu ducere desierit. Exaggerant autem clementiæ dioinæ magnitudinẽ repetita beneficiorum quæ Deus antè dederat, iam eorũ peccata nil moratus diutius vsurpanda reliquerat, enumeratione. Et finem quem in horum cõcessione spectauit Deus, plenius nunc exprimunt qoàm prius: cum qua causa nubem diei deputasset Deus non indicarunt: hic indicant eo quod dicunt: columna nubis non recessit ab eis per diem, vt duceret eos in viam. Quæ etiam Exod. 13. exprimitur, & alibi. Quare docent hac clausula se tametsi spreto ductu Dei cum in Ægyptum reoerti decreuissent, tum omnem libertatis acquisitæ laodem & gloriam vituli simolachro deferrent: tamen ideo non à Deo desertos & erroribus suis cęcis relictos, verum nihilominus recta via deductos esse. Quod maximi beneficij fuit. Potuisset enim eis vitulum ducem illis dignum relinquere: sed ipse eos, vt ceperat, nihilominus duxit. Quo nomine ei gratias illas agunt. Et nos, & si sępe à Deo prouocemus ad res inanes: tamen nihilominus ab ipso sustentamur. Similis est autem gratitudinis: quod eximium hoc miraculum perinde piè obseruant, & honoratè prædicant: quo factũ est, quod nec vsu longo vestes attererentur, nec ardua difficilique peregrinatione frangerentur corporum vires. Quod cum præstare natura nequisset: admirabili potentiæ Dei tribuendum agnoscebaot. In quo maiores suos pietate & sapientia superabant. Illis enim Deus hoc olim exprobrare non necesse habuisset: siquidem ipsimet gratis animis accepissent. Velot Deuter. 8. Moses indicat factom. Est hoc autem propterea considerandum, quod in rerum omnium penoria nos eo ipso consolator, quod quæ nostris naturæque viribus desunt, ea sua virtute penset atq; compleat Deus.

20 Et spiritum tuum bonum dedisti, qui doceret eos, & manna tuum non prohibuisti ab ore eorum, & aquam dedisti eis in siti.

21 Quadraginta annis pauisti eos in deserto, nihilque eis defuit: vestimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non sunt attriti.

Eorum, quæ Deus Israelijs in deserto dedit beneficiorum quintum illud est, quod aliquanta vigesimi versua parte recitant hoc modo: Et spiritum tuum bonum dedisti eis, qui doceret eos. Quã historiam hoc loco referãt, nec Beda, nec Liranus, nec Pellicanus, vllo verbo attingunt. Vnus R. Aben Esra promit senteniã suã his verbis: ותן ויאצל מן הרוח על שבעים איש הזקנים Quibus verbis is videtur indicare spiritum eum dici de quo super septuaginta viros seniores fuderit Deus. Quæ res extat Num. 11. cap. scripta in hanc sententiam, dedisse Deum de eo quem Mosi dederat spiritu LXX. viris illis, qui fuerant ad ius dicendum & ad reipub. gubernationem, quasi ministri Mosis electi. Nec improbanda videtur Hebræi illius sententia, siquidem alijs etiam eius ætatis hominibus, vt Aharoni, vt Mariæ, vt alijs pijs seu sacerdotibus seu ducibus, ipsiq; adeo Mosi datum spiritum admittat. Etsi enim intelligentiæ & doctrinæ spiritu non omnes homines ex æquo polleant: hoc tamen omnibus pijs hominibus certò constat, quod D Petrus dicit afflatos spiritu sancto homines sanctos diuina oracula protulisse: & quod Lucas testatur apostolis spiritum sanctum

ſanctum poſtea miſſum, & quod omnis hiſtoria ſacra atteſtatur, Deum ſuo ſpiritu ſuos perpetuo regere eiſque præſtò eſſe. Sicut Beſeleel filius Vri, & Ooliab filius Achiſamech ſpiritu Dei impleti fuiſſe Exod. 31. dicuntur. Sed & eodem tempore & loco ſpiritus Dei ſuper Eldad & Medad dicitur quieuiſſe & effeciſſe, vt in caſtris prophetarent. Hoc beneficium vt eximium fuit, ſic adhibitis circumſtantijs ab illis illuſtratur. Earum prima eſt in [i]pſius ſpiritus nomine, quē illi fuiſſe bonum dicunt. Eſt enim Dei ſpiritus alius bonus, alius malus: velut in vnius Saulis exemplo videre eſt. Eum enim ſpiritus Dei bonus deſeruiſſe, contrà ſpiritus Dei malus dicitur vexaſſe. Spiritum Dei bonum Pſalmo 142. ſibi datum iri pſaltes ſperat cum dicit: ſpiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua. Altera eſt in ipſius ſpiritus actione, quam notant eo quod dicunt, qui doceret eos. Eſt autem proprium ſpiritus Dei boni lucem rebus obſcuris intelligentiamque & ſapientiam afferre. Sicut Exod. 31. artifices illi dicuntur ſapientiam & intelligentiam miſſo ſpiritu diuino accepiſſe: & Dominus Ieſus dic[it] ſpiritum ſanctum, vbi venerit, miniſtros ipſius in omnem veritatem inducturum. Horum autē exemplo diſcimus nos debere ſpiritum ſan[ct]um, qui nobis erudiendis datur, audire & ſequi: ſed vt ne ſpiritus malus, qui ſe nouit in angelum lucis transformare, & per pſeudoprophetarum ora decipere, nos fallat, quemadmodū Ioānes monet, ſpiritus probare, & repudiatis malis bonos audire. Qua in probatione Lydij lapidis vice ſpiritus ipſius actio, hoc eſt, ipſa doctrina erit. Velut hi quoq; docent ipſorum maioribus non eum, qui terrore incuſſo ad deſperationem ſolicitaret aut seduceret, verum qui doceret, ſpiritum datum. Doctrin[a] vero, quoad vim ſuam propriam ſeruat, Deum, qui lux eſt, & verbum Dei, quod lumen eſt & regula, proponit. Sed & priſcis illis hominibus hæc propoſita probandorum ſpirituum regula, fuit, velut in Deuteron. Moſes docet. Quare non eſt, quod Enthuſiaſtæ fanaticos afflatus ac furores ſuos nobis obtrudant, ijſque veliot nefaria quęque ſomnia ſua affirmare.

Sextum eorum, quę maiores Iudęorum in ſolitudine diuinitus acceperunt, beneficium fuit: quod eos non modo pauit, verum etiam ſuppeditatis mirabili quodam & naturam omnem ſuperante modo victu pariter & amictu comprobauit; eum ſe Deum eis eſſe, quem Abrahamo & poſteris eius ſe futurum promiſit, Schaddai ſcilicet, hoc eſt, quicquid ad vitam tuendam requiritur ſatis ſuperque ſuppeditantem. Quæ res maximi in beneficij loco ducenda fuit: quippe qua non ſolum alimenta ac veſtitus corporibus, verum etiam perenne [ſo]latium animabus allata ſunt. Quanquam quod de veſtimentis dicitur, quale ſit exiſtimandum, ipſius Dei verbis Deut. 8. explicatur. Obſeruandum tamen Liranus monet hoc beneficium credentibus ſolis datum, incredulis non item ſaluti fuiſſe: quādo Nu. 11 laſſi fuiſſe & de miſerijs ac moleſtijs conqueſti dicūtur. Sicut Manna Sap. 16. ſaporis nomine commendatur: impijs autem & ingratis Iſraelitis inſipidum cibum viſum id argumēto eſt, quod Num. 11. dicunt: anima noſtra arida eſt, oculi noſtri nihil niſi illud Man vident. Et ſanè fit, vt quemadmodum omnia bona malaque credentibus ſaluti eſſe Paulus docet: ſic exitio ſint omnia bona malaque malis. Verum hæc duo poſtrema beneficia Dei maximè pertinent ad amplificandam bonitatem Dei, qua factum eſt, vt hęc eis, licet ingratiſsimis ac ſubinde ipſum offendentibus beneficia daret. Magnum hoc propeque incredibile ſolatium ſaucijs conſcientijs affert. Nam ſi in eos, qui peccata peccatis accumulabant, adeo munificus ac liberalis fuit: nihil non audebunt ſibi, qui pœnitentia anteactæ vitę ducti illius præceptionibus vitam ſuam accommodant, de eius bonitate & miſericordia polliceri.

22 Et dediſti eis regna & populos, & partitus es eis ſortes: & poſſederunt terram Sehon: & terram Regis Heſebon & terrā Og regis Baſan.

Commemoratis beneficijs ijs, quæ degentibus in ſolitudine Iſraelitis Deus dedit, deinceps ea prædicantur, quæ eiſdem promiſſam terram inuadentibus atq; occupantibus dedit. Quam commemorationem ſecundum momenta temporum partiuntur: quando primum ea referunt, quæ etiam num viuente Moſe, dein quæ ducente populum Ioſua, tertiò quæ rempub. adminiſtrantibus iudicibus, quæ denique republica in regni ſtatum commutata dedit. Ac duo quidem maxima quæ eis viuente Moſe beneficia dedit, 22. verſu complectuntur: vnum, quod eis ampliſsima quędam regna dedit: alterum, quod hæc eadem eis ipſemet diſtribuerit. De priore dicūt: Dediſti eis regna & populos. Significant autem nomine regnorum ciſiordanina regna: quorū tria nominant. Ac Seon quidem & regis & montis proprium nomen fuit. Mons aliàs etiam Hermon appellatur: pars ex iugis montis Libani. Regis autem meminit Moſes Num. 21. Deuteron. 2. Amorrææ ex Canaano oriundæ gentis princeps fuit. Heſebon vrbs Madianitica fuit cum per ſe ampla, tum agri longe lateq; patentis & populoſi poſſeſsione potens. Hanc Seon vnà cū finitima regione omni iure belli contra Madianitas fortiter & fœliciter geſti fecerat ſuam. Idque non obſcurè

significat Moses, cum Num. 21. scribit quicquid terrarum Moabitæ habuerint vsque ad torrentem Arnon, id omne eis ab Amorræo ablatum esse: vt deinceps is torrens limes fuerit diuidens Amorræos à Moabitis. Quæ victoria cum & opimam Amorræis prædam attulerit, & carmine celebrata fuerit, duorum regnorum possessione superbum Seonem fecit. Cumque Deuteron. 2. versu 24. Seon rex Hesebon appelletur: mirum non est eundem hoc loco tam Hesebonis quàm Amorrhæorum regem appellari. His duobus regnis additur tertium Ogis regis Basanitidis. Is Oges cum regni, tum proprij roboris nomine potens fuit. Etenim Deuteron. 3. cap. gigantum soboles & portentosæ proceritatis fuisse, ac lectus eius ferreus nouem cubitos longus, & quatuor cubitos latus in Rabbatha Ammonitarum vrbe monstratus dicitur. Fuit Basanitis regio pascuis & fertilitate sua præstans & admodum celebris: in qua non difficile fuerit maximis opibus augeri. Qua de causa tribus quædam à Mose petierunt, vt ipsis eam traderet habitãdam, & Amos capite 4. principes eius vaccas, hoc est, homines egregiè pastos ac pinguefactos vocat: & quercos Basan apud prophetas Esa. 2. Zach. 11 qui diuitijs superbi facti sunt, appellantur. Ex quibus intelligi potest, ipsis exulibus ac nihil nisi tutam ac suis hominibus sustentandis sufficientem sedem exoptantibus, tria florentissima regna diuinitus concessa fuisse, & hæc eadem vt fœlicitatis expectatæ principia atque nuncia multo maiorum ac præstantiorum bonorum accipienda. Auget autem huius magnitudinem beneficij, quod & terras illas, & earum dominos populos eis subiecit. Id enim eos ex seruis, qui in Ægypto fuerant, dominos fecit. At ex humili fortuna ad excelsum sortis ac dignitatis gradum ascendere, nemo non beneficij in maximo loco ducit. Quo magis est obseruandum, quod de eo Iudæi peculiares illas Deo gratias agunt. Alterum beneficium est, quod eis terras datas sorte diuisit. Est autem in verbis quibus hæc exprimitur, obseruanda varietas expositionis ac sententiarum. Hebræa verba Iudæorum sunt: ותחלם לפאת. Hæc interpretes Latini plerique de Cananæis in hanc sententiam exponunt: vt Pagninus: Et diuisisti illos in angulum: Vatablus, dispersisti eos in varias partes orbis, aduentante Israele ad cuius aduentum illi aufugerũt: aliter alij. Crediderim autem Doctores nostros adductos authoritate Hebræorum à Vulgatæ versionis & LXX Interpretum verbis recessisse. Etenim R. Aben Ezra sic exponit: in Commentarijs suis רכש עם את עמים וחטעם פזרים לפאת וברחו מפני ישראל Id est, Insecutus est populus populos & apprehẽdit eos, dispersit eos & fugerũt à facie Israel. R. Salomõ aũt ad hũc modũ reddit לפאת במו לחיות לצר וית אחר מוחלקים בלי לחתערב עם גויי הארצות Id est, In angulum: quasi vt essent in angustis angulis depositæ confusæ portiones, quæ commiscerentur cum populis terrarum. Neutra expositio mihi videtur bene constare. Nam & mirum sit, quo modo sint dispersi, qui in angulum vnum coacti sunt: & quò aufugerint, quibus clausis nullum pateret effugium. Verisimilior igitur erit & historiæ ipsi magis consentanea versio vulgata. Nam & חלק verbum, quod diuidere & partiri significat, de rerum diuisione propriè vereque dicitur, & פאת nomen Hebræis non modo angulum verum etiam terminum & finem significat. Quamobrẽ in eam sententiam accipi illa verba possunt, vt hæc regna Deus eis sorte diuisisse, & suos cuiq; tribui fines assignasse existimetur. Nec obstat, quod פאת singularis sit numeri: cum enallagæ numerorum sint in sacris literis minimè raræ. Et vt hanc sententiam probat, sic alteram repudiat res acta. Nam vt ne dispersos horum regnorum incolas opinemur, Moses dicit Deuteron. 2. & 3. omnes vnà cum vxoribus ac liberis ad internecionem cæsos: ac rursus vt diuisam terram hanc certis partibus constet, Moses Deuteron. 3. eius diuisionem & diuinitus mandatam dicit, & suis administris committit. Confirmatur hoc etiam ijs narrationibus, quas hac de re Iosuæ liber habet. Iam & si illam sententiam putem satis certam ac rationibus haud infirmis munitam: tamen hæc tria super ea fortasse quæri possint. Vnum, quam sortis rationem obseruarint: alterum, possitne hæc sortitio authore Deo facta putari, cum is omni sortium vsu suis interdicat: tertium, an etiam nobis in Christiana republica aliquis sortium vsus concessus esse videatur. Ad quæstionem primam dicimus, ab Hebræis traditum inueniri: duodecim schedis inscripta duodecim tribuum Israeliorum nomina: ac rursus alijs duodecim schedis duodecim terræ portionum nomina consignata: has deinde schedas inter se mixtas atq; in vrnam quandam coniectas, & inde binas iterum à quoque principe exemptas, eamque portionem cuique tribui assignatam, cuius nomine consignatam schedam princeps eius exemisset. Et hanc fuisse rationem sortium probari scripturæ sacræ testimonijs censent. Eo videlicet, quod Solomon schedarum immissionem simul ac permixtionem ipsis vsitatã fuisse non obscure significet hac gnome sua: Sortes mittuntur in sinum, sed temperantur à Domino. Eo præterea, quòd scriptura verbum exeundi plerunque sortibus adhibeat. Siue ergo tesseras, vt Romani, siue globulos, vt Veneti, siue schedas, vt multæ nationes adhibuerint: perinde est. An vero, quod secundo quærebatur, Dominus rectè dici possit hanc eis terram sorte diuisisse, de eo non difficile est sententiam ferre: quando Moses ipse scribit Num. 26. Deum mandasse vt sorte diuideretur. Ita

Sortitio.

tur. Ita duntaxat (ait) vt sors terram tribubus diuidat & familijs. Quicquid sorte cõtigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. Hoc Dei mandatum Moses & Iosua secuti terram diuiserunt. Ac si causas sortis adhibitę consideremus, non mirum est hanc rationem diuidendi Deo placuisse. Ob id enim nimirum sors adhibita fuit, quod cum Deus sortem moderetur: eius qui terram dedit iudicio iusto potios accipienda sua cuique tribui portio fuit, quàm vel cæco vel iniquo iudicio humano. Quò pertinet etiam, quod præcludere suspicionibus, simoltatibus, contentionibus, turbis, bellis intestinis voloit viã. Nã aliàs Ios. 17. legimus filios Iosephi cũ Iosua expostulasse, quasi oimis angusti fines eis fuissent assignati. Qua de causa valde probat Solomoo sortiũ vsum, Prou. 18. Dissensiones sors cõponit, ac diuidit ioter fortes. Quæ cũ ita fiot, existimandum est, rectè fecisse eos, qood iossu mandatoq; Dei fecere, rectéq; fecisse Deũ, quod & iosto iodicio suo fecit, & auertendi publici mali prouehendiq; publici boni causa. An vero nobis etiã hodieq; sit concessus aliquis sortiom vsus, si delectus quidam sit sortiõ, perinde facile est dictu. Videndum est enim quid sortium nomine veniat, quæ sint sortium genera, quibus item sortibus vti an noo vti fas sit. Ac sortis quidem appellatione Latini ferè fortuitum alicuius rei euentum iotelligunt, qui certa quadam ratione exploretur. Constat etiam earum alias esse sacras ac diuioas, alias ciuiles, alias rerum futurarum noncias seu diuinantes. Eas aotem dicere sacras possumus ac diuinas, quarum exempla ac mandata habemus sacris literis expressa: vt cum sacrilegij reum Iosua sorte exquirit, & de Iona periculum sorte faciont naotæ. Iam an liceat hoc genus sortium imitari, si quis roget, facile est respondere: hęc esse singularia minimeque trahenda ad vnioersos: quando legibus viuimus, non exemplis. Sacrilegum illum Deus non tam sorte, quàm clade ad Hai inflicta protraxit in locem: vt constaret Israelitis sanctis & ionoceotibos, noo impuris & iniustis hominibus terram sanctã triboendam, hocqoe exemplo terror alijs incuteretur. Iooam aotem fuissa Christi typum nemo nescit. Quio cogitandum est etiam cautius in scelerum authoribos inuestigandis agendum: oe qua ioioria quisquam innocens afficiatur. Diuinantes autem illas putamus, quæ rerum exitus & euentus, resque futuras curiose exquirunt: ac conijciunt: idque vel ax literis, vel alijs ex indicijs fortuitò, seu vt sors tulerit, seu vt Græcè dicam melius, ἐκ τύχης, acceptis. Quanquam multa sint & varia sortium genera: vt protractio ponctorum: vt consideratio figurarũ ex plumbo io aquas proiecto atque liquefacto prouenientium. Ad Buram Achaiæ oppidum ex talis & abaco iostitutũ Herculis oraculum fuit. Diu quoque Prænestinarum sortium floruit vsus. Celebres etiam Lyciæ, Deliæ, Homericæ fuere. Plurimum enim Homeri versibos Ethnici tribuerunt: quod poetas afflatu diuino carmina ceo oracula fundere existimarent. Quibus esse meliores studoerunt, qui depromptis ex scriptura sacra seu versibus, seo verbis ad exploratiooem rerum futurarum sont abusi. Has vtut artifices sui pingant, ac vel characteribus, vel voculis ex Scriptura sacra depromptis orment aot commendeot: tamen vt illicitas, malas, profligandas dioina pariter ac humana iora damnant. Ac Gratianus qoidem xxvj. q. ij. rationes, quibus probari & improbari sortium vsus videtur in vnum confert inter seqoe comparat: ac tandem ex D. Hieronymi, D. Augustini, itemque Bedæ & aliorum hac de re sententijs adductis concludit: cauendom nobis esse, ne vel religionis specie, vel exemplo Diuorum ad institutum oostrum perperam detorto & ad superstitiones Ethnicas vel abotamur, vel moueamor: sed meminerimus à nobis, qui noui Testamenti populus somos, plus requiri perfectionis, quàm vt qoæ maioribus certa qoadam lege causaqua soot indolta, ea oobis etiam esse concessa arbitremur. Ioprimisque est obseruandum, quod eodem loco adducitur iudicium D. Aogustini in hanc sententiam scriptum: Hi qui de paginis Euangelicis sortes legunt: & si optandum est vt id potius faciant, quàm ad dæmonia consulenda concurrant: tameo ista mihi displicet consuctudo, ad negocia secularia & ad vitæ huius vanitaté diuina oracula velle conoertere. Præclarum profecto iudicium, & ijs, qui licere sibi verbis diuinis ad explorandos rerũ eoentus aboti putant, præcipuè considerandum. Sed & anathematis pœna decreta fertur ijs superstitionibus, xxvj. q. v. sortes, Ad hæc pœnitentiæ sortilegorum quadraginta cõtinuos dies iura quæ vocantur canonica decernont Extra. de sortilegijs cap. requisisti. Harum sortium vsu Rom. Imperatores etiam Constantius & Iulianus ioterdixisse vel eo ipso videri possont: qood hi io l. nemo aruspicem. C. de malefic. & mathem. perpetuum silentium omni diuioandi curiositati indicaot. Cum enim hæc ipsa qoæ per sortes fit euentuum inuestigatio, ex mera curiositate proficiscatur: tam sortilegos quàm aliarum diuioationum magistros lex hęc videtur à reip. Christianæ fioibus arcere. Minimeqoe malè Accursius vice probationis hoic legi illud Christi responsum, Non est vestrum nosse tempora &c. apposuit: quando & id erat oppositum curiositati. Rectius Cicero lib. de Diuinat. secundo, hoc diuinationis genos eludit, qoàm recipiat ac probet: cum dicit idem omnioo esse qood micare, quod talos iacere, qood tesseras, quibus in rebus temeritas & casus non ratio, nec coosilium valet. Addit hoc etiam, totam rem esse inuentam fallacijs, aut ad quæstum, aut

ad superstitionem, aut ad errorem. Extat item Deut. 18. lex damnans & è populi Dei cœtu profligans omne diuinationum genus. Quam videtur etiam teste propheta violasse Nabuchodonosor cum Ezech. 21. in biuio hesitans introducitur, qui sorte exploret, quibus gentibus primum inferat bellum. Extant multa apud graues authores & iudicia & exempla, quibus hoc sortium genus condemnatur. Nec necesse est colligi plura testimonia: cum omnibus sint nota. Ciuiles autem sortes eas dicimus, quæ & ciuilibus in negotijs, & ciuilibus de causis ad vtilitatem publicam aut priuatam fiunt: veluti cum diuidendæ sunt hæreditates, vel conferendæ fuerint dignitates, aut aliqua demandanda munera, aut aliquibus imponenda quæ cum labore vel periculo coniuncta sunt, onera: nec id fieri iudicio consilioq; humano potest: tunc recurritur ad sortes, tanquam ad iudicium Dei, quo constat sortes temperari. Has dicimus esse licitas, vtiles, quandoque necessarias. Instituuntur enim de rebus humano arbitrio subiectis: prosunt ad vitandas contentiones: nituntur authoritate, suffragijs, exemplis & moribus hominum bonorum atque prudentium: absunt à superstitione: vacant curiosa rerum abstrusarum inuestigatione. Equidem Iurecons. trib. illis in casibus sortes censent adhibendas. Primum, cum quis actor an reus esset, quæritur: ambobus ad iudicium prouocantibus sorte rem discernendam: respondit Vlpianus l. sed cum ambo. de iud. sort. rem discernens. Dein cum quidam ex multis essent manumittendi, oportere eos sortiri, ne quam ambitionis aut gratiæ suspicionem subeat prætor, idem respondit l. generaliter. §. quis ergo statuet. ff. de fideicom. libert. Tertiò, cum plures eisdem ex partibus hæredes essent, nec inter eos conueniret, apud quē cautiones hæreditariæ deponerentur, oportere eos sortiri in pari causa respondit Caius l. si quæ sunt. ff. fam. ercisc. Iam & omnibus gentibus harum sortium vsum fuisse testantur historię earum. Hebræi pontifices sorte legebantur & sors adhibita apud eosdē fuit electioni Saulis. Ægyptij quoque olim quos quisque coleret agros, sorte experiebantur. Græcis vsitatas etiam in adeundis hæreditatibus fuisse, vel ipsum κληρονόμων id est, hæredum nomen ostendit. Apud Romanos item & prouinciæ & sacerdotia sorte capiebantur. Eius rei causam Cornelius Tacitus refert eam fuisse, vt ambitus & inimicitiæ, & simultates excluderentur. Sed & Plautus in Casina testis est, in contrahendis quoq; matrimonijs sortes olim vsitatas fuisse. Coloniarum item deductioni sortes adhibitas constat. Et Venetis vsum sortium præsertim in creatione magistratuum frequentem esse scimus. Præterea D. Lucas perhibet Ecclesiam Christianá sortes adhibuisse electioni Matthiæ. Dionysius apud Antoninum dicit fecisse quendam radium cœlitus immissum super Matthiam ad ipsius electionem. Præclarè etiam D. Augustinus epistola 180. ad Honoratum, qua de fuga agit, si inter ecclesiæ ministros in cōmuni periculo disceptatio fit, qui fugiant, quiue maneant: ne ecclesia vel fugientibus, vel pereuntibus omnibus ministris omni verbi diuini prædicatione destituatur, eos qui manere debeant, sorte censet eligendos. Et addit ad probandam sententiam suam, cum iudicium Solomonis Prouerb. 18. de sortium vsu proditum, tum illas etiam causas. Melius enim (inquit) Deus in huiuscemodi ambagibus, quàm homines, iudicat, siue dignetur ad passionis fructū vocare meliores & parcere infirmis, siue istos facere ad mala perferenda fortiores, & hinc vitæ subtrahere quorum non potest Dei ecclesiæ tantum quantum illorum vita prodesse. Eius generis sortes nemo poterit, opinor, improbare. Sed vt omnis superstitio profligetur, tradunt Iuris canonici doctores etiam in licitis sortibus illis obseruandas cautiones quatuor. Vnam, ne nulla adacti necessitate, id est, cauendi, vel depellendi magni damni causa, ad sortes confugiamus: quod eiusmodi sorte non necessaria quasi Deus tentari videretur. Altera est, vt etiam necessariæ sortes non nisi religiosissimè fiant, adhibitis, vt in electione Matthiæ factum legimus, ardentissimis precibus ad Deum. Tertia, ne diuinis oraculis ad negotia terrena ac nostra lucra spectantia abutamur. Quod alicubi D. Augustinus grauiter reprehendit. Quartá miror poni contra exemplum apostolorum; ne sorte ministri ecclesiæ eligantur. Nam quod dicunt eorū electionem afflatu spiritus sancti fieri debere, & tunc spiritum sanctum nondum plenè in ecclesiam effusum fuisse, cum Matthias eligeretur, id sortium vsum in hoc quoque casu non potest improbare. Etenim afflatus spiritus sancti & iudicium Dei, quod illi sortibus aperiri confitentur, secum ipsa minimè pugnant: & apostoli ante pentecostes festum diem eum, quo spiritus sanctus peculiari quodam atque excellenti modo apostolis est missus, ipsius spiritus sancti donorum & gratiæ non minus quàm hodieq; vel Romani, vel Germani, habuerunt. Concludimus igitur tertium illud quod ciuile diximus, sortiū genus, siquidem re ipsa postulante, pie, citra superstitionem, rectè adhibeatur, neutiquam improbandum: hoc etiam in negotio mandato Dei fuisse vsitatum: vt de finibus inter sibi fœderatas tribus nulla contentio oriretur, & salua pax concordiaque esset. Quam vnam ob rem hæc diuisio magnæ terræ in beneficij loco sit ducenda, & ob id ab illis sit inter alia Dei beneficia quæ prædicarentur, visa dignissima.

23 **Et multiplicasti filios eorum sicut stellas cœli, & adduxisti eos ad terram**

terram, de qua dixeras patribus eorum, vt ingrederentur & poßiderent.
24 Et venerunt filij & poſſederunt terram: & humiliaſti corã eis ha-
bitatores terræ Cananæos, & dediſti eos in manu eorum, & populos ter-
ræ vt facerent eis ſicut placebat illis.
25 Cœperunt itaque vrbes munitas, & humum pinguem, & poſſe-
derunt domos plenas cunctis bonis: ciſternas ab eis fabricatas, vineas &
olíueta, & ligna pomifera multa; & comederunt & ſaturati ſunt, & abun
dauerunt delicijs in bonitate tua magna.

Quæ Ioſua duce eis dedit beneficia, ea 23. 24. 25. verſibus ſigillatim ſingula recenſent. I. Quod eorum ſobolem ſic auxerit, vt æquare ſtellarum cœleſtium multitudinem videretur. Quæ res eis multis nominibus vtiliſsima & miraculi inſtar fuit. Etenim ob erectum vituli idolum & tentatum reditum in Ægyptum, ni interueniſſet pijs precibus Moſes, iuſto iudicio Dei funditus deleti fuiſſent: & qui tunc in viuis erant patres præter Ioſuam & Chalebum omnes in ſolitudine mortem obierunt, ſalua poſteris terræ promiſsione. Ea res videbatur eius populi multitudinem tantopere minuiſſe, vt nunquam adeo populoſa ac promiſſum Dei ferebat, gens Iſraelia futura videretur. Hi contrà prædicant id damnum bonitate & potentia Dei ſic penſatum fuiſſe, vt etiam poſt id tempus, hominum multitudine, ſtellarum numerum ſuperarent. Idq; poteſt teſtimonijs Moſis demonſtrari. Is lib. Num. 1. deſcribens cenſum totius gentis actum abs ſe mandato Dei, indicat, exceptis Leuitis, omnium Ægypto egreſſorum tunc 603550. fuiſſe. Poſtea alius populi cenſus eſt actus, cum vſque ad fines terræ Cananeæ in Moabiticos agros, qui vicini ſunt Hierichunti veniſſent: qut Nu. 26. deſcribitur. In eo 601730. hominum inuenta ſunt. Et additur eodem loco hæc clauſula: Inter quos nullus fuit eorum, qui numerati ſunt antea à Moſe & Aharone in deſerto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in ſolitudine. Iam ſi illi inter ſe numeri conferantur, facile eſt videre in poſteriore cenſu nõ vltra 1820. hominum capita deſiderata. Quod profecto adeo breui tempore fieri potuiſſe, maius omnium rerum natura planeq; diuinum opus fuit: eos videlicet, de quibus actum putabatur, tam breui tempore in tantum tamq; numeroſum hominum cœtum excreuiſſe, & quam peccatis ſuis attraxiſſent cladem, ſic penſatã beneficio Dei. Quo profecto confitentur fidem in Deum biſariam ipſis augeri confirmarique debuiſſe: primum quod in eo cernerent promiſſorum diuinorum firmitatem: tum quod animaduerterent, poſſe Deum, etiam inuita ac reluctante natura, quæ promiſerit præſtare: quando adeo breui temporis momento in deſertis & incultis locis, tantis in miſerijs & moleſtijs tot millia hominum produxiſſet. II. Adduxiſti, inquiunt, eos in terram, de qua dixeras patribus &c. Quibus verbis refricãt memoriam earum, quæ primis libri Ioſuæ & vltimis Deuteronomij capitibus proponuntur, rerum. Quemadmodum miraculis multis ijſque maximis eorum ex Ægypto exitus refertus fuit: ſic mirabiliter in Cananæam ſunt ingreſsi. Multa namque mira acciderunt in vocatione Ioſuę, in inſtructione ordinum, in miſsione exploratorum, in Iordanis tranſitu: quorum pars magna poſitis in Iordanis alueo monumentis conſecrata fuit. Eam rem omnem illi grata recordatione dignã ducunt: vt quæ mirificè patres & omnem poſteritatem in fiducia Dei debuerit confirmare. Cũ enim aquas indomitas aliàs cohibere poſsit, qui non improborum hominum violentos motus etiã frenaret, vt ſuis ad ſalutem viam aperiret? Magna Xerxes tentauit: ſed his ipſis non modo nihil vel ſibi, vel ſuis hominibus emolumenti conſecutus eſt: verum etiam inſaniæ ſtultitiæque maculam ſibi aſperſit. At filius Dei fluctus ac ventos vno verbo ſedauit, eoque tranquillam diſcipulis præſtitit nauigationem: & pater opt. max. Iſraelijs ſuis per rubrum mare & Iordanem amnem viam tutam ac facilem fecit. Qua in re typum baptiſmi Chriſti Paulus 1 Corinth. 10. commonſtrauit. III. Aiunt: Humiliaſti habitatores terræ Cananęos, & dediſti eos in manu eorum &c. Prædicant his verbis victorias eaſque ipſas & illuſtres, & facillimè partas. Facillimè enim partas id argumento eſt, quod Deus eorum hoſtes iam antè humiliaſſet, hoc eſt, incuſſo animis eorum terrore & metu, ſuperbos ſpiritus ipſorum repreſsiſſet. Quo facto difficile minus erat timidos & trepidantes ſuperare. Idque Rahab Hierichuntina miſsis ab Ioſua viris indicauit: auditis videlicet miraculis & victorijs Iſraeliticis ſic perculſos Cananæos: vt quemadmodum ardore ſolis vel cera, vel nix liquefiunt, ſic illis omnes animorum vires ac facultates emolliantur ac liquefiãt. Animis ergo deiectis ac fractis etiam gygantea corporũ moles aduerſariam vim Iſraeliorũ haud ſuſtinendo fuit: eoque facilior Iſraelijs fuit parata ad victoriam via. Iam quoniam ductores copiarum vt hoſtibus metum incutiant, modo rumoribus expectatorum auxiliorum aut victoriarum, modo ſimulatione diuitiarum & potentiæ, modo laborioſa ac graui rerum aduerſarum & acceptæ cladis diſsimu-

latione,modo alijs atq; alijs artibus laborant & ijs detectis tanto minus metuuntur:hi Deũ maiores suos & harum artium omnium onere leuasse, & sua virtute,vt ab hostibus timerentur,effecisse prędicant,eiq; gratias agunt.Expedit autem agnoscere,quòd tam authoritas quàm gratia à solo Deo mortalibus obueniunt.Illustres vero fuisse victorias eas id argumento est bono,quod de multis ijsq; ea tempestate prępotentibus ac gloriosis regibus essent partæ. Quò enim potentiores sunt qui vincuntur,hoc illustrior victoriæ laus est: Sicut Dauidis de Goliatho,Iaelis seu Deborę & Baraci de Sisara,Iudithæ de Holoferne,Cyri de Babylonijs ac Lydis victoriæ claræ fuere. Verum horum victorias omnes liber Iosuæ commemorat:cap.6.de Hierichuntis rege:cap.8.de Hai rege:ca. 10.de quinque regibus:cap.11.de alijs: cap.12.de 31. regibus superatis. Qui tametsi non ita longe & late dominati sunt,vt ætatis nostræ reges tamen & opibus,& fœderibus,& arte naturaq; munitis locis, & robore militum vires potentiamque suam mirum in modum auxerant. Hæc indicant Deum illis non modo victorias faciles ac splendidas: verum etiam tantam,vt passim timerentur, authoritatem dedisse. Quod etiam illis promissum fuisse Deut 2.scriptum extat in hæc verba: Incipiã hoc ipso die immittere pauorẽ tuũ &c. Et Deut.11. Nemo audebit vobis resistere quia timorem vestri dabit Dominus Deus vester super faciem totius terræ. Eadem Exod.13.habentur. Hæc quia magna sunt,prædicãt & gratos se esse Deo testantur. IIII. Prædas his victorijs partas prædicant hoc modo: Cœperũt vrbes munitas &c. Enumeratione singularũ partiũ demonstrant, quàm opimæ fuerint prædæ. 1. Vrbes fuerunt munitæ laboribus scilicet ac sumptibus aliorũ. 2. humus pinguis scilicet respondens promissis Dei, quod esset lacte & melle manans:paradisus Dei: vbertate & copia rerum par multitudini incolarũ maximæ sustentandæ. 3. domus omni genere bonorum refertæ: Puta suppellectilibus,vasis, & quibus opus est ad rem familiarem rebus. 4. cisternæ, vel putei, ijque seu arte inuenti, seu labore sumptuq; effossi: seu cisternæ aquæ pluuiæ colligendæ paratæ 5. prædia vini,olei,pomorum, pirorum,aliarum ad tuendum victum pertinentium rerum feracissima. 6 His quod est in boni maximi atque optatissimi loco docendum, harum rerum omnium tutam,tranquillam,pacatam,lautam fruitionem adducunt eo,quod dicunt: comederunt, saturati sunt,pingues facti sunt,delicijs abundarunt. Et horum bonorum omnium principem causam fuisse profitentur bonitatem Dei magnam. Quam ostendunt nimirum omnibus in fortunis ac fatis mortalium agnoscendam. Atque hæc quidem Mose mortuo,cum Iosua dux esset,maiores eorum acceperũt,iamq; posteri, pro eo ac par est & homines gratos decet, magnis laudibus tollunt.

26 Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & recesserunt à te, & proiecerunt legem tuam post terga sua:& prophetas tuos occiderũt, qui contestabãtur eos vt reuerterẽtur ad te:feceruntq; blasphemias grandes.

27 Et dedisti eos in manu hostium suorum, & afflixerunt eos:& in tempore tribulationis suæ clamauerunt ad te & tu de cœlo audisti,& secundum miserationes tuas multas dedisti eis saluatores,qui saluarent eos de manu hostium suorum.

28 Cumq; requieuissent: reuersi sunt vt facerent malum in conspectu tuo: & dereliquisti eos in manu inimicorum suorum & possederunt eos. Conuersiq; sunt & clamauerunt ad te:tu autem de cœlo exaudiuisti & liberasti eos in misericordijs tuis,multis temporibus.

29 Et contestatus es eos,vt reuerterentur ad legem tuam: ipsi vero superbè egerunt & non audierunt mandata tua,& in iudicijs tuis peccauerunt,quæ faciet homo & viuet in eis: & dederunt humerum recedentem & ceruicem suam indurauerunt,nec audierunt.

30 Et protraxisti super eos annos multos,& contestatus es eos in spiritu tuo per manum prophetarum tuorum,& non audierunt, & tradidisti eos in manum populorum terrarum.

31 In misericordijs aũt tuis plurimis non fecisti eos in consumptionem,nec dereliquisti eos,quoniam Deus miserationum & clemens es tu.

Iam beneficijs illis, quæ Deus eorum maioribus dum Iosuam ducem haberent, dedit,cõmemoratis, deinceps ea addunt,quæ Iudicũ atq; regum temporibus diuinitus acceperunt. Quæ commemorationes circiter 860. aut paulo plurium annorũ historiam comprehendunt. Ostendunt autem Deum eis, vt vt multis eorũ malefactis iterũ atq; iterum offenderetur: tamen benefaciendo

non

non destitisse. Efficiunt autem id quadã quasi contentione demonstratiua, qua primum maiorum peccata, dein benefacta Dei proponunt, vt Dei bonitatis magnitudo magis illucescat. Recensent enim peccata sigillatim singula. Primum factam à Deo defectionem: recesserunt à te, inquiunt. Videntur autem ea referre, quæ Iudic. 2. scripta sunt, de angelo diuinitus misso, qui illis crimen defectionis exprobraret. Secundò contemptum legum, quam & admirabili forma locutionis exaggerant: proiecerunt (aiunt) legem tuam post terga sua: hoc est, non passi sunt leges tuas vitæ & morũ dominas esse, & illis præire: quin eas ceu pedissequæ essent, ipsis inseruire, & à tergo eis presto esse voluerunt. Significat autem hæc locutio non contemptum simplicem, verum insolentem quandam ac prauam libidinem eorum, qui diuinas leges vbicunq; torqueri possunt ad excusandam aut tuendam eorum iniustitiam, promunt, atq; ipsis vt sobseruiant, volunt: rursus easdem, vbi monitrices sunt asperæ & reclamant ac resistunt peccatis & affectibus eorũ, silere & sequi iubent. Huc procedit hominum petulantia, cum ex animi votis omnia succedunt. Amplificant autẽ hoc peccatum ipsi bifariam: primum multitudine & varietate attributorum, quibus ornant leges diuinas, & ostendunt ad cultum Dei, ad institutionem & conseruationem ciuitatis, ad vsum vitæ ciuilis vtiles esse. Id enim eo quod regulas, mãdata, iudicia, præcepta appellant, satis luculenter osten dunt. Dein eo ipso quoq; exaggerant hoc peccatum illorum, quod dicunt: & in iudicijs tuis quæ faciet homo & viuet in eis: eoque indicant hoc esse diuinarum legum proprium, vt qui illas fecerint, viuant in eis: & tamen has ipsas Dei leges vnà cum earum fructu repudiatas fuisse. Quo sanè docent recta ac pia diuinarum legum obseruantia mortales hoc consequi, vt immortales fiant. Idem etiam Christus ipse videtur asserere, quando Ioan. 5. dicit: Scrutamini scripturas: quia vos videmini vobis in ipsis vitam æternam habere. Clarius idem etiam hoc Matth. 4. ex Mose adducto testimonio demonstrat dicens: Non solo pane victurus est homo, sed omni verbo, quod egreditur os Dei. Maximum autem fit scelus eum cibum, quo corpora aluntur ad vitam caducam ac breui cessaturam, fastidire & conculcare: maius illi peccatum admittunt, qui cibum eum, quo pascuntur animæ ad cœlestem & sempiternam vitam, respuunt, ac contemnunt. Huic amplificationi deinceps aliam addunt, qua prauitatis huius princeps causa in eorum ipsorum pertinaci contumacia ostenditur: cum dicunt, dederunt humerum recedentem & ceruicem suam indurauerunt. Quibus locutionum formis indicant eos omnem legibus diuinis debitam obedientiam recusasse. Est autem metaphora tracta ab iumentis & indomitis animalibus quæ subtrahunt humeros, ne possit eis onus imponi, aut excutiunt etiam imposita: itemq; à bobus iugum detrectantibus, ad quod ferendum natas habent ceruices. Sic onus illi putasse & refugisse dicuntur, quod ipsos mole perpetuæ miseriæ deonerabat. Tantum erat ingenitæ prauitatis virus. Tertiò, oppressionem veritatis præconum, cum dicunt: & occiderunt prophetas tuos. Videntur autem hæc de regni Israelij temporibus vltimis potissimum dicere: quando regno diuiso, in decem tribubus Hieroboamus, Achabus, alij complures: in Iudæa Achasus, Ioas, Manasses, Sedechias, alijque prophetas præstantissimos vel appræhensos crudelissimè trucidarunt, vel in exilium profligarunt. Augent etiam id peccatum eo quod dicunt, prophetas illos contestatos esse vt ad Deum reuerterentur: hoc est, satis certis, firmis, luculentis, apertis testimonijs & argumentis euicerunt, quam ingressi essent vitæ viam, hanc eis euestigio deserendam, redeundumque iterum ad Deum: illos cum nihil contrà afferre possent, veritatem violenter oppressisse. Quartò, idololatriam & doctrinam falsam, quando dicunt: fecerunt, blasphemias grandes. Sicut antè dixerant de erecto ad cultum vitulo: cui non solum honores diuinos habuerunt, verum etiam laudes diuinitatis attribuerunt. Id quod fit ab omnibus idololatris: estq; contumelia in ipsam Dei maiestatem vergens ac propterea tetra ac detestanda. Quintò libertatis iterum atq; iterum restitutæ crebrum abusum repræsentant eo quod dicunt eos traditos in manum potestatemq; suorum inimicorum, inde ereptos ad peccata pristina rursus proruisse. Quod erat argumentum prauitatis deploratæ: sicut de eorum valetudine confirmanda parua spes est, qui in morbos eos subinde recidunt, à quibus modo fuerunt opera medicorum liberati. Videntur hæc de rebus eorum temporũ, quibus iudices Israelijs præfuerunt dici. Quod testatur historia. Hæc illorum peccata & si per se tetra sint ac detestanda, ac suis ipsorum circumstantijs exaggerentur: tamen quasi è regione posita bonitate & beneficentia Dei, fiunt multò grauiora. Eius signa atque argumenta sigillatim singula recensent. Primum, tradidit, inquiunt, eos in manum hostium qui illos afflixerunt: nimirum vt domita ferocia resipiscerent atque in viam redirent. Patris castigantis hoc fuit: nempe vt ab eis maiora mala arceret. Alterum, quod clamantes & opem eius implorantes exaudierit ac saluos conseruarit. Magnæ bonitatis erat, eos in pristinam libertatem vindicare, quos defectionis reos & deserere, & ipse affligere iure potuisset. Mirum sanè fit, libertum eum denuo libertate donare, qui propter ingratitudinem sis in seruitutem paulo ante retractus. Verum augent bonitatis

diuinæ magnitudinem alijs præterea notis. Prima, eum andiſſe ipſos de cœlo, id eſt excelſa ſede maieſtatis, vnde ſe demiſerit ad tutelam ac curam miſerorum: Secunda, ſecundum miſerationes ſuas multas: id eſt, non vlla vel meritorum antecedentium ratione, vel virtutum expectatione: ſed ſola ſua bonitate & miſericordia, quæ eſt cauſa noſtræ ſalutis efficiens. Tertia dedit eis ſaluatores: hoc eſt, vindices auitæ libertatis: quibus hoc auguſtum Saluatoris nomen ideo datur, quod & ſalutem mortalibus afferentia inſtrumenta Dei, & veri ſommique ſaluatoris Ieſu Chriſti typi eſſent. Ideo addunt, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum: hoc eſt è ſeruitote in libertatem vindicarent. Tertium beneficentiæ Dei ſignum, quod conteſtatus ſit ipſos, vt ad ſe redirent: innuunt nimirum monita pœnas præcedentia: quæ ſi illi audiſſent, in hæc mala nunquam incidiſſent. Obſeruanda bonitas Dei, qui etiam meritos prius non punit quàm reflectere ad pœnitentiam alio modo nequiuerit. Quartum, quòd & ſi cum punire eos neceſſe haberet, iamq; decreuiſſet: tamen in multos annos pœnam diſtraxerit. Nam cum Hieroboamus primum altare in Bethel erigeret, aderat diuinitus miſſus vates, qui cum aperta oratione pœnas minatabatur, tum miraculo in ipſius regis corpore facto verbis fidem faciebat: ſed ea pœna dilata per multos annos fuit donec in Aſſyrios abducerentur. Sic Ezechiæ prædicebat Eſaias fore vt eius poſteri captiui in Babylonem abducerentur, & Hieremias eis omnem euentum fæderum peregrinorum & belli prædixit expreſſo numero annorum, quibus in exilio detinendi eſſent. Magnum in ea mora clementiæ Dei ſignum. Quintum, non dediſti (inquit) eos in conſumptionem, nec dereliquiſti eos. Indicant Deum huius populi curam etiam euerſo regno & ipſis in exilium profligatis, tamen non depoſuiſſe, minimeque eos ad internecionem deleuiſſe. Et hiſtoriæ teſtantur eos in Babylone & Perſide ſaluos conſeruatos & vbi multis ex malis ſæpe eſſent publicè priuatimq; erepti, tandem iterum in patriam reductos ac reſtitutos eſſe. Et hæc rurſus non humanis meritis vllis, verum vti par eſt miſericordiæ Dei transſcribunt, eo quod dicunt: quoniam Deus miſerationum & clemens es tu. Quo ipſo laudes Dei magis extollunt.

32 Nunc itaque Deus noſter magne, fortis & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam, ne auertas à facie tua omnem laborem, qui inuenit nos reges noſtros & principes noſtros, & prophetas noſtros & patres noſtros, & omnem populum tuum à diebus regis Aſſur vſq; in diem hanc.

33 Et tu iuſtus es in omnibus quæ venerunt ſuper nos: quia veritatem feciſti nobis, nos autem impiè egimus.

34 Reges noſtri, principes noſtri, ſacerdotes noſtri & patres noſtri non fecerunt legem tuam, & non attenderunt mandata tua, & teſtimonia tua quæ teſtificatus es in eis.

35 Et ipſi in regnis ſuis bonis: & in bonitate tua multa, quam dederas eis, & in terra latiſsima & pingui quam tradideras in conſpectu eorũ, non ſeruierunt tibi, nec reuerſi ſunt à ſtudijs ſuis peſsiſsimis.

36 Ecce nos ipſi hodie ſerui ſumus: & terra quam dediſti patrib. noſtris vt comederent panem eius, & nos ipſi ſerui ſumus in ea.

37 Et fruges eius multiplicantur Regibus, quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra & corporibus noſtris dominantur, & iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam: & in tribulatione magna ſumus.

38 Super omnibus ergo his nos ipſi percutimus fœdus & ſcribimus, & ſignant principes noſtri, Leuitæ noſtri & ſacerdotes noſtri.

Duabus illis Iudæorum confeſsionis partibus hæc iam tertia adiungitur, qua ſupplicatio Deo facta continetur. Qua Iudæi Deum ſupplices orant, vt pro ſua bonitate & clementia, velit ipſos ex calamitatibus ac miſerijs illis maximis eripere, benignè eis conceſſa cum eorum, quæ maiores, tum quæ ipſimet patraſſent, peccatorum remiſsione: ſe viciſsim ad renouandum priſtinum fœdus, atq; ad ipſum obſignandum propenſos ac paratos eſſe. Eſt autem hæc ſupplicatio, quaſi quædam confeſsionis totius concluſio: vt quæ ſit & ad motum planè comparata, & eo ipſo, quod perinde vt confeſsio tribus ſit partibus diſtributa, concluſioni conuenientem enumerationem repræſentet. Primum enim ſummam totius poſtulationis ſuæ proponunt, poſt in eius expoſitione & dilatatione perſeuerant: demum ſpondent ſe in viam redituros. Hæc ratio præcandi non eò pro-

ponitur nobis, vt quasi cum hominibus nobis res sit, sic conemur misericordiam in Deo sofcitare: sed vt in nobis ipsis excitemus fidé, eaq; à deo quicquid nostra salus postulat, quasi extorqueamus.

Ac primum quod dicunt: Nunc itaque Deus noster, &c. idem est ac si dixissent: te Deum nostrum oramus, vt aliqua nostrarum adeò diuturnarum miseriarum cura ac commiseratione tangare, nosque ex his ereptos in integrum restituas. Atque sic quidam postulationis suæ summam quasi in conspectu Dei deponunt, eamq; mirabiliter instituunt ad motum: quando assumptis ex eius, quem orant, persona, ex sua ipsorum sorte, ex reipsa argumentis, quid sibi velint, tam amplificant, quàm edicunt. Quod prodest considerari. Ac quid sibi velint, peculiari quadam eaq; & pijs hominibus, & ipsi Deo vsitata orationis forma, si Vulgatæ versionis verba spectemus, exponunt. Ne auertas à facie tua omnem laborem, qui inuenit nos. Id est, ne quæso calamitatum nostrarum curam deponas, quasi nec videas eas, nec ad te pertinere earum depulsionem putes. Deus autem ad eos conuertere faciem suam dicitur, quos suscipere in suam fidem ac tutelam dignatur: & rursus ab ijs hanc auertere & abscundere existimatur, quos exitio suo merito relinquit. Psalm. 12. Vsq; quo Domine obliuisceris me in finem? vsq; quo auertis faciem tuam à me? Psal. 79. Ostende faciem tuam & salui erimus. Et hęc ἀνθρωποπαθῶς, id est, more humano. Nam & nos ab ijs auertimus vultum, à quibus auersis animis sumus, quorumq; fata fortunasq; negligimus: rursus intenti in eos oculis sumus, quos suspicimus, diligimus, curamus. Petunt ergo vt Deus in ipsorum miserias inspiciat: eorum curam suscipiat: non quod putent eas latere Deum, qui videt omnia: sed vt earum aspectu quasi ad commiserationem moueatur. Quemadmodú enim homines pauci sunt adeo feri, qui non aspectu calamitatú flecti ad misericordiam queant: sic censent Deum consideratione miseriarum sui populi ad ferendam opem adductum iri. Eodemq; modo ab hominú natura ac moribus ad bonitatem & misericordiam Dei ratiocinari non modo malum aut iniquum non est, verum etiam multam ac validam affert consolationem. Quod & filius Dei suffragio suo Mat. 6. & Luc. 11. itemq; Deus pater apud Esaiam sumptis ex natura parentum argumentis, & vsus ipsa, probant. Verum Hebræa verba durius aliquid significant ac maius: nimirum ipsis videri Deum hæc eorum mala cernere quidem, sed nondum adeo magna censere, vt æquent eorum quæ patrarant peccatorum pondus. Petunt igitur ne parua ducat, neúe existimet nondum satis increuisse. Grauis est hæc tentatio: quippe quæ deijcit spem. Ergo huic explodendæ rationes vndiquaq; sumptas obtrudunt. Ac primam quidem ab ipso Deo sumunt. Quæ & in ipsius Dei nomine, & in varijs eius attributis demonstratur. Deus ab illis nimirum is appellatur, quem supra, vt vnicum, rerum omnium & conditorem, & parentem & gubernatoré celebrarunt. Noster dicitur illis & omnibus pijs: scilicet iure fœderis cum patribus initi. Qua in re momenti plurimum positum habet fides. Vnde & Dominus iussit nos orare, pater noster. Magnus item dicitur: scilicet rebus gestis & nominis gloria, & præcipuè natura. Ab hac etiam ratiocinatur Moses intercedens pro populo cum Deus eos delere vellet, dicens, fore, vt gentes dicerent, ipsum non potuisse eos in promissam terram adducere. Quę res ei summum dedecus esset allatura. Fortis, Hebræorum lingua גבור. Quo nomine heroum ac gygantum vires significantur, vt quibus nec animorum, nec corporum vigor facile debilitantur. Et id de Deo, cum is vnus & sit omnipotens, & à nomine vel mutuatam vel pendentem potentiam habeat, propriè vereq; dici potest. Qua de causa pij solidam inde capiunt consolationem: vt leprosus ille, Domine, si vis, potes me mundare. Et Paul. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et alibi, Apud Deum non est impossibile omne verbum. Qua ratione sperant etiam hi Deum, modo se patiatur, vt velit, exorari, facillimè posse eos liberare. Terribilis, Heb. נורא metuendus sontibus, vt iustus iudex: hostibus sui regni, vt potentissimus vindex. Custodiens pactum & misericordiam: hoc est, habens rationé fœderis & impertiens gratiam. Spectant auté hæc epitheta fœderis caput illud, quo promittitur venia pœnitentiá agentibus & redeuntibus ad ipsum: & transeunt inde ad institutú suum de fœdere instaurando. Verum hæ rationes, quoniá monstrant eas, quę & in natura Dei lucent, & cum opus est, exerunt sese, virtutes Dei: solidam sanè pijs mentib. afferunt consolationem. Quibuscunq; ergo in locis sacrarú literarú occurrerint, adhibendæ sunt ad fulciendam spem & fidem nostrá. Porro alias etiam á persona sua sumunt: quando non solum vnum pro nomine se & populú omnem compræhendunt, verum etiá enumeratione singulorum ordinum Deum quasi flectere ad misericordiá nituntur. Et certè sunt in singulis ordinibus aliquæ misericordiæ causæ. Reges erant decus & pręsidiú regni, & qui vocabantur Christi Dei: quos nefas erat vllo modo lędere. In quib, nonnulli pietate præstantes erát, vt Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias: quidá potentia ac sapientia clari, vt Solomó & alij cóplures. Sacerdotes & Christi Dei & primogenij populi Dei, & religionis legisq; Dei custodes erát. In quib. Abaró, Eleazar, Esdras, Iesus & alij pręstantes erant. Prophetę quasi instrumenta spiritus sancti, interpretes erant & internuncij Dei. Quorú in numero Ezechiel, Daniel, & anteq; in exiliú deportati essent Esaias & Hieremias, & reuersis è

Babylone Zacharias, Haggæus, Malachias alijq; multi. Hos omnes aut saltem eorum, qui iam ante vita defuncti fuerant, posteros partim affligi tantis miserijs partim eas aspicere in alijs, durum quasiq; indignum videbatur. Etsi enim homines sumus, nec quisquam hominum adeo omni culpa vacat, vt iniuriâ Deus nobis infligere mala videri queat: habet tamen Deus rationem eorum, quibus vtitur administris, tantam: vt aliquid saltem eis pro bonitate & clementia sua soleat dare. Patres eos, qui principes familiarum alibi dicuntur, vocát. Omnem deniq; populum dicunt, sanctum scilicet illud peculium Dei. Neq; vero nulla videri inde petita consolatio potest: cum & Christus ipse in nobis eius generis solatia commonstrarit: dicens, quod Deus, cum passerum curam habeat, nostræ salutis, quam sui filij sanguine passus est redimi, longè maiorem sit habiturus. Sed & Petrus nos regale sacerdotium, Dauid gregem pascuorum Dei, Christus ipse, oues suas, quas ipsi nemo sit è manibus erepturus, vocant. Omnium maximam firmissimamq; consolationem præbet, quod nos adoptatos filiorum nomine & hęreditatis cœlestis possessione dignos duxit. Quid enim filij qui sumus, non speremus? A re ipsa ratiocinantur, quando dicunt: Omnem laborem qui inuenit nos à diebus regis Assur, vsq; in diem hanc. Magnum certè malum hac clausula significant, idq; tribus rationibus declarant. Vna, quod molestum fuerit ac graue: quemadmodum התלאה nomen Hebræum docet: quippe quod molestiam quandam fatigantem significet. Vsus est hoc verbo Moses, cum referret vt ædium Lothi ianuam Sodomitæ quæsiuerunt: cum quis multum mouendo vel parum, vel omnino nihil promoueat, plusque se fatiget quàm iuuet. Eiusmodi labor est eorum, qui actum agunt, aut qui multũ eundo & ea redeunt loca, è quibus fuerant egressi. Eo plane modo laborant qui bona amissa recuperare nituntur: vt qui aspirant ad auitam libertatem & potentiam: vt qui magnas opes profuderunt, easq; volunt recuperare. Talis omnino Iudæorum in Babylone labor fuit. Nec dissimilis etiam cum in patriam redijssent, & eos templum ædificantes & instaurantes vrbem subinde Samaritani impedirent. Huius molestiæ rationẽ habeat Deus, orant ac sperant. Estque hæc vna ex ijs quas ex ipsa causa ducunt, ratio consolationis. Altera quod ineuitabile fuisse videatur: idque inueniendi verbo declarant. Id enim quoniam de quærentibus dicitur, indicio manifesto esse potest, seuera ac graui numinis vindicta factum, vt licet fœdera vicinarum gentium, pacta, inducias, conuenta cum hostibus facerent: effugere tamen meritas peccatisq; suis attractas pœnas haud possent, verum ex omni genere latebrarum quasi missis satellitibus ad supplicium raperentur. Et sanè videmus vsu euenire, vt quando vindicta diuina deprehendendis hominibus sceleratis, velut prædæ lupus, inhiat, quicquid tentent, fieri non posse, vt effugiant pœnas. Minimèq; mirũ hoc est: quando is quærit, cuius nec oculos fallere, nec insequentis cursum effugere, nec manus euadere quisquam potest. Quin vbi vindictæ tempus affuerit, ipsi quasi in carceres aut in casses incurrunt. Et hæc est altera ratio. Tertiam afferunt illam, quod esset malum illud diuturnum: vt quod inde ab Assyriorum regum temporibus vsq; ad eum quo orabant, diem durasset. Significant autem id tempus dierum regum Assur nomine, quo decem tribus Israeliæ gentis in Assyrios fuerant abductæ. Potuissent longius initium ducere, vt ijs à temporibus, quibus Samariæ reges suas cum Syris copias aduersus Iudæos coniunxerunt, eosq; vnà adorti sunt & oppugnarunt. Sed grauiora tantum recensent. Ac capta Samaria primum Assyrios vicinos, & non pauca mala propter vicinos malos habuere: tum exilij Israelij septimo anno Senacheribus Iudæam ingressus omnia vastat, Hierosolymam obsidet, multa populo Iudæo dat damna, & pericula maxima creat. Inde ab eo tempore vsque ad exilium Babylonium belli metus, bella, fœdera peregrina, & eorum causa tumultus excitati, vrbis excidium, exilium, seruitus eaque tristis ac grauis eos vexarunt. Elapsis illis in seruitute septuaginta, vt à prophetis prædictum erat, annis, Cyri beneficio reuersi, crebris ac penè perpetuis Samaritanorum & prouinciæ præsidum insidijs & iniurijs, & tumultibus intestinis vexati sunt vsque ad eum diem, quo his de rebus apud Dominum conqueruntur. Quod tempus à capta Samaria videlicet vsque ad eum diem plus minus 320. annorum fuit. Iam cum totidem dierum spacium in molestijs & miserijs transigere graue sit & molestum onus: mirum non sit, tot annorum spacium ipsis longum visum fuisse. Ac quanquam Deus id non ignoraret: tamen vt miseriæ suæ magnitudinem exaggerent, sic summatim quasiq; vno fasce compræhensas calamitates suas exponunt.

Altera autem supplicationis suæ parte rationes ex circumstantijs ante positis assumptas pluribus verbis explanant & illustrant. Et quidem 33. versu rationem eam dilatant, quam à persona Dei sumpserant. Tu, inquiunt, iustus es in omnibus quæ venerunt super nos: quia veritatem fecisti nobis: nos autem impiè egimus. Præclara profectò confessio, qua confitentur horum malorum culpa nulla Deum, ipsos autem omni teneri. Causam eius rei reddunt illam: Veritatem fecisti nobis: hoc est, tu quod tuarum partium fuit, quodq; promisisti, cumulatissime præstitisti: nos contrà violato fœdere hæc mala nobis attraximus. Est hæc satis sincera confessio: qualis illa Da-

uidis,

uidis, peccaui Domino: & hęc Ezechiæ, bonus est sermo Domini, quem locutus es: & illa Mauricij, iusta sunt iudicia tua Domine. Huiusmodi patientia cum decet tum absoluit ac beat sontes. A persona sua ductam rationem 34. & seq. versib. explicant, quando repetunt enumerationem singulorum ordinum gentis: & huic addunt collationem beneficiorũ Dei & eorum quæ patrarant ipsi, peccatorum, itemq; enumerationem partium legis: quibus & bonitatem Dei mirum in modũ extollont, & peccatorum suorum amplificant atrocitatem. Omnium ordinum corruptio per se erat talis, vt ruinam genti minitaretur. Nec vltra parcere poterat Deus ijs, qui nullam legis suę partem obseruarent, ac neq; in templo, neq; in foro, neq; in conuictu mutuo, quod officij sui esset factitarent. Sed & cum natura rerum pugnaret, vt plura in eos beneficia conferret, è quibus nullus fructus poterat expectari. Ab reipsa petitam rationem 36. & 37. versibus explicant: Ecce nos ipsi (inquiunt) hodie serui sumus. Id est, Primum maiores nostros ex Ægyptiæ seruitutis miserijs molestijsq; ereptos in hanc promissam eis terram collocasti: dein etiam nos ipsos è Babylonio exilio in eandem iterum reduxisti: vt essemus liberti tui, nec cuiquam præterquam tibi soli deuincti: at nos neq; libertatis, neq; terræ prouentuũ vsum atq; fructum vllum capimus: quando & terrę prouentus regibus, quibus ob peccata nostra subiecti sumus, cedunt: & ipsi non solum oneribus peregrini imperij premimur, verum etiam multis iniurijs prouincię præsidum vexamur. Ad summá, ostendont, frustra sese & sine suo commodo in patriam redijsse. Nam si ipsis seruiendom fuerat, tolerabilior in Babylone, quàm in patria seruitus fuerat: nimirum vt ne dolor, quem ex amissione libertatis autæ ceperant maximum, domi veteris libertatis vestigiorum aspectu, magis augeretur. Quæ cum ita sint, spem sibi faciunt, fore, vt finem Deus his quoq; faciat malis, quando is, qui fidelis est Deus, vt ait Apostolus, non maiora, quã quę ferri queant, onera suis impomt. Pręclara consolatio.

Tertia supplicationis suæ parte videlicet 38. versu, spondent se deinceps officium facturos. Intelligendum est autem LXX. Interpretum versione verborũ Hebraicorum vim aliquanto melius expressam esse. Hebræa enim verba sic habent: אנחנו כורתים אמנה, id est, si verbum verbo reddas: Nos scindentes fidem: vel, nos scindimus veritatem: vel, nos ferimus fœdus. Participium enim כורתים à כרת scindendi verbo deriuatur, quod plerunq; adhibetur fœderũ sanctioni. Cum enim, vt Gen. c. 15. scriptum extat, Abrahamus initurus cum Deo fœdus quædam animalia fœderis stabiliendi causa ferire iussus sit: factum est dein, vt qui fœdera cerimonijs his adhibitis sancire vellent, scindere ea, sicut Romani ferire, dicerentur. Et Romanorum fœderum sanctioni itidẽ animalium quędam mactatio, & illa verba adhibebantur: Sicut porca fœdè cadat, qui fœdera ruperit. Testis est illius ritus etiam Vergilius Æn. 8. Stabant & cæsa firmabant fœdera porca. Porro nomen אמנה significat, veritatem, fidem, constantiam in promissis, pactis & conuentis. Iam quoniam hi nihil aliud agunt, quam vt vetus illud ac iam olim cum patribus initũ fœdus renouent, seq; de nouo obstringant ad obseruantiam diuinarum legum: rectè mihi quidem videntur LXX. Interpretes hæc verba vertisse: ἡμεῖς διατιθέμεθα πίστιν: id est, nos deponimus, aut, interponimus fidem, scilicet has leges ratas habituros. Et in hanc sententiam Rabini quoque hæc exponont: Rabi Solomon, sic: ובכל הרעה הזאת הבאה עלינו אנחנו כורתים אמנה לחקבה להאמין ולבטוח בו Id est, In omni malo hoc quod venit super nos, ipsi scindimus fidem ad id vt ratũ habeamus. Et R. Aben-Ezra adhibet expositioni suæ earum legum, quas potissimũ violarant, obseruantiæ promissionem his verbis: רצה לומר בכל זאת הצרה אנו כורתים לעשות אמנה וקיום ללכת בתורת האלהים אשר נתנה ביד משה ושלא נתן מבנותינו לעמי הארץ Id est, Vult dicere: In omni illa afflictione nos obligamus ad faciendũ veritaté & ad ambulandũ in lege Dei, quam dedit in manu Mosis, & quod non daturi simus de filiabus nostris (vllas) populis terræ. Ex quibus intelligitur nouam ab eis factam promissioné qua se recipiant deinceps obseruaturos leges Dei. Modum autem obligationis factæ scribendi verbo videntur indicare: nimirum quod deposuerint in aliquo publico loco mandatam literarum monumentis sponsionem. Idq; etiam R. Solomo videtur approbare eo quod sic ad hunc locum annotat: ואנחנו כותבים בספר לסבל מלכות עלינו למען תהיה לנו לעדות Id est, & scribimus in libro regni publico super nos, vt sit nobis in testimoniũ. Est aũt verisimile erectas tabulas nouas, in quibus illa publica totius gentis ordinũ omniũ sponsio describeretur, atq; etiam statis anni cuiusque temporibus pro concione publica recitaretur, eoque minus à quoquam posset in contemptum trahi. Quam sententiam astruunt etiam quæ sequuntur verba, quibus obsignatam hanc sponsionem significatur. Vbi verba Hebræa ועל החתום Vulg. versionis author, & signant, &c: Vatablus, & in illo obsignato libello sunt principes: Munsterus, & sigillati fœderis testes sunt principes nostri: Pagninus, & in libello illo signati sunt principes nostri: Vertunt. Videntur autem vel libello sponsionem illam continenti suas imagines impressisse, vel inscripsisse nomina & sigilla appendisse. Quemadmodum Romæ cum obsignarentur testamenta: vel sigilla testium obsignantium tabulis impressa sunt:

[illegible]

vel, vt indicat Suetonius, postea Neronem, vt aduersus falsarios fieret, sanxisse, tabulæ pertusæ & ter lino traiecto obsignabantur. Eodemq; modo credendum est, hos quoq; filis libello sponsionem continenti traiectis sigills sua appendisse. Nam חותם annulum signatorium significat. Verum hæc sequenti cap. authoris ipsius narratione peculiari, quo modo sint peracta, plenius ac melius explicantur.

CAPVT X.

IAM & si ex ijs, quæ ad Iudæorum confessionis partem tertiam dicta sunt, perspici potuit, Iudæos non quidem nouum fœdus vllum inijsse, verum ad eius, quod iam olim inter ipsorum maiores atq; Deum initum fuit, obseruantiam se de nouo obligasse: edita videlicet eius rei quadam publica sponsione: sicut omnium Græcorum & Hebræorum concors expositio declarat: id tamen Nehemias hoc cap. 10. multò magis eo ipso perspicuum facit, quod indicat, vt Iudæi non modo ad legis omnis obseruantiam sese obligarint, verum etiam certa quædam ex Codice repertę legis deprompta capita in nouæ sponsionis exemplum referri, idq; suo & posterorum nomine obsignari virorum principum sigillis procurarint. Quæ narratio duabus partibus omnis est distributa: quarum priore sponsionis obsignatio, posteriore eiusdem capita referuntur.

SIgnatores autem fuerunt Nehemias Athersata filius Hachelai, & Sedechias,
2 Saraias, Azarias, Ieremias
3 Pheshur, Amarias Melchias
4 Hattus, Sebenia, Melluch
5 Harem, Merimuth, Obdias
6 Daniel, Genthon, Baruc,
7 Mosollam, Abia, Miamin,
8 Maazia, Belgai, Semaia: hi sacerdotes,
9 Porro Leuitæ, Iosue filius Azaniæ, Bennui de filijs Henadad, Cedmiel.
10 Et fratres eorum, Sebenia, Odaia, Eclita
11 Phalaia, Hanan,
12 Micha, Rohob, Hasebia.
13 Zachur, Serebia, Sabania
14 Odaia, Bani, Baninu, Capita populi Pharos, Phahat-moab, Ælam, Zethu, Bani,
15 Bonni, Azgad, Bebai,
16 Adonia, Begoai, Adin,
17 Arer, Hezecia, Azur,
18 Odaia, Hasum, Besai,
19 Hareph, Anathoth, Nebai,
20 Megphias, Mosollam, Hazir,
21 Mesizabel, Sadoc, Ieddua,
22 Pheltia, Hanan, Anaia
23 Osee, Hanania, Hasub,
24 Alohes, Phalea, Sobec,
25 Rehum, Hasebua, Maasia,
26 Echaia, Hanan, Anan,
27 Melluch, Haram, Baana
28 Et reliqui de populo, Sacerdotes, Leuitę, Ianitores, & Cantores, Nathinæi, & omnes qui se separauerunt de populis terrarum ad legem Dei, vxores eorum, filij eorum, & filiæ eorum.
29 Omnes qui poterant sapere, spondentes pro fratribus suis, optimates eo-

mates eorum, & qui veniebant ad pollicendum, & iurandum, vt ambularent in lege Domini, quam dederat in manu Moysi serui sui, vt facerent, & custodirent vniuersa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius, & ceremonias eius.

Viginti nouem primis versibus capitis huius sponsionis obsignatio proponitur quadripartita descriptiooe: quippe qua primum qui, deinde pro qoibus, tertio quas ad res, quartò quo modo sponsio fuerit obsignata declaratur.

A quibus ergo fuerit obsignatio facta, posito eorum, qui sigilla sua appenderunt, catalogo ostendit. Quo ipso omnes ordines Iudaæ gentis referuntur. Ac primum in eo catalogo principibus tribuit locum, quorum in numero suum ante omnes nomen edit: non ambitiosè, verum quod præ cæteris hoc agebat ipse, vt hæc sponsio cum fieret, tum rata haberetur. Obseruandum est autem, hoc loco satis claro certoq; indicio id probari, de quo doctores alibi dubitarunt: Athersatæ nomine Nehemiam appellatum fuisse: quando nomen id inter ipsius Nehemię, & patris eius Hecheliæ nomina loco medio collocatur: nempe vt certò constet, Athersatam eum ipsum, qui Nehemias dicitur, esse. Secundo loco Leuitæ & sacerdotes nominantur, vt qui internuncij Dei & custodes disciplinæ & religionis omnis essent. His proximi recensentur capita Patrum, qui nimirum principes in quaq; familia essent. Videntur autem ijs, qui sponsionem obsignarunt, hi quoq; adnumerari, qui cum ipsi spoponderunt, tum pro se sponsionem eorum assensu fieri coram testati sunt. Idque duobus argumentis probari posse existimo: primum eo quod sub finem præced. cap. omnis populi verbis exprimuotur qui sigoarint, principes nimirum & sacerdotes: deinde quod alienum à vero & à iure & consuetudine geotium omnium sit singulos ciues, nedum mulieres & pueros factas pro sa tabulas obsignare. Credeodum est igitur obsignationem sponsionis huius publicè & in frequenti concione populi factam: in qua signatores eorum pro quibus obsignaturi fuerant, assensionem eorum ipsorum verbis expressam elicerent, & qui spoodebant, vicissim à principibus peterant, vt suo nomine literas obsignarent. In eorum, qui instrumentum publicum obsignarunt, numero plusquam octuaginta viri numerantur & nominantur. Nec mirum in libero populo tot vnis literis sigilla appendi: præsertim. cum inter ipsos gentis ordines obligatio fuerit facienda, ac periculum esset, ne prætermisso ordine vno, sponsio breni post rumperetur. Quemadmodum igitur inter socias ciuitates moris est, vt quæ simul omnes constituunt seq; facturas recipiunt, ea pro suis quæq; ciuibus communi ciuitatis suæ sigillo muniant atq; obsignent: sic in illa gente quæ principes omnes, sacerdotes omnes, ciues omnes vnà se præstituros Deo spoponderunt ea pro suis subditis principes quiq; viri obsignarunt. Ac ne qui deinde contumaciæ suæ prætendere possent, hæc ipsis vel inuitis, vel ignorantibus constituta & obsignata, singulari qoadam Nahemiæ prudentia factum fuit, vt obsignationi tabularum omnes interessent, & pro se quique sponsionem illam obsignari postularent. In quibus oominantur 28. versu reliqui de populo, sacerdotes, Leuitæ cantores, ianitores, Nathinæi: quorum nota sunt nomina & officia. Eorum autem, qui separati de populis terrarum dicūtur, appellatione, eos quidam venire putant, qui proselyti nominantur: cum fortassis eos intelligat, qui mulieribus alienigenis, quas duxissent, repudium nunciarant, seq; populo Iodæo rursus cooiunxerant. His omnibus addit eos etiam omnes, qui poterant sapere: hoc est, qui tantum ætate prouecti, tantamq; rationis seu mentis facultatem consecuti essent, vt quid ab ipsis requireretur, quid vicissim pollicerentur, non ignorarent. Quod ea de causa nimirum factum fuit, vt omni illa ætate ad dininarum legum obseruantiam obligata veteratores illi, qui tunc fortasse metu pœnarum repressi pietatem simulareot magis quam ex animo sequerentur, prius è viuis excederent, quàm liberam ab hac sponsione iuuentutem ad contumaciam possent solicitare. Atq; sic quidem Nehemias in obsignanda sponsione prudentissimè facit, vt & obsignent hi, quorum potestas erat & autboritas maxima. & illi, quorum erat, quæ conscripta & obsignara fuerant, præstare, suo nomine sigilla appendi publicè petant, Qua in re tanquam in speculo videri tria præclara documenta possunt: vnum, vt sigillorum cura ac ratio religiosa ac diligens habeatur: alterum, vt educationis puerilis ratio à primis ætatis annis inchoetur: tertium, vt totius ciuitatis salutis & disciplinæ curam ad se potissimum pertinere principes arbitrentur. Equidem sigillum Hebræi חותם vocant à verbo חתם quod & obsignare & claudere significat: Græci σφραγῖδα, quo nomine lapis annulo conclusos intelligitur: Latini à signando: quod signo imposito quid nostrum sit testemur. Sigillorum autem nomine cum annuli, tum cuiuscunq; formæ vel materiæ res, quibus obsignari tabulæ & literæ possunt, venire videntur: quando varijs vsos sigillis homioes constat. Sylla annulum habuit, in quo traditi Iogurthæ imago sculpta fuit. Augustum autem Cæsarem primum Sphingis, post Alexandri, demum sua ipsius imagine signasse fe-

Annuli signatorij

runt. Vnde & hac ipsa Cæsares alios vsos Suetonius refert: excepto Galba qui signatorium annulum habuit, in quo sculpta fuerit imago canis è prora prorue ntis. Caius Plinius Iunior Procos. Bithyniæ, Quadrigæ imaginem sigillo suo insculptam habuisse fertur. Sed alijs in populis nulli, in alijs pauci, in quibusdam omnes ferè ciues annulis vsi perhibentur. Nam apud Persas, vt Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 29. scribit, annulis nemo vtebatur, nisi quem eo iure amicitiæ intimæ ergò donassent reges: apud Babylonios contrà pleriq; signatorijs anoulis vtebantur. Apud Cattos probro fuisse vsum anoulorum Alex. ab Alex. eo quem modo citaui loco scribit. Quod argumento est nequaquam omnibus populis annulos in vsu fuisse. Et sanè Plinius maximæ parti gentium etiam imperio Romano subditarum nullos annulos fuisse: & luxo factum, vt annoli primum ornatus non etiam obsignandi causa gestarentur, scribit. Qua de causa Vlpianus in l. ad testium. §. signum autem. ff. qui test. fac. poss. quærentibus, vtrum annulo tantum, an aliquo alio impresso signare liceat, respondit: anoulo, dum habeat χαρακτῆρα, id est, insculptam aliquâ imaginem, aut signū. Cumq; annulorum aureorum vsus Romæ quidem patritijs primum & senatoribus ijs etiam, qui patritij non essent, quod nobilitatis initium senatoria dignitas afferret, pôst equitibus, postquam ad eos iudicia à Senatu translata fuere, concessus esset: minime mirum sit præter annulos etiam alia signa ciuibus fuisse, quibus ad obsignandas literas vterentur. Idem etiam Plinius lib. 33. cap. 1. videtur tam de nomine quàm de origine annulorum dubitare: nec sine scelere & maleficio primom inuentum annulum putare. Pessimum, inquit, vitæ scelus fecit, qui annulum primus induit digitis. Dein & de eorum nomine dubitatum perhibet: quando Greci illos nomine à digitis mutuato appellarint: vngulum Latini, symbolum dein ambæ gentes annulum nominarint. Ac quanquam è Græcia ad Romanos vsus eorum omnis translatus illi quidem videatur: tamen, quia Troiani belli scriptor nusquam eorum meminerit, ante ea tempora nullas apud gentes in vsu fuisse opinatur. Annulum Midæ fabulosum putat: quid nimirum & Gygis? Apud Romanos primum legatis ituris ad gentes exteras, honoris fideique & authoritatis publicæ causa datos: aliàs etiam triumphantium in digitis non nisi ferreos annulos visos. Sicut & legati ipsi domi suæ ferreis, in publico solum aureis vtebantur. Equidem Promethei fabula non obscuro argumento esse potest, communis iuris fuisse, vt optimè meriti atque excellentes viri annulorum præsertim aureorum iure & vsu donarentur. Ob eam enim causam Iupiter Prometheum & vinculis, in quæ coniectus fuerat, liberauit, & annulo, quem in sinistræ manus digito eo, qui minimo proximus esset, gestaret, donauit: quod is ei indicasset fore, vt si Thetidi misceretur, filius ex ipsis natus ipsum superaret. Meminerunt eius fabulæ Ouidius Meta. 11. & Lucianus in Dialog. cœlest. Duas etenim virtutes, fidem scilicet & prouidentiam siue sapientiam hoc premio Iupiter ornauit. Illum ipsum etiam digitum ob id, vt Macrob. lib. Saturnal. 7. autumat, præ cæteris annuli vsu ornandum duxit: quod neruus quidam ab eo ad cor pertingere videatur. Testantur autem historiæ Romanæ, nec Plinius id negat, bene meritis, & in aliquo dignitatis gradu constitutis viris, stante Repub. aureorum annulorum ius concessum fuisse: patritijs scilicet primùm: dein senatoribus etiam alijs: tandem equitibus etiam ipsis. Increscente deinceps luxu vsus promiscui esse ceperunt: aliâs Plinius autumat fieri minimè potuisse, vt Hannibal bello Punico secundo, tria modia plena annulorum ex cæsis Romanis collectorum mitteret Carthaginem. Idem videtur id etiam eo ipso astruere, quod singulis primò digitis, qui sunt minimis proximi, quemadmodum in Numæ & Seruij Tullij statuis visum, gererentur: postea pollici proximi quoque cingerentur: vt in simulachris Deorum: inde & minimo dati: in Gallia Britanniaq; & medius annulo indutus fertur. Postquam autem ius aureorum anoulorum, quod Senatus olim conferebat, vnà cum repub. in Imperatorum potestatem venit: tunc nimirum in licentiam illam aliquo modo animaduersum fuit: nempe vt aut aureis aonulis non vterentur, nisi quibus id ab Impp. esset datum: aut si qui maxime eis vterentur: tamen ideo pro nobilibus & ingenuis non haberentur. Quod ipsum Diocletianus & Maximianus Impp. in quodam ad Eumenem rescripto, quod extat in l. ij. C. de iur. aureorum annulorum, videntur non obscurè significare: quando vt Salicetus ex ea lege colligit, eos, qui iure aureorum annulorum fruerentur, non ideo ingenuos natalibus effectos censent, nisi id ipsorum beneficio consecuti essent. Sed si intra fines ordinis sui se quiq; continerent, non opus esset ad frenandum luxum vel ciuili, vel diuina coercitione. Videmus etiam fieri, vt decreta virtuti premia ausint ignaui quoque sibi arrogare. Qui morbus fecit, vt vsus annulorum etiam multò sit antiquior, quàm Plinio videatur. Hebræis certè annulos signatorios in vsu fuisse, Iudæ Patriarchæ, & Achabi, & aliæ celebres historiæ atque ipsum etiam Hebræum sigilli nomen attestantur. Verum seu annolo seu alijs rebus impressa imagine vtamur, exemplo Nehemiæ monemur, vt in tenendo recto sigillorum vsu iusti prudentesque simus. Quam ad rem plurimum

profuerit,

profuerit, & quæ sint genera sigillorum, & quas ad res, quoq; modo sit his ipsis vtendum, & quid quæq; vel commodi, vel incommodi præstent, spectare. Videntur duo potissimum esse genera sigillorum: publicum vnum, alterum priuatum. Ac publicum quidem id dicemus, quod vel vniuersitatis, vel eorū est, qui sunt vniuersitatis quasi præsides: vt sunt in ciuitate consules, in ecclesia episcopi, in collegio præpositi. Quibus annumerari forsan etiam illa possunt, quæ societas aliqua mercatorum habet ad obsignanda, quæ pro tota societate fiunt, instrumenta. In his custodiendis & rectè vsurpandis opus est prudentia ac fide. Vnde Iuris vtriusque doctores tradunt interesse episcopi vt bonæ fidei viris sigillum suum committat, & is qui sigilli potestatem habet, eo ipso in rebus sibi commissis vtatur: velut multis ostendit Abbas in c. scripta vero. de fi. instru. nu. xvij. Nec dubium est quin de virorum principum atque regum sigillis idem censeant statuendum. Vnde & Cicero Quintum fratrem, cum prętor in Asiam gubernatū prouinciam iret, vt annulum nō quasi vas aliquod, verum ceu se ipsum custodiendum duceret, monet. Et certè fœdam suæ existimationi maculam eo ipso Iudas patriarcha aspersit, quod annulum suum ei dedit, quam credidit esse meretricem: quando ipsius insignia postea publicè proposita sunt & agnita, nimirum nonnulla cum authoritatis eius diminutione. Achabus etiam & Assuerus sigilla sua parum fidis hominibus concessere. Alexander Magnus eam rationem seruauit, vt quas in Asiā literas dabat, eas Darij regis annulo obsignaret: ac suo rursus ad eas epistolas obsignandas vteretur, quas in Europam perscribebat: forsan quod putaret, Asiæ populos agnituros Darij regis ius ad Alexandrum translatū ipsos Alexandro non minus quàm Dario obligare. Sed quoniam totius ciuitatis aut regni interest, sigillo publico ne quis abutatur: omnis eius abusus est cauendus. Priuata autem sigilla quę sunt ciuium quorumque propria. Quæ cuique tam sunt diligenter custodienda, quàm fama sua cuique est tuenda. Iam & vsu diuersa fiunt genera sigillorum: ast que sigillum aliud furtiuum, quod verum quidem est, sed furtinè appositum, vt indicant Abbas & Ioan. And. in c. tertio loco, de proba. aliud rursus adulterinum quod est simile vero. Ab his prorsus est cauendum: & vtendum ijs, quæ nullo modo falsa videri queant, nempe vt & nullum cuique detur damnum, & ne falsi crimen incurratur. Baldus enim in l. falsus. C. de fur. indicat sigillum falsum in Scriptura vera adhibitū facere vt procurator falsarius appelletur. Eas autem ad res vtamur sigillis, quæ diuinæ, legitimæ, vtiles, honestæ, bonæ sunt. Quare pessimè egerunt Iesabel, Assuerus, Iudæi, alij, qui sigillis suis aut bonas causas impedierunt, aut malas promouerunt. Boni viri sit, ne nomine quidem suo nedum sigillo ad iniuriam & in perniciem bonorum abuti. Magnam verò sigilla vim habent: quando faciunt vt instrumenta authentica fiant, ac pro veris probationibus habeantur. Qua de re longa tractatio afferri posset. Prudenter Nehemias & iustè inq; causa bona sigillis suorū vsus est, Sed quod liberos etiam in concionem adducit, & illos quoque curat obligari, id indicio est, ad pietatis studia liberos ab ineunte ætate statim adducendos & assuefaciendos esse. eamque curam potissimum ad officium viri principis pertinere. Eisdem autem versibus etiam ostendit pro quibus hæc sponsio facta fuerit & obsignata: nimirum pro fratribus, vxoribus, liberis. Quæri verò fortasse queat, an ne valeat obligatio pro posteris, itemque pro liberis paruulis & absentibus facta. Sed non difficile est respondere. Etenim ad id præstandum, quod illicitum sit & malum, ne is quidē, qui promisit aut vouit, nedum is, quo absente, inscio, non consentiēte promissum sit factum, obligatur: quando iura tradunt fidem in promissis ac votis malis rescindendam. Ad iusta autem & debita officia atque studia, aliàs etiam citra votum aut promissum, tenemur obligari: quando veterator aliquis nunquam promitteret, si non promittendo fieri immunis ab officio possat. Infantes etiam in fide ecclesiæ ad baptismum afferuntur, & qui illos suscipiunt pro eis ipsis fidem Christo dare consueuerunt. Augustinus li. 1. de peccatorum meritis & remiss. cap. 19. ait: propterea fideles rectè dicuntur pueri, quoniam fidem per verba gestantium quodam modo profitentur. Quamobrem vt ciuilibus in contractibus ac negotijs hæredes & posteri tenentur ad id præstandum, quod eorum maiores promiserunt, siquidem id cum æquo & bono præcipueque cum pietate minimè pugnet: sic iustum atque æquum fuit horum posteros ad hanc sponsionem obligari. Etsi verò sponsionis huius capita sigillatim singula paulo post referantur: tamen etiam hac in parte, quas ad res sit sponsio facta Nehemias expressit hoc modo: vt ambularent in lege Domini, quā dederat in manu Moy- „
si serui sui: vt facerent & custodirent vniuersa mandata Domini Dei nostri, & iudicia eius & ceremonias eius. „
Hic eius, ad quā obligātur rei, caput & author Deus: minister & interpres Moses: genera ad cultum Dei, ad gubernationem & conseruationem societatis ciuilis, ad rectam vitæ & morū rationem posita, regulę dicuntur. Has ad res nostra sponte, ni vitiositas ingenita nobis obstaret, propenderemus. Quomodo verò sese Iudęi illi ad eas obligarint his duobus אלה & שבועה nominibus ostendit. Quorū alterū execrationem, alterū iuramentū significat. Ex quo perspicuum fit, eos iuramento interposito fidem dedisse, & nisi promissis starēt diris se deuouisse. Grauis sane &

tam fœderi, quam legi ipsi consentanea sponsio fuit. Lex enim Deut. 28. maledictioni subijciebat eum, qui non omnia faceret, quę libro legis descripta habentur. In fœdere vero iuramentum etiam adhibitum fuit, quando per semetipsum Deus iurauit. His rebus vix quicquam potest esse maius, quando iurisiurandi religionem omnes gentes maximi fecere: execrationes autem præsertim tales vix quisquam hominum non pertimescit. Magno ergo studio versati in illa sunt sponsiona. Atque hac quidem adeò grauiter & religiosè facta sponsione, eorum ipsorum magis quàm Dei causa opus fuit. Deus enim & quibus animis tunc essent, & quales essent post futuri, nequaquam ignorabat. Illis autem hæc obligatio freni vice erat, quo contineri in officio possent. Patitur ergo Deus isthæc humano more secum agi, vt quoquo modo possent intra cancellos officij contineri. Quin ipsemet in hos vsus sigilla solet suis vel promissis vel oraculis adhibere: velut in Apocalypsi cap. 5. locus de sigillis attestatur. Obseruemus ergo quanti referat vndecunq; afferre nostræ fidei subsidia: nempe vt renouata ac multum repetita auscultatione & lectione verbi diuini, sacramentis, precibus, pijs votis, quibuscunq; in officio retinemur rebus, eam subleuemus. In ciuilibus autem rebus, inprimisq; in publica vitæ emendatione valde profuerit, ad obedientiam homines vel iurisiurandi religione, vel scriptarum obligationum nexu, vel alijs iustis ac legitimis modis obligari: ne calumniæ & violandæ fidei locus vllus relinquatur.

30 Et vt non daremus filias nostras populo terræ, & filias eorum
non acciperemus filijs nostris.
31 Populi quoq; terræ, qui important venalia, & omnia ad vsum,
per diē Sabbathi vt vendant, non accipiemus ab eis in sabbatho, & in die
sanctificato. Et dimittemus annū septimū, & exactionē vniuersæ manus.
32 Et statuemus super nos præcepta, vt demus tertiam partem sicli
per annum ad opus domus Dei nostri.
33 Ad panes propositionis, & ad sacrificium sempiternum, & in ho
locaustum sempiternum, in sabbathis, in calendis, in solennitatibus, & in
sanctificatis, & pro peccato: vt exoretur pro Israel, & in omnem vsum do
mus Dei nostri.
34 Sortes ergo misimus super oblationem lignorum inter sacerdo-
tes, & leuitas, & populū vt inferrentur in domum Dei nostri per domos
patrum nostrorum, per tempora à temporibus anni vsq; ad annū: vt arde
rent super altare Domini Dei nostri, sicut scriptum est in lege Moysi.
35 Et vt afferremus primogenita terræ nostræ, & primitiua vniuer
si fructus omnis ligni ab anno in annum, in domo Domini.
36 Et primitiua filiorum nostrorum, & pecorum nostrorum, sicut
scriptū est in lege, & primitiua boum nostrorū, & ouium nostrarū, vt offe
rātur in domo Dei nostri, sacerdotibus qui ministrāt in domo Dei nostri.
37 Et primitias ciborum nostrorum, & libaminum nostrorū, & po-
ma omnis ligni, vindemiæ quoq;, & olei, afferemus sacerdotibus ad gazo
phylacium Dei nostri, & decimam partem terræ nostræ leuitis: ipsi leui-
tæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum nostrorum.
38 Erit autem sacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuita-
rum, & Leuitæ offerent decimam partem decimæ suæ in domo Dei no-
stri, ad gazophylacium in domo thesauri.
39 Ad gazophylacium enim deportabunt filij Israel, & filij Leui pri
mitias frumēti, vini, & olei: & ibi erūt vasa domini sanctificata, & sacerdo
tes, & cātores, & ianitores, & ministri, & nō dimittemus domū Dei nostri.

Explicata ea parte narrationis huius, qua restaurati fœderis obsignatio proponitur: proximum est, vt ea quoq; consideretur, qua nouæ sponsionis capita recitantur. In qua videntur eas potissimum leges memorare, quas & ipsi maximè violarant, & procliue est passim violari. In vltima prioris partis [illegible], qua habetur expressum, quas ad res populus Iudæus hac noua sponsione fuerit obligatus, non difficile erat, quid se facturos reciperent, videre. Sed emphasim quandam habet hęc illorum capitū commemoratio noua, propter latentē in ea admissorum scelerū illorū confessionē.

Ac primum

Ac primum verſ.30.cum dicunt: Et vt non daremus, &c. Obſtringunt ſe ad tollenda matrimonia peregrina,& ad obſeruantiam earum,quibus hæc vetabantur,legum. In confeſſo erat hanc legem præcipuè violatam & quidem à principibus viris. Quorum exemplo fiebat,vt cæteri tantò magis impunè peccarent,eoq; latius ſerperet,vireſq; maiores acquireret malum. Hanc legem multis de cauſis vindicatam ac reſtitutam oportuit: nimirum vt ab impurarum gentium conſortio ſegregati peculium Iehouæ eſſe poſſent: vt à religionis rectæ & veteris diſciplinæ via minus auocarentur: vt ſanctiores eis liberi naſcerentur,& à matribus,in quibus maximus edocationis puerilis eſt labor,minus corrumperentur. Quare & ciuiles & piæ cauſæ legem illam poſtliminio reuocabant. Piæ,vt eſſe populus ſanctus & peculium Dei poſſent: ne ſi partus ventrē ſequeretur, Ethnici Iudæis ſuccederēt in poſſeſſione diuinæ hæreditatis. Ciuiles,vt educari ſanctius ac melius poſſent liberi,& vagæ libidines,quæ pleriſq; gentibus exitium attraxerunt,cohercerentur,ſicq; commune periculum ab aris & focis depelli poſſet.

Secundum ſponſionis huius caput 31.verſu comprehendunt,eoq; etiam ad legis ſabbati reſtitutionem ſe ſuoſq; obligant. Verum ijs vtuntur verbis,quibus non obſcurè ſignificatur,eum apud ipſos morem inoleuiſſe: vt ſi gentes exteræ,quæ nulla ſabbati religione ducebantur,aliquid vel annonæ, vel mercium ipſis etiam ſabbatis importarent, illi poſthabita commodis ac deſiderijs ſuis ſabbati religione,id omne quicquid eſſet,ab eis emere minimè vererentur. Qua ratione & religio ſabbathi, & ſacrificantium atq; verbum diuinum audientium numerus plurimum minuerentur: quandoquidem illis rebus vacabant. Idq; probari poteſt ijs quæ poſtea dicuntur cap. 13. de mercatoribus illis vrbe exactis. Ergo legem illam quoq; reſtituunt: & vt indicent hæc ab illis ſummo ſtudio agi,diligenter exprimunt circunſtantias perſonarum,rerum,cauſæ,temporum,modi. Perſonas notant nomine populorum terræ: quo ſignificant exteras nationes. Occurrunt autem hac notatione obiectioni tacitæ eorum, qui dicerent homines peregrinos ad Iudaicarum legum obſeruantiam nullo modo obſtringendos: & illis damnum eſſe in mora,ſi non poſsint aduectas merces ante diem craſtinum diſtrahere: pleroſq; ignorantia peccare: ac ſi ſic impediantur, deinceps aliud nihil allaturos,eoq; fore, vt vrbs annona ac rebus neceſſarijs deſtituatur. Nehemias aliam rationem init: tanti fieri debere patrias eaſque etiam diuinas leges, vt nullius exteri cauſa violentur. Exemplo illo diſcimus,non eſſe cuiquam populo committendum,vt patrias leges ſuas inprimiſq; diuinas vllius hoſpitis cauſa violari inq; contemptum abripi patiatur. Non eſt hoc officium illis vel vtile,vel neceſſarium, nec fortaſsis etiam gratum: ciuibus contra plurimum nocet, & parum eſt honeſtum. Res ſuis nominibus etiam ipſas exponunt. מקחות, id eſt, quaſcunq; merces, quæ quidem venum exponi poſſunt. שבר alimentum, annonam, frumentum ſignificat. LXX. Interpretes ἀγορασμὸν καὶ πρᾶσιν contractus,emptiones, venditiones vertunt. Quicquid ſit, illicitum volunt: cum alijs rebus exercendis ſabbatum ſit diuinitus inſtitutum: his ipſis diſtrahendis alij dies & quidem plures ſunt tributi. Cauſam impietatis huius aliam non referunt,quàm vt vendant. At quæ hæc erat? an non erat iniquum vt illorum turpis lucri cauſa tam ſancta lex aboleretur? Tempus ipſius ſabbati nomine notant. Sabbatum Deus ſanctum eſſe & diuinis ſtudijs dedicatum iuſſit in Decem legum tabulis, Deut 5. Leuit. 19.22. Huic poſtea ſunt addita alia quoq; tempora ſacra, vt paſchatis,pentecoſtes,tabernaculorum feſti dies,quos illi diei ſanctificati nomine complectuntur. Iam ſi ſua quibuſq; rebus tempora debentur: etiam ſacris rebus ſabbata ſunt tribuenda: ne ſi & hæc prophanis rebus tribuantur,nullum deinceps rebus ac ſtudijs diuinis tempus reliquū fiat. Modum in legis huius reſtitutione eum ſeruaturos ſe pollicentur, vt ſi peregrini mercatores aliquas illuc merces attulerint inſcijs ipſis & inuitis: nihilominus ciuibus omni ſit interdictum emptione. Quo futurum ſperant,vt ſi nulli ſint emptores,illi velint,nolint,à venditione ſint ceſſaturi. Hæc ſponſio non minus humanis quàm diuinis legibus conueniens eſt. Erat ſabbatum diuinitus conſtitutum,vt eo ipſo pietatis exercitia florerent: veluti lex ipſa non ocij tantum, verum etiam ſanctificationis mentionem facit. In hac lege duæ ſunt partes obſeruandæ: vna moralis ſeu potius naturalis, altera cerimonialis. Hæc poſterior pars Iudæorum propria fuit, & vſq; ad Meſsiæ tempora debuit obſeruari. Quocirca Meſsia nobis iam dato, quicquid hæc lex habet cerimoniale, id eius aduentu ceu ſolis ortu abolitum ſcimus. Chriſtus enim eſt veritas & corpus,& omnis ſabbati complementū,cuius aduentu figuræ omnes euaneſcunt. Ideo Coloſ.2. Paul. ſcribit ſabbatum vmbram fuiſſe rei futuræ,corpus & ſolidam veritatis ſubſtantiā nobis extare in Chriſto. At illa prior quæ naturalis eſt ratio, quoniam omnibus ſeculis atq; populis æquè conueniens eſt & neceſſaria, nec annumerari Moſaicis vmbris, nec vlla ſui parte poteſt aut debet antiquari. Nam & opus eſt certo aliquo die ad conuentus ſacros,in quibus verbum diuinum audiatur, & ſacramenta adminiſtrentur,& preces fiant: & æquum atq; pium eſt aliquam hominibus ac iumentis noſtris quietē indulgeri. Quamobrem priſci Chriſtiani ſuam à cerimonijs libertatem ſic ſibi ſaluā conſeruarunt,

vt ſanctum illud ocium in ſequentem diem, quo Chriſtus reſurrexit ac quietem cœleſtem nobis reddidit, reiecerint, eoq; naturalem huius legis partem in eccleſia nobis integram conſeruauerint. Hoc Impp. Chriſtiani ipſi quoq; ſpectarunt, quando ſuis legibus dominicæ diei religionē monuerunt. Etenim Leo & Anthemius Impp. in l. dies feſtos. C. de fer. ſic mandant: Dies feſtos maieſtati altiſsimæ dedicatos nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis pactionum vexationibus prophanari. Inprimiſq; diem dominicum ſanctum haberi volunt. Extant etiam in xij. tab. legibus, tit. t. cap. 4. bonæ de ferijs leges, quibus vetatur, ne, qui liberi ſunt homines exercitio litium forenſium ſeſe mutuo vexent: neúe ſerui laborent quicquam. Horum imitatione etiam nos ad diei dominicæ piam obſeruantiam deducemur, ſi quidem vitata ſuperſtitione, verbum & ſacramenta & pias preces tractemus. Qua in re quis ſit adhibendus modus, nec Ethnici ignorarunt: quibus vulgo tritum prouerbium fuit: neceſsitas non habet ferias. Ac ſi quis roget, quid liceat aut non liceat ſabbato facere: tenendum eſt reſponſum Sceuolæ, qui rogatus quid ferijs agere liceret dixiſſe fertur, quod noceret prætermiſſum. Et in hanc ſententiam multa habet Vlpianus in l. j §. ſed excipiuntur, & duabus legib. ſeq. ff. de ferijs. Nec ſilentio prætereundum erit, quod ad ſabbatum ſpirituale pijs omnibus obſeruandum horum exemplum Beda transfert: nempe vt à prauis actionibus ad quas natura procliues ſumus, feriemur, & Deum in nobis operari ſinamus.

Eiuſdem verſus vltima clauſula tertium huius ab Iudæis factæ ſponſionis caput comprehendit, quo Iudæi ſe aſtringunt ad obſeruantiā legis eius, quæ de anno ſeptimo lata fuit. Quæ quidem
3
Leuit. 25. cap. extat ſcripta. Qua in lege ſpectari conuenit eius quod inſtitutum iam fuerat feſti terminum, nomen, ritum ſiue rem ipſam, vſum. Annus ſeptimus initium ducebat à menſis ſeptimi decimo die. Ac ſabbatū terræ dicebatur, quòd eo anno quaſi quieſceret terra, ac neque aratro, neq; ligone, neque raſtro vexaretur. Dicebatur etiam Hebr. שנת השמיטה, id eſt, annus dimiſſionis: quod terram quaſi miſſam facerent, negligerent, non attingerent vllo inſtrumento. Ritum autem ipſum verba legis explanant hoc modo: Quæ ſponte gignet humus, in agro tuo nō metes, & vuas vltro creſcentes non colliges. Quæ verba nonnulli in eam ſententiam accipiunt, vt putent eorum prouentuum vſu prorſus omni interdictum poſſeſſori. At D. Auguſtinus quæſt. in Leuit. q. 89. ex eo, quod lex dicit: Sed erunt vobis in cibum, tibi & ſeruo tuo. ancillę &c. colligit diuerſum, hoc dicens: Satis aperuit, nec dominum agri prohibitum veſci eis quæ non adhibita cultura illo anno ſponte naſcantur, ſed fructus redigere prohibitum. Eodem anno creditores exactione debitorum prohibebantur Deuter. 25. Hæc lex tota ciuilis fuit, & ad ſuccurrendum inopiæ ciuium lata: quippe qua promittebat Deus ſe penſare velle benedictione ſua damnum ex ea re acceptum: ac rurſus minitatur exitium ijs, qui legem illam violarent: Leuit. 26. Hier. 34. Has leges vna hac ſponſione comprehenſas omnes complectuntur, ſeque ſeruaturos pollicentur. Exactionem vniuerſæ manus videntur dicere omnis generis onera ac debita: forma dicendi penè Germanica, allerhand arbeit vnd beſchwärden. Onerum autem illorum, quæ ea tempeſtate ipſi ſuſtinebant, genera, ſupra cap. 5. recitantur: quæ lege erant comprehenſa, & Leuit. & Deuteron. capitib. ante citatis recenſentur. Erant inter ipſos eo tempore, qui ciuium facultates exactione debitorum nimis rigida propè exhauſerant. Eos Nehemias antea quidem ſeuera caſtigatione repreſſerat, iam nouæ obligationis nexu arctius vincit, & ad id abſtringit. vt anno ſeptimo nec enatas fundis ſuis fruges, nec ſibi debitum æs alienum à quoquam exigerent. Minimeq; mirandum anni illius obſeruantiam ceu repagulum oppoſitum huic malo. Multum enim habuit hic annus & varium vſum. Primum aſtro-
1.
nomicum: quod ad colligendas centurias annorū ratio facilior eſſet. Quemadmodum enim Olympiades Græcis, luſtra ſua Romanis priſcis: deinde recentioribus indictiones in vſu fuere: itemque in magnis libris alij decades, alij centurias, alij chiliades habent: ſic Hebræi ſuas heptades peculiaribus nominibus appellatas habuere. Vnde & his hebdomadibus annorum ad quinquageſimum annum, quem iubileum vocant, quaſi per gradus aſcendebant. Septem enim annorum ſeptimanis
2.
euolutis quinquageſimum, qui iubilęus erat, inibant. Oeconomicus dein erat vſus eius: quando hoc otio dato fundi quaſi vires iterum colligebant, multoque plus fructuum poſt afferebant. Ter-
3.
tiò politicus vſus erat: quod caueretur hac lege, ne ex auitis poſſeſsionibus prorſus eijcerentur, qui vel prodigi, vel obærati, rebuſque afflictis exhauſti penitus eſſent: coercerentur contrà qui inhiabant aliorum ciuium agris. Quos prophetæ grauiter reprehendunt: vt videre eſt præſertim
4.
apud Nehemiam & Hieremiam. Quartò myſticus legis huius vſus fuit: quòd viderent pauperes ciues, quorum nulla cura principes ferè tangi ſolent, ſummę curæ eſſe Deo: Dei quoque beneficium ingens in hoc poterant obſeruare, quòd hæc terra tanto fœcundior alijs eſſet terris, vt cum agri cæteri tertio quoque anno hoc ocium requirerent, terræ ſanctæ fundi ſeptimo demum anno ſibi id poſtularent, & nihilominus vberes prouentus frugum darent. Sed & quantam Adamus fœlicitatem habuerit ante lapſum, cui terra ſponte fruges dedit, videbant. In primis autem ſubire po-

tetat

terat eorũ animos cogitatio de sabbato cœlesti & sempiterno. Inde etiam nonnulli cõijciunt ansam Heliæ datam, vt putaret elapsis sex millibus annorum, mundum destructũ iri & initium æterni sabbati futurum, in quo genus humanum sine & cibo & potu & generatione, sit in sempiterna vita, iugiq; contemplatione & fruitione Dei conseruandum.

Trigesimo secundo & trigesimo tertio versibus quartum sponsionis huius caput comprehendit. Eo vero se suosque ciues Iudæi astringunt ad contribuendas pecunias, & eas omnino ad res, quæ requiruntur ad cultum Dei. Qua in re diligentiam adhibent miram, quando exprimunt quantitatem contribuendæ pecuniæ, & eam, cuius causa fieri contributio debebat, ipsam rem, & eius partes, & finem. Quantitas pecuniæ erat tertia pars sicli. Siclus autem, vt Hieronymus in Ezechielis ca. 4. annotat, stater est: id est, drachmas quatuor valet. Idem in Genesim scribens existimat siclum esse vnciam. Iosephus eum quatuor Atticis drachmis æstimauit. Verùm hoc sicli genus sacrum erat. Aliàs duo sicli genera fuere: vnum eius, quem vocabant sanctuarij: alterum contrà, qui vulgaris seu communis esset. Siclus sacer 20. obulos, id est, drachmas quatuor habet, sicut Exod. 20. Moses ipse dicit. Drachma autem obolos quinque valebat, velut Iosephus & Hebræi æstimant eum. Iam illos verisimile est siclum sacrum dedisse, nempe tertiam eius partem, scilicet obulos sex & duas tertias oboli partes: circiter cruciferos decem. Rem ipsam cuius causa contributio fuit instituta, עבדת, id est, seruitutis siue ministerij nomine significant. Idem ferè Græci λειτουργίας, id est, oneris siue publici muneris nomine exprimunt: omnem nimirum sacerdotis actionem, & res, quas sacerdotes tractant. Quæ cum diuinitus essent institutæ, nequaquam poterant citra culpam prætermitti. Partium autem singularium enumeratione se explicant ipsi magis ac magis: quò omnibus quid antè posito nomine sibi velint, constet. Cumque sine dubio alia alijs magis neglecta fuerint: quæ præ cæteris à negligentia ac contemptu ipsis videantur vindicanda, hac ostendunt enumeratione. Primo loco לחם המערכת, id est, panem ordinationis ponunt. Intelligendum est autem quatuor genera panis eis, qui seruirent in æde domini fuisse: primus erat panis communis: secundus, quo vti in sacris epulis solebant reliqui ciues, qui non erant sacerdotes: tertius, quo Leuitæ, eorum coniuges, & liberi vescebantur: quartus omnium sanctissimus, quo soli sacerdotes & eorũ filij intra tabernaculum vescebantur. Qui panes ex purissima similagine cõfici consueuerunt, instituto Dei per Mosem Leuit. 24. promulgato. Varijs vero nominibus appellabantur. Hic quidem לחם המערכה, id est, panis ordinationis, ab ערך ordinandi verbo: quod certo ordine dispositi, videlicet seni in mensa iacerent. Hoc enim verbum ex vsu disciplinaque militari in primisque ex instructione acierum ad vsum illum sacrum translatum fuit. Rursus 1. Reg. 21. alio nomine לחם הפנים, id est, panis facierum vocantur: quod eos panes lex iuberet, quasi in conspectu Dei deponi. Rursus קדשים, id est, sancti dicebantur, quod eis vesci, nisi sacris initiati viri non auderent. Græci vocant ἄρτους ἐνωπίους, ἄρτους τῆς προθέσεως, ἄρτους τῆς προθέσεως vocant. Cur hos instituerit, lex ipsa dicit: vt esset hic panis memoriale: hoc est, non modo pars stipendij sacerdotibus decreti, verum etiam monumentum, quo spectatores monerentur, alere Deum & fouere suos, & eorum preces exaudire: quod & thure panibus imposito significabatur. Eademq; de causa nimirum hi monumentum illud sacrum arbitrati sunt retinendum. Secundo loco referunt sacrificium perenne. Id Hebræa lingua מנחת התמיד, id est, vt plerique exponunt, iuge sacrificium appellant, Eius ritus & species Leuit. 2. enumerantur. Videtur autem iuge sacrificium ex eo dici cœpisse, quod esset quotidianum. Quoque enim die mane & vespere offerebatur. Cur autem Minhę nomen ei fuerit datum, de eo variæ sunt Doctorum opiniones. Placuit alijs, quod esset quasi quoddam oblatum Deo donum: alijs ab offerendo, seu adducendo: alijs à placando visum est dici. In eum vero finem fuit institutum, vt esset monumentum bonitatis & clementiæ Dei, quæ pijs precibus quotidie est impetranda. Agnoscebant etiã diuinitus acquiri fruges eas de quibus offerentur. Tertio deinde loco memorant holocaustum sempiternum, quod Leuit. 1. describitur. Cur hoc genus sacrificia עלת Hebræi vocant, causæ variæ redduntur: vel ab ascendendo, quod sursum tendat fumus: vel à conficiendo, quod totum conficiatur & euanescat. ὁλοκαύτωμα & ὁλοκαύτωσις Græci vocant. Hoc antiqui patres magnis in periculis etiam ante & post latam legem obtulerunt: vt cum arca sua Noha patriarcha exiret: cum Israelitæ cladem à Beniaminijs accepissent: cum periculum à Philistinis impenderet. Significabat autem hæc figura: naturam nostram, quæ prorsus esset infecta, totam oportere absumi & renouatam offerri Deo. Quamobrem hoc quoque sacrificij genus tam sanctum tamque magnas res significans se retinere in suo cœtu velle pollicentur. Quarto loco sanctificata referunt קדשים Hebræi vocant. Eorum nomine Liranus eos dies festos dici putat, qui quidem non sint instituti mandato Dei, verum humano arbitratu decreti publicæ testificationi gratæ erga Deum voluntatis pro aliquo insigni beneficio dato. Videntur autem ea potius illi dicere, quorum fit mentio Leuit. 5. & 12. quibus alienigenæ, & immundæ mulieres vesci

non potuere. Quę de his seu quoad tēpus seu quoad ritus attinet, lege pręscripta erant, hęc eadem illi quoque se rata habituros pollicenur. Quinto, pro peccato, scilicet expiando hostias destinatas: quæ & peccata appellantur. Huius sacrificij ritus omnis Leuit. 4. cap. & aliquanta cap. quinti parte prolixe copioseque descriptus extat. Paul. Rom. 8. transfert eius mysterium ad Christum, eumq; ipsum peccati nomine per antonomasiam appellat. Et alibi: Eum, qui nō nouit paccatum pro nobis peccatū fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei per illum. Ex quo perspici potest, voluisse eos spem venturi Messiæ diuinitus instituto sacrificij genere fouere & conseruare. Sexto, In omnem (inquiunt) vsum domus Dei nostri. Hebraica veritas pro vsus nomine מלאכה, id est, opus, habet: eoque nomine videtur omnes res, quæ essent religionis ergo gerendæ in templo, significare. Nec dubium est, quin etiam ad ipsam ædem sacram sartam tectam conseruandam pecunias colligi voluerint. Id enim non minus erat pium & honestum, quàm vtile & necessariū: quando quo animo essent erga Deum affecti, sumptibus ad ornandam eius domum liberaliter contributis facilè comprobarent: sicut Dauid noluit sibi cedrinam, Deo nullam domum esse. Decebat etiam eos, vt quoniam huius Dei cultum suscepissent ac profiterentur, quicquid ad augendū eius honorē pertineret, summa ope eniti, vt præstarent. Et quia paruo sumptu caueri poterat, ne qua parte sacra domus vel aqua pluuia, vel quacunque alia de causa fieret ruinosa, valde eis vtilis hæc ipsius conseruandæ cura fuit. Neque enim est auaritia alia sibi nocentior, quàm qua fit, vt parui sumptus deuitādi causa magna iactura attrahatur. Quod iacturæ genus ferè videmus in ædiū cura neglecta præsertim viduas, aut ignauos ac negligentes etiam patresfamilias, aut tutores pupillorum attrahere. Tempora autem tria referunt præ cæteris obseruāda: sabbatum, calendas, solennitates. Sabbati obseruantiam iterum atque iterum repetunt, quod præ cæteris partibus cultus diuini vulgo neglectum obseruassent: idque faciunt exemplo Mosis, qui ipse etiam licet in Exodo multa de sabbato præcepisset: tamen iterum Leuit. 19. in Num. & in Deuteron. prius latas eadem de re leges in memoriam reuocauit. Ea vero sabbato fieri volunt, quæ lege præscripta erant: quorum etiam in Nouo Testamento mentionem spiritus sanctus facit: vt lex recitaretur in conuentibus sacris, aliaque pietatis exercitia vigerent. Calendas autem Hebræi חדשים, quasi dicas noua, appellant: Græci clarius exprimunt rem ipsam τῆς νεομηνίας appellatione. Significat enim id nomen nouilunia, primos videlicet cuiusq; mensis dies, quos à noua luna inchoabant: quibus etiam erant offerenda certa sacrificia, Nume. 28. Solennitates autem Hebræi vocabant מועדים hoc est, statas ferias: cuiusmodi primitiuorum & alij dies sacri fuere: Num. 28. Quæ tempora volunt obseruari. Finem autem harum rerum obseruatione spectatum vno quasi verbo notant: vt exoretur pro Israel. Quam sententiam Hebræis verbis Nehemias sic effecit: לכפר על ישראל, id est, ad expiandum pro Israel, scilicet quatenus poterant expiare. Poterāt autem hoc eis præstare eo solum modo, quo ceu sacramenta ab vmbris eos ad corpus nempe Christum deducebant, in quo vno Deus nobis reconciliatur. Qua ratione fit, vt in Psalmis & prophetis sacrificia sine fide oblata repudientur. Hęc enim obedientia, si fidem radicem habeat, placet Deo, & testis est pietatis. Prudenter autem Nehemias & plane ex vsu reip. facit, vt beneuolentia diuina populo suo concilietur. Idem enim Persici reges & Alexander pro salute sua fieri voluere. Estque hic finis religionis, vt sua Deo gloria, salus nobis propagetur.

Quintum caput suæ sponsionis 34. versu proponunt, eoque profitentur se daturos ligna ad alendos ignes holocaustorum. Vouent autem hac sponsione legis eius obseruantiam quę de fouendo igne perpetuo in ara holocaustorum, Leuit. 6. descripta extat. Verba legis sunt illa: Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subijciens ligna per singulos dies. Et, Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Iam quo seueriorem obseruantiam legis huius hæc verba requirunt, hoc grauiorem illi sibi faciendam censent sponsionem: expressis videlicet eius obseruantiæ modo, persona, ea, quam seruaturos se spondent, re ipsa. Ac modum quidem sortium nomine repręsentant. Erant tempora periculosa ac plena perturbationum, & obsessa tenebātur circum vrbem itinera. Quare non vt olim, vnus & alter comportandis ad alendū ignem illum lignis sufficiebant: quin oportebat eam ad rem deligi complures, eosque prouidos & audaces. Cumque res hæc esset plena periculi, nec quinis se libenter his obijceret: sorte placuit experiendum, quibus potissimum esset excurrendum. Quæ cum esset ciuilis atque ab omni vel superstitione, vel curiosa rerum futurarum inquisitione remota, præcipueque ad fouendam pacem concordiamque excogitata: nequaquam est iniquam vituperanda. Etenim quos sors delegisset: ijs omnis excusatio pręrepta fuit: tantoque & promptiores ad res gerendas erant ipsi, & ijs, qui in vrbe manerent, minus inuidebant. Personarum hæc facientium numero, sacerdotes, Leuitæ, populus continentur. Sacerdotum erat ex numero suorū deligere, qui ligna ad alendum ignem illum de parata strue quotidiè ad focū sacrum apponerent: Nathinęorum, vt adueherent: populi, vt sumptus & operam suā eam

ad rem suppeditarent. Iam quia tristissimis illis rebus & præsertim exilio adeo longo credibile est, Nathinæorũ ordinem multũ diminutũ fuisse: non dubium est, quin pauciores superessent, quàm ad hanc rem peragendã temporibus ijs sufficerent. Ergo opus erat auxilijs. Vbi cum suũ quiq; officium faciunt magnam laudem merentur. Res ipsa, quam agebant, erat sacri ignis alimonia. Huius instituti superstitiosa quadam imitatione quædam etiam gentes flagrarunt. Chaldæi suum Ignem perpetuum habuere: Athenienses vt Plutarchus indicat, in Prytaneo perpetuum ignem opera viduarum, itemque apud Delphos fouerunt: Romani in Collegio virginum Vestalium perpetuos ignes aluere. Idẽ de Ægyptijs Diodorus & de Persicis Magis alij scribũt. Verũ hoc typo Deus vim mortis Christi in omnia secula sese extendentem præsentare potius voluit, quàm vel Ethnicis vel nobis ad superstitionem occasionem præbere.

Sextum sponsionis suæ caput 35.36.37. versibus proponunt, ijsque pollicentur, omnium, quæ eis siue è terra, siue ex animalibus, siue ex se ipsis nascerentur, prima quæque, vt lege præscriptum fuit, oblaturos Deo. Quæ sponsio cum ipsa quoque multa & varia comprehendat, multis circumstantijs illustratur: quando res, tempora, locus, modus, exprimuntur. Res cõmuni nomine בכורי, primogenia dicuntur, id est primo edita partu. Censent hæc deberi Deo, vt qui sit omnium principium & author. Erat autem magna dignitas ac potestas primogeniorum. Eius conscientia fiduciaque elatum Caium putant eò ferociorem fuisse aduersus fratrem. Quod Iacobus de Rubeno dixit, prior in donis, maior in imperio, id aliquo modo ius illorum repræsentat Duæ eis portiones hæreditatis, sacerdotium, regnum debebantur. Rubenus autem hæc omnia scelere amisit, ac duplicem portionem Iosepho, regnum Iudæ, sacerdotium Leui, sicut indicat Targum Hierosolymitanum, cessit. Nec causa caret, quam hac in re spectauit Deus. In primogenijs exerit se primum vis genitalis parentum: ex eo quoq; tempore, quo cæsa sunt Ægyptiorum primogenia, Deus hoc illorum ius cõstituit, velut Exod. 13. indicatur. Quæ causa ad pecora quoq; spectat ac monet etiam horũ primogenia Deo offerenda, quod Ægyptijs sua primogenia Deus olim occidisset. Varia vero fuere genera primitiarum. Veluti noualia Deut. 26. manipuli die paschatis altero offerendi, Leuit. 23. primitiæ panum duorum fermentatorum in festo pentecostes, Leuit. 23. placenta ex noua pasta, priusquam vescerentur panibus ex frumento nouo confectis. Num. 15. granorum item quæ nondum essent commolita, sed è recentibus spicis igne adustis excussa. Sed & hoc loco nonnulla genera recitantur. Quæ illi sponte se Deo oblaturos quotannis, & ad ædem Dei, pollicẽtur. Eum autem in his offerendis modum obseruare velle sese spondent, qui diuina lege præscriptus esset. Quod tutissimum & duplici de causa bonum fuit. Vna, vt ne errarent, & quo magis placare vellent hoc magis offenderent Deum. Altera, vt probare Deo officium suum magis possent, quando ad ipsius nutum ac voluntatem præstaretur. Hoc enim in prophetarum libris passim testatur, se traditionibus humanis frustra coli. Erat autem lege præscriptum, vt homines primogenij quinq; siclis quique redimerentur: ex animalibus quæ poterant immolari, immolarentur: quæ essent immunda redimerentur, ita vt Exod. 13. scriptum extat. Est exempli optimi stare præscriptis diuinis. Primogeniorum autem vsus quadripartitus fuit. I. Primogeniorum in Ægypto occisorum monumentum. II. Gratæ erga Deum datorem voluntaris attestatio. III. Cederet redemptionis pretium alendis sacerdotibus ministris religionis. IIII. Messiæ, qui primogenitus omnis creaturæ & multorum fratrum est, typus extaret. Christus enim ideo primogenitus appellatur, quod in ipso demũ reliqui filij Dei sunt adoptati & facti filij Dei: quod penes eum sunt omnis potestas, sacerdotium, & regnum. De primitijs autem alijs D. Hieronymus super Ezech. 45. cap. scribit ad hunc modum: Primitiua quæ de frugibus offerebant, non erant speciali numero definita, sed offe„ rentium arbitrio derelicta. Traditionemque accepimus Hebræorum, non lege præceptam sed ma„ gistrorum arbitrio inolitam: qui plurimum, quadragesimam partem dabat: qui minimum, sexge„ simam: inter quadragesimam & sexagesimam licebat offerre quodcunque voluissent. Quam tradi„ tionem quocunque loco habuissent: offerebant tamen hæc ipsa ad testandam gratitudinem, ad po„ stulandam benedictionem Dei, & lætam fruitionem earum, quas in vsus suos recondebant rerũ.„ Placuit hic ritus etiam alienis à diuina lege hominibus, vt Pythagoræ, Porphyrio, theologis Ethnicorum, qui statuerunt dijs offerendas primitias earum frugum, quas quique mortalibus largiti essent: vt nouum Bacho vinum, nouas Cereri fruges, alijs alias primitias frugum. Hæc etiam ad nos transferemus, si quas quisque dotes diuinitus accepit, earum vsum atque fructum conferat ad propagandam gloriam Dei.

Septimum Iudaicæ sponsionis caput, 37. versus aliquanta parte & duobus reliquis proponitur, cum dicunt: Et decimam partem terræ nostræ &c. Ea vero pollicentur se & de suis prouentibus daturos decimas sacerdotibus ac Leuitis sustentandis, & vt ex suis Leuitæ etiam alendo summo sacerdoti vicissim decimas soluant, summa fide & diligentia curaturos. Quæ res, quoniam ad

sustentationẽ sacerdotij maximè pertinebat, peculiari capite cõprehensa proponitur: eo tamen ordine & modo, vt certis & perspicuis verbis quid, quibus, quibus itẽ ex rebus, in quos vsus, quo modo sit dandum, exprimatur. Ac primũ quid daturi sint, partis decimæ nomine declarant. Intelligũt autem, vt facile est videre, decimam prouentuum portionem. Et sanè ius decimarum vel ipsa lege Mosaica antiquius est. Abrahamus enim Melchisedecho decimas dedit: Iacobus etiam in Bethel decimas vouit: Plutarchus & Varro testes sunt Herculi decimas datas. Illi vero non vnum genus decimarum vouent: sed vnum earum, quas Leuitis dabant, de quibus scriptum extat vlt. Leuit. alterum earum, quas ex suis Leuitæ summo pontifici persoluebant: præter hæc duo genera aliud præcipitur Deut. 14. his verbis: Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascũtur sibi, repones intra ianuas tuas &c. His tribus generibus nonnulli quartum addunt earum, quas Israelius quisq; in borreo condere iussus, post profectos Hierosolymam in vestibulo templi cum sacerdotibus ac Leuitis conuiuio exceptis esitaret. Iam primi generis decimas se daturos promittũt: secundi generis vt dentur, se curatoros pollicentur: quippe quæ sont annuæ. Postremi generis meminisse Mosem Deut. 12. putant, cum dicit: non poteris comedere in oppidis decimam frumenti & vini. Verum Deut. 12. forsan earum fit mentio, quæ in vsus pauperum tertio quoque anno colligebantur: quarum nonnulla pars in hosce etiam vsus poterat cõferri. Quibus autem hominibus decimas sint datori, notatis nominibus & partibus & officijs eorum docent. Ac Leuitarum nomine tribum Leui quæ sacerdotio consecrata fuit, omnem notant. Cum enim hæc omnibus terræ portionibus esset exclusa, portionis suæ loco decimas accipiebat. Secundò sacerdotem Aharonis filium nominant: eoque notant omnem Aharonis in officio sacerdotij summi successorem. Eum dicunt cũ Leuitis in decimis Leuitarum futurum: hoc est, suam quoque in ijs habiturũ portionem. Leuitæ etiam offerent, inquiunt, decimam decimæ: id est, huc adigentur opera nostra, vt quas pontifici ipsi de suis debent, eas summa cura persoluant. Tertiò משרתים id est, ministrantes siue seruientes nominant, id est, seruientes, ministrantes: vt ostendant se nolle alere turbam ociosam: sed ijs, qui strenuè se gererent, quod satis erat daturos. Eo sane videntur vtcunq; profiteri bonũ & æquum esse victum ex altari illis solui, qui altari inseruirent. Quibus ex rebus sint daturi, terræ prouentuum nomine exprimunt. Intelligunt autem eas res nimirũ, quæ Leuit. 27. verb. legis exprimuntur: scilicet de pomis arborum, frugibus, armentis, gregibus, quæ sub virgam pastoris veniunt. Terram autem ipsam עבדה id est, seruitutis nomine appellant, vt simul etiam miseriã suam exprimant: nempe, quod aliorum sit quicquid habent. Æquitatis erat, quod agnoscerent exclusos terræ possessione Leuitas, idque damnum eis decimarum solutione pensandum. Huius autem studium æquitatis augetur eo quod etiam ex ea terra, quæ multis maximis oneribus premebatur, libenter erant decimas soluturi. Quos in vsus vellent dare, id indicio fuit, quod dicunt ad domum Dei nostri, gazophilacium, domum thesauri. Hæc enim loca significant sustentando ministerio sacro se daturos: quando erant quasi cellæ & horrea & penuaria religionis ministrorũ. Quomodo dare velint, id indicio est satis manifesto, quod dicunt: non deseremus domum Dei nostri: hoc est, non patiemur nostra auxilia ad sostentandum cultum Dei desiderari: promptè, piè, liberaliter, quicquid ad tuendum cultum Dei pertinet, soluturi sumus. Equidem in hoc instituta pensio decimarum fuit: vt agnoscerent aspirante laboribus nostris Deo omnia prouenire, proindeque æquum esse & pium, vt ex eo quod Deus dedit, toto, partem decimam non grauatè demus vt studerent conseruandæ religioni, cuius administratio aliter nequit conseruari. Quamobrem hoc illorum factum conueniens est legibus diuinis, & æquo bonoque consentaneum, & vtile maximeq; necessarium conseruandæ ciuili societati. Quocirca sanè, quam in partem sit exemplum eorũ nobis accipiendum, arbitror considerandum. Etenim videmus plærarumque gentiũ consensu vsuq; receptum ius decimarum; multos contrà videmus existimare, iniquam omnem earum exactionem. Et in eam quidem opinionem illi maximè inclinant, qui nec tributa, nec vectigalia, nec census ex contractu debitos vllos, nec ipsum etiam mutuum, qua par est fide soluunt: sed nouas tabulas & omnia diuina ac humana iura è medio sublata vellent. Nec desunt Theologi, qui illas oegent iure diuino institutas: & alij iure positiuo, alij aliter institutas putẽt. Mihi vero cautius hac de re dicendum videretur: cum vt ne seditiosis ac periuris hominibus fenestra ad res nouas aperiretur: tum vt ne conscientijs hominum laquei ponerentur: denique vt ne qui boni viri, nedum ciuitates atque principes iure suo fraudarentur. Arbitror etiam Anabaptistas, furens ac turbulentum hominum genus, ideo verbi ministros de eo, quod accipiunt stipendia apud plebem traducere, & καπηλεύειν aut καπηλεύοντας, hoc est, Bauchpredger appellare, vt postquã hoc apud populum obtinuissent, non deberi videlicet quicquam stipendij ministris Euangelij: deinceps ad antiquandum ius decimarum, ad neganda tributa atque vectigalia, ad euertendum ordinem magistratuum & iustum ciuilis gubernationis statum iustiore causa aut ansa potirentur. Est igitur. Canonici Iuris Doctores

hac in

hac in causa afferant multa non per omnia recipienda: prius tamen omnino sunt audiendi, quàm condemnandi: estque prudenter & sedatè considerandum, quatenus eorum de decimis placita vel admitti, vel repudiari possint. Quam ad rem requiritur, vt primum quid apud eos decimarum appellatione veniat: dein quæ ponant decimarum genera: quid denique de quoque eorum sit ac videatur statuendum, consideremus.

Ac primum quid decimarum nomine veniat apud eos, est ante omnia dispiciendum. Nam & in historijs Romanis, & in iuris ciuilis libris decimarum aliarum genera memorantur. Equidem in historijs Romanis legionum decimationes memorantur, quibus fiebat, vt non de tota aliqua multitudine, quæ deliquisset, supplicium sumeretur: verum decimus quisque sorte lectus pœnas daret, hocque modo pœna ad paucos, terror ad omnes perueniret. Meminit etiam decimationis huius Tertullianus scribens ad Scapulam præsidem Carthaginensem. Aliud præterea decimarum genus illud esse Iureconsulti putát, cuius Vlpianus in l.ij. ff. de polli. meminit, dicens: Si decimam quis bonorum vouit: decima non prius esse in bonis desijt, quàm fuerit separata. Hanc enim gl. in extra nobis de decimis, debitam ex voto, illam alteram de iure debitam decimá vocat. Aliud item decimarum genus Speculator in Rub. de dec. refert eius videlicet decimæ, quæ decima litis, seu quantitatis libello comprehensæ appelletur: at docet de ijs, quas in præsentia dicimus, nullum Iuris ciuilis Doctoribus, omnem Canonici Iuris authoribus sermonem esse. Eam autem Hostiensis § j. de dec. hoc modo definit: Decima (ait) est omnium bonorum mobilium licitè quæsitorũ pars decima Deo data, diuina constitutione debita. Hæc definitio, nisi in licitè quæsitis bonis, tam animi, corporis, externa bona, itemque lucis huius vsuram seu omne eius, quam in his terris agimus ætatis tempus numeremus, angustior est, quàm vt omnia, quæ Canonici Iuris Doctores constituunt genera decimarum complectatur. Quod paulo post, cum ad expositionem generum ventum erit, melius intelligemus. Sed & si corporis & externa bona caduca sint ac fluxa: affectiones item [illegible] & [illegible], id est, sic comparatas, vt moueri mutariq; facile queant, Aristoteles existimet: Habitus tamen, vt pietatem, scientiam, intelligentiam, artem, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam [illegible], id est diuturnus & eiusmodi, vt ægrè mutari possint, idem arbitratur. Et rectè mea quidem sententia: cum hæc bona certum sit non solum non interire, verum etiam tunc cum vinculis corporum soluti fuerimus, perfici & prorsus impleri. Quare mobilium nomine videntur vel arte & labore quæsita, vel e terris prouenientia, vel vtrinque accidentia bona significari. At licitè quæsitorum nomine quæcunque malis artibus, rapina: vt vsuris, vt furto, vt sacrilegio, vt lenocinio, vt latrocinio, vt alio quocunque scelere & maleficio parta fuerint, excluduntur. Deo datam vocant, quod Deo dari videantur, quæcunq; ministris eius dantur. Quæ particula vel Christi & apostolorum testimonijs iudicijsque probatur. Matth. 10. dicente Domino: Qui recipit vos me recipit: & qui me recipit, recipit eum, qui misit me. Postremo dicit debitam constitutione diuina. Mitiganda vero fuerit hæc clausula certa quadam distinctione. Etenim lex Mosis omnis est triplex: vt quæ partim ad cerimonias, partim ad iudicia, partim ad morum disciplinam referatur. Cerimonias autem aduentu Christi prorsus antiquatas cum Paulus & apostoli reliqui, tum Christus ipse, docent. leges de iudicijs & gubernatione ciuili vel recipi, vel prætermitti posse, velut vsus tulerit, in confesso est apud omnes: morales autem perpetuas esse nemo nescit. Videtur autem hæc lex de decimis aliquid cerimoniæ simile præsertim quo ad hæc ipso numero comprehensa ac bene cognita mysteria, habuisse. Deinde & iudiciale fuit illud, quod æqualitatem inter huius gentis tribus hæc lex eo ipso conseruauit, quod cum Leuitis nulla terræ portio fuisset assignata: damnum ex re datum monuit collatione decimarum compensandum. Illud autem in ea morale fuit, quod ministris cultus diuini iussit alimenta de publico dare. Iam si cogitemus, ad cerimoniarũ obseruantiam homines Christianos haudquaquá astringi: & ex ciuilibus legibus ea solum, quæ sibi conuenientia sunt, posse eligere: perpetuum contrà vigorem esse moralium legum: non difficile erit, quid perpetuum ac diuinitus constitutum hæc de decimis lex habeat, existimare. Obseruandum tamen est in omni tractatione de decimis, vt ipsum nomen Theologi Scholastici latius accipiant, quàm Iureconsulti. Cum enim eas, quæ de bonis mobilibus dantur hoc nomine accipiant: Theologi quoq; alijs de rebus soluendas decimas tradunt. Quò fit, vt quemadmodum antè diximus, angustior illa ab Hostiense posita decimæ definitio fiat, quàm vt omnia genera complectatur. Fieret autem fortassis latior ac plura genera cõplecteretur, si pro mobilibus licitè quæsitis, omnia quæ diuinitus dantur bona, poneremus.

Tria autem decimarum genera traduntur: primum earum, quas spirituales vocant: secũdum earum, quas appellant temporales: tertium earum, quas dicunt esse substantiæ temporalis. Ac spiritualis quidem hæc illis dicitur, quam, vt aiunt, hæc materialis quasi figura quædam repræsentat, quamque pendit ex sui scilicet agnitione profecta modestia ac gratitudo, quando homo, quicquid

in se viderit boni, id omne sibi diuinitus datum agnoscit ac profitetur: rursus quicquid habuerit aut perpessus fuerit mali, id sibi ipsi fert acceptum. Sicut Ose. 13. dicitur. Perditio tua ex te Israel: tantum in me salus tua. Ex quo perspici potest, ab his decimas spirituales dari, qui suorum bonorum omnium vsum atque fructum ad propagandam gloriam Dei conuertunt. Quod genus decimarum Hieronymus super Malachiam scribens videtur commendare cum dicit: Possumus decimas & primitias sic interpretari: si quis doctus & eruditus in lege Domini potest alios erudire, non debet suæ attribuere prudentiæ ingenioque quod possidet: sed gratias agat primum Domino qui cũcta largitur, deinde sacerdotibus & ministris à quibus est eruditus xvj. q. j. reuertimini. Hoc genus decimarum esse perpetui nec vnquam abrogandi iuris, atq; ad eius solutionem omnes homines obligatos teneri nequaquam est dubitandum. Temporalis autem decima videtur illis dici, obseruatio quadragesimæ coniuncta cum magna quadam animi deuotione & ieiunio. Hoc genus instituit Gregorius Papa de Consec. d. v. c. quadragesima: his additis causis, quod eius temporis dies, decimæ sunt anni. A prima (ait) dominica quadragesimę, vsque in pascha Domini sex hebdomadæ computantur: quarũ videlicet quadraginta dies & duo sunt: ex quibus dum sex dominici dies abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quàm triginta sex dies remanent. His addendos censet hebdomadis prioris dies quatuor, vt quadraginta dierum numerus impleatur. Hoc enim videtur nos ad exemplum saluatoris propius adducere: vt quemadmodum is quadraginta septimanis fuit in Vtero sanctæ virginis matris, totidem mensibus in his terris docens obambulauit, & totidem diebus in ieiunio perseuerauit, totidem itẽ horis mansit in sepulchro, & postquam à mortuis resurrexisset, æquè multis diebus discipulos doctrina ac consolatione ad euangelicum munus instruxit: sic illis quadraginta diebus nos in sancta obedientia, abstinentia, exercitio verbi diuini & eleemosynis perseueremus. De hoc genere post dicemus plura. Tertium genus est, quod dicunt materiæ vel substantiæ temporalis: videlicet decima pars fructuum, qui nostris ex bonis percipiuntur. De quibus decimis Leuit. vigesimo septimo præceptum & alijs in locis extat.

His positis tribus generibus decimarum, quarum solutionem populo Christiano diuinitus impositam partim Canonici Iuris Doctores, partim Scholastici Theologi tradunt: deinceps quid de quoque genere sit statuendum, est considerandum. Ac de primi quidem generis puta spiritualium solutione, nemo, opinor, ambigit, quin hæc diuini sit & naturalis, & nunquam antiquandi iuris. Nam vt animi, corporis, externa bona quæcunque habemus, diuinitus data agnoscamus, eorumque fructum omnem ad propagandam Dei gloriam conuertamus, recta ratio dictat. Chrysostomus in Gen. 14. hom. 35. dicit Abrahamum decimis Melchisedeco datis doctorem nobis factũ, vt declarantes gratitudinem, primitias eorum, quæ nobis à Deo dantur, offeramus. Et Dominus Iesus proposita de talentis distributis parabola, docet, augeri bona bene vtentibus, & hæc eadem ingratis & negligentibus auferri. Idque Esaui, Coræ & sociorum, Heli filiorum, Saulis regis, Salomonis, Nabuchodonozoris, Herodis, Iudæ proditoris exemplis facilè confirmatur. His enim ea, quibus abusi fuerant, bona vel exitio fuere, vel prorsus sunt ablata. Rursus ijs constat aucta sua bona, qui his pie & rectè sunt vsi. Verum hæc res certior est & notior, quàm vt opus habeat expositione longiore. De secundo vero genere decimarum, earum nimirum, quas de tempore soluendas censent, si quod arbitror, nihil extra ac præter expressum Dei mandatum sit recipiendũ, quid videatur, non difficile est dictu. Nam & institutum ipsum, & rationes quibus astruitur, merũ sunt inuentum humanum. Nec eget hoc iudicium probatione, quoad ipsi non alias attulerint rationes ex scripturis sacris depromptas. Equidẽ Gregorius in Matt. 4. cap. vbi de Domini tentatione agit, dicit: Vnde fratres charissimi, sicut offerre in lege iubemini decimas rerum, ita ei offerre contendite & decimas dierum. Piè, credo, hoc excogitatum à Gregorio: sed obijci id genus inuentis humanis illud potest: hæc, vt ut pie videantur excogitata, frustra tamen coli Deum traditionibus humanis. Ac cogitandum est, nos, si Deum arbitratu nostro colamus, non ipsum, verum nostra somnia colere. Neque enim omne studium religionis quantumuis alienum à mandatis diuinis Deo placet: sed id demum, quod ad Dei nutum ac voluntatẽ sacris literis expressam, est conformatum recipit ac probat. Aliàs Deus Protei cuiusdam instar ad cuiusque opiniones ac somnia transformandus esset. Quod est alienum ab eius natura. Sic in hoc quoque genere decimarum verbum diuinum potius quàm iudicium humanum spectemus. De tertio genere decimarum extat in Veteris testamenti libris expressum præceptum Dei: de primo quid statuendum sit, & complura scripturæ sacræ loca, & ipsa ratio dictat: at illud secundum nec ratio, nec scriptura requirit. Nam vt ieiunemus sacræ literæ monent: quibus anni partibus & quanto spacio temporis ieiunium durare debeat, nusquam definiunt. Ac si de tempore sint soluendæ decimæ Deo, qua ratione id fieri queat, & an solo ieiunio præstari possit, haud facilè dixerimus. Verum vt peccatis nostris moriamur,

mur, cum Chriſto ſepeliamur, & in nouam vitam reſurgamus, & eleemoſynis & precibus, & ſermonibus inuicem ædificantibus vacemus, & ſacras conciones audiamus, magnopere noſtra refert: ſed per omne tẽpus ætatis noſtræ, non ſolis illis quadraginta diebus: ni illis ipſis elapſis ſuum inſtar reuerti libeat ad lutum ac cœnum. Sin alio tempore plus quàm Deus requirat, alio contra ac ipſe præcipiat omnia, perpetuo minus quàm debeamus, libeat præſtare, & temporibus ac locis religionem alligemus: hoc conſequemur, vt dum gratificari ſtudemus Deo, ſuperbè ei illudamus. Sed hæc tribuenda ſunt partim Gregorij temporibus plenis ſcilicet ſuperſtitioſarum opinionũ, quas barbaræ gentes extinctis ſtudijs bonarũ literarum & euerſis eccleſijs ac ſcholis in Italiam inuexerunt: partim ipſi Gregorio nimis ad ſuperſtitiones ipſas procliui. Multis enim metu periculorum in deſerta loca à conuictu mortalium atque à repub. ſecedentibus, monachorum admiratio, & cultus ſanctorum paulatim increuerunt. Has ſuperſtitiones ille & confirmauit & auxit, eo quod inuocationis Diuorum publicum ritum inſtituit, & eorum oſsibus templa dedicari iuſſit. Quo referendum etiam hoc eſt, quod diaconis Siculis contra ac vetus mos eorum tulit, conſuetudine earum, quas ante ſuſceptum officium duxiſſent, coniugum interdixit: & ſpectrorũ querimonijs huc adductus eſt, vt probaret oblationem ſacramenti pro mortuis. Quorum prius ceu doctrinam à dæmonijs excogitatam Paulus damnat: poſterius cum lege Dei, non quæras à mortuis veritatem, Deuter. 18. ſcripta pugnat. Etſi igitur magnum ſit huius in eccleſia nomen: tamen hæc aliaq; declarant, emendandæ eccleſiæ normam neque ab ipſo, neque ab eius temporibus tuto peti poſſe. Verum his duobus generibus prætermiſsis, de tertio, cuius hi meminerunt hoc loco, nobis eſt potiſsimum ſermo. Illæ enim propriè vereq; decimæ dici poſſunt, quæ ſunt bonorũ mobilium Deo datæ decimæ portiones. Earum autem ipſarum aliæ prędiales, aliæ perſonales, aliæ mixtæ dicuntur. Soluuntur enim prædiales ex prouentibus prædiorum: perſonales ex opere perſonæ, vt negotiatione, venatione, militia prouenientium rerum: miſtæ ex fœtibus ac fructibus animalium, quæ partim in prædijs paſcuntur, partim hominum opera nutriuntur. De toto hoc genere controuertitur: ſint ne an non ſoluendæ decimæ: & ſi ſoluendæ videantur, omnes ne illæ, an earũ aliquæ ſolæ. Qua de re fuerit conſideratio quadripartita. Primum ſint ne ſoluendæ decimæ: 2. quibus de rebus peti poſsint: tertiò quibus potiſsimum perſonis debeant ſolui: quartò, quinam homines ad earum ſolutionem teneantur. Eaſdem enim circumſtantias in ſponſione ſua Iudæi illi videntur expreſsiſſe.

Ac primum vt conſtet, ſint ne an non ſoluendæ decimæ: primo loco rationes eorum, qui id negant: ſecundo rationum earundem confutationem: tertio argumenta, ius decimarũ ſolutionis affirmantium afferemus. Qui igitur dandas negant, his potiſsimum nituntur argumentis. I. Nullæ Moſaicæ leges, quæ quidem ſunt aut de cerimonijs, aut de iudicijs tantum latæ, homines noui Teſtamenti per omnia tenent obligatos. At lex de decimis eſt & Moſaica, & vel de cerimonijs, vel de iudicijs ſolum lata: Proinde hæc lex homines Noui teſtamenti non tenet obligatos. Moſaicam autem eſſe, quemadmodum in minore propoſitione ſtatuitur, legem illam ipſius legis verbis Leuit. vltimo probant: omnes decimæ terræ ſiue de frugibus, ſiue de pomis arborũ Domini ſunt &c. Quod vel cerimonias, vel iudicia ſpectet, vel aliquid habeat ex vtroque mixtum, eo probari poſſe cenſent, quòd ratio naturalis non magis decimã, quàm vndecimam dictet. Ergo lege decimarum non teneri Chriſtianos. II. Quęcunq; præcepta & onera nec Chriſtus nec apoſtoli populo Chriſtiano imponunt, ea non tenemur ſuſtinere. Onus decimarum nec Chriſtus nobis nec apoſtoli imponunt. Ergo ad id ſuſtinendũ non tenemur. Aſſumptioné probant hoc modo: Chriſtus dicit Matth. vltimo. Docentes eos ſeruare omnia quæcunq; mandaui vobis. Et Act. 20. Paulus dicit: omne conſilium Dei ſe nunciaſſe. Sed nec Chriſti, nec apoſtolorum ſermonibus ac literis de ſoluendis decimis vllum præceptum extat. Et quod Matth. 23. dicit Dominus: Væ vobis, qui decimatis mentam & rutam: hæc oportuit facere & illa non omittere: ad id tempus, quo lex adhuc debuit obſeruari, referendum. Concludunt igitur à Chriſtianis hominibus iniuriâ decimas requiri. III. Iniquum atq; indignum videri, noui teſtamenti & gratiæ ciues oneribus ijs premi, à quibus immunes fuere, qui ante legem latam vixerunt. Fieret autem hoc ipſum, ſi Chriſtianus populus ad ſolutionem decimarum aſtringeretur. Quare explodendum ius illud quod eſſet ſumma iniuria. Aſſumptum maius eſt perſpicuum ac certum ex eo, quod iam ea bona habent Chriſtiani, quæ priſci illi patres expectarant. Aſſumptum minus eo probatur, quod antè latam legem à nemine ſunt exactæ decimæ: ſed eas vltrò Abrahamus dederit, Iacobus vouerit addita conditione. Quocirca ſi meliora tempora ſunt Noui Teſtamenti, cauendum eſt ne qua culpa noſtra fiant grauiora. IIII. Erant priſci fœderis homines ad quatuor genera decimarum obligati: quorum primum Leuitis, omnis populus ſoluebat, alterum ſummo pontifici Leuitæ ex ſuis decimis dabant: tertium earum, quas vnuſquiſq; de populo ſeorſim reponebat, vt profectus Hieroſolymã ex his conuiuia

dicimus, primum patres illos qui ante legem latam fuere multa habuisse, quæ cum ea, quam requirit Christus, perfectione minimè conuenirent, quæq; & postea lege lata fuere vetita, & tandem per Christum emendata: ac rursus eosdem multa non habuisse, quæ paulatim Deus in mundū & suo quoque tempore inuexit: illorum tempora fuisse quasi initia vitæ humanæ. Dein dicendum est etiam, eorum ætate non opus fuisse constitutione stipendiorum ad sacerdotium sustentandum: quando primogenij, quibus iure suo portio duplex hæreditatis obueniebat, sacerdotij munere fungerentur. Sed & exempla adducta magis iubent quam vetent decimas dare: Nam si pij patres illi nemine præcipiente, vel vouerunt, vel dederunt decimas ijs, qui minus ipsis ad tuendam vitam suam egebant: multo promptioribus animis homines Christiani, præsertim Christo & apostolis hoc non modo præcipientibus, verum etiam remunerationis spe proposita velut elicientibus, stipendia dabunt ijs, quos vident aliâs ecclesiæ Dei plantandæ suam operam nauare non posse. Ad quartum respondemus: Primitias & oblationes non amplius exigi, quia sacrificio Christi sacrificia reliqua præter sacrificium laudis omnia sunt abrogata. Quare, secundū regulam, cessante causa cessant effectus. Eas autem decimas, ex quibus pauperes sustentantur, Christus noua lege magis auxit, quàm remisit: quando nullo numero nullaue mensura definitam portionem sed quicquid nobis supersit pauperibus iubet dare, secundum illud Luc. 11. Quod superest date eleemosinam, &c. Existimarim autem homines Christianos tanto minus habere quod conquerátur, quanto facilius est vnius generis decimarum quàm omnium generum onus: quodque ex vno genere quicquid & ministris & pauperibus, & alijs rebus debetur, citra priuatorum hominum incommodum datur. Sed & abrogatarum rerum nomine id negari non debet, quod ad vsus hodieque necessarios eosque publicos & communes postulatur. Ad quintum dicimus, multas esse res eiusmodi, vt vno loco mandari, rursus altero vetari iure æquo possint. Nam vt ait pro Balbo Cicero, dissimilitudo ciuitatum variationem iuris habeat, necesse est. Et huius rei pulchra exempla Theophilus in §. ius autem ciuile. Instit. de iur. nat. gen. & ciuili nempe [illegible] apud Athenienses, & [illegible] apud Lacedemonios. Sicut etiam alios alij decent mores, alios alij iuuant cibi, alius alijs prodest aer: sic alijs aliæ conueniunt & expediunt leges. Sunt alicubi nullæ exactiones decimarū: sed ijs qui decimis fuissent alendi, id incommodum alijs remedijs & auxilijs alijs pensatur. Sicut Paulus nullum de aliquibus stipendium accepit: quod haberet aliundè victum: & tamen perhibet se iure exigere potuisse, & quod certis de causis ipse fecit, ob id nolle sese, vt quisque suo iure fraudetur. Eodemq; modo statuendum est, alia ratione consultum illis esse, quibus nullæ decimæ dantur, eaq; decimas accipientibus non præscribi. Ac quemadmodum prisci reges Persarum tributa à suis subditis nulla exegerunt, cum muneribus vltrò allatis eorum thesauri perinde ac tributis augeri possent, nihil præscripserunt posteris, quibus tributa loco munerum soluebantur: sic exemplum eorū, qui ex certis stipendijs viuunt nihil ijs nocere debet, qui ex decimis viuunt. Ad sextum dicimus. Etsi decimæ & primitiæ eodem genere censeantur: sunt tamen ita graui ratione distinctæ & inter se diuersæ: vt eodem iure species ambæ minimè requirantur. Primitiæ enim quasi quædam victimæ Deo magis quàm hominibus offerebantur: vt reliqui fructus harum oblatione consecrarentur: oblationes autem in hoc à decimis differunt, quod ipsæ nulla re media interueniente, Deo offerrentur: decimæ vero sacerdotibus diuini cultus administris sustentandis magis quàm honorandis soluerentur. Quorum alterum agnoscimus antiquatum, nec vllum aliud præter sacrificium laudis requirimus: alterum dicimus, nec abrogatum, nec abrogandum. Sacrificijs ad colendum Deum, cui sacrificio Christi satisfactum est, non opus est amplius: salarijs autem, siue decimæ siue nonæ decernantur, ad alendos ministros opus est in primis, ni velimus Euangelij Christi lumen extinctum. Ad septimum respondemus, nos nec negare, nec negare posse, maximam partem hominum præcipueque sacrificorum decimis nefariè & turpiter abuti: sed si res cæsint è medio tollendæ, quibus homines pro ingenita vitiositate abutuntur: non video, quid nobis reliquum sit futurum, & an ipsi superesse queamus. Doctores abutuntur doctrina etiam sacrosancta: magistratus iure & legibus, & potestate, & vectigalibus ac tributis: omnes homines cibo & potu, corporis, animi, fortunæ bonis abutuntur. Ac si velimus affectus alicuius boni causa nobis inditos, ideo quia abutimur ipsis, tollere: quoniam eorum organa sunt in nobis ipsis collocata, ne nosquidem ipsos incolumes relinquemus. Quamobrem vt est absurda conclusio, negandum cibum & potum generi humano, quia his ipsis abutuntur: sic absurdè etiam statuemus, ideo ministris suas siue decimas siue duodecimas iure negari posse, quia magna pars eorum his ipsis abutatur. Ex his perspicuum esse existimo, nullas esse rationes eas, quibus ius exactionis decimarum oppugnatur.

Iam vero confutatis argumentis eorum, qui decimarū exactionem esse iniquam volunt, proximum est, vt argumenta ad eam confirmandam facientia afferamus. Ac quanquam vndeuis ar-

gumenta ad probandam earũ solutionem adduci possent: tamen quoniam confutatis aduersariorum argumentis periculi minus superesse videtur: pauca retulisse contenti simus. Ac fundamenti vice definitionem & diuisionem, è quibus argumenta quasi sponte sua proueniunt, ponemus. Est igitur, vt à definitione ducamus exordium, Decima, mediocris quædam ac tolerabilis, eaque partim naturali, partim diuino iure introducta, iudicioq; piorũ magistratuum cõstituta pensio, quam quisque ciuis aut incola de prouentibus suis, ipsi reipub. soluit, ad religionis ecclesiæque salutem atque incolumitatem conseruandam. Decimarum autem ipsarum, vt plerisque Iuris vtriusq; peritis placet, genera sunt tria: Vnum earũ, quæ prediales: alterũ earum, quæ personales: deniq; tertium earum, quæ mistæ nominantur. Prædiales vocant eas, quæ soluuntur de prouentibus prædiorum, vt de vino, de frumento, de auena, de hordeo, de frugum omni genere. Personales autem eas dicunt, quæ de personalium operũ fructibus penduntur: vt de negotiationis, artificij, venationis, militiæ, piscationis, alterius rei questu. Mistas rursus eas appellant, quæ de rebus partim ex prædijs, partim ex opere personali prouenientibus dantur: cuius generis sunt eorum, quæ partim prædiorum prouentibus, partim hominum opera ac cura aluntur, animalium fœtus. Ex hac ergo definitione, & ex his quæ modo recensuimus generibus decimarũ, argumenta ad probandum ius exactionis ipsarũ minimè infirma, minimeq; mala arbitror duci. Primũ à causa efficiẽte. Ea duplex in illa definitione cernitur: originem enim decimarũ partim ad ius diuinũ & naturale, partim ad iudicium piorum magistratuum dicimus referendum. Vnde duo maximi ponderis argumenta petuntur. Quorum prius erit tale. Quæcunq; iure diuino & naturali sunt introducta ac constituta, ea, sunt omnino retinenda. Hæc decimarũ pensio sic est introducta ac constituta: igitur retinenda. Minor eo probari potest, quod ratio naturalis dictat, eos, qui reipub. seruiunt contributis portionibus seu decimis seu vndecimis ex publico alendos. Videre est hoc in omnium gentiũ historijs, quarum queq; suos sacerdotes sustentauit. Veluti cũ Michas Ephraimites, cuius meminit author libri Iudicum cap. 17. idolum & templum sibi fecisset, & primum vnum ex filijs suis sacerdotẽ declarasset, dicitur manum eius implesse, hoc est, misisse eum in possessionem sacerdotij & omnium eius prouentuum. Idem etiam cum Leuitem Bethlehemiũ postea nactus esset, eumq; sacerdotem declarasset, certum ei stipendium assignauit. Eodemq; modo ante hunc Ægyptij suos magos, Iesabel postea Baalis sui sacrificos, Babylonij suos sapientes, aliæ gentes itidem suos mystas aluere. Porro iure diuino constitutum ius decimarũ esse id argumento est, quod & Moses impulsu Dei idipsum instituit, & ante legem latam sua sponte pij viri, nimirum arcano afflatu Dei, suis de bonis decimas dedere, & plereq; gentes vel decimas, vel aliâs alias sacerdotibus suis pensiones dedere. Plutarchus author est, Herculem decimum quemq; bouem ex ijs quos eripuit Geryoni in Palatino obtulisse. Cartalum item ferunt à Carthaginensibus Tyrum Herculi decimas prædæ Siciliensis oblatum missum. Sed & prædæ ex pugna Plateensi reportatæ decimas dijs datas historiæ testantur: ex qua pecunia tripodes Apollini Delphico, Iupiter æreus decem cubitorũ in Olympia dedicatus, & Neptunus in Isthmo decem cubitorum. Socrates author est Eccles. hist. lib. 7. ca. 25. Alcibiadem olim Chrysopoli statione veteri in capite Bosphori sita decimas instituisse & exigere solitum ab ijs, qui à Ponto nauigabant. Sed & captis Veijs paceque Volscis & Equis data Camillus author Romanis fuit, vt Veientanæ prædæ pars decima, quam pro victoria vouerat, Apollini persolueretur: idque Romæ & Senatus & pontifices ratum habuere. Plinius etiam libro duodecimo capite decimoquarto memorat Arabes Deo, quem Sabin vocant decimas persoluisse. In quo videre est, omnibus aut plerisque saltem gentibus hoc diuinitus insitum fuisse, vt & aliquam, & plerunque decimam fructuum ac prouentuum portionem soluendam existimarint. Hinc colligi satis certò potest decimas esse naturalis & diuini propterea que nunquam abrogandi iuris. Quò referendum est etiam, quod ex eadem causa adduci potest argumentũ: quod piorum magistratuum recto ac sano iudicio constituta sit portio decima: cui nefas sit contra venire. Cumq; danda sit aliqua portio, & eius definiendæ potestas sit penes magistratum, isque vt minus ab æquabilitate deflecteret, maluerit Dei potius exemplum in constituenda decima, quàm in excogitando alio numero iudicium suum sequi: non, opinor, quisquam, qui quidem sanus sit ac pius, huic sese opponet. Secundum à materia, quæ sunt prouentus nostrarum possessionum, argumentabimur hoc modo. Quæcunque ea lege accipimus, vt eorum partem aliquam alijs cedamus, de ijs iustum atq; æquũ est, vt portio debita persoluatur. Prouentus nostros ea lege accipimus, vt de ijs aliquam tam partem reddamus. Ergo demus. Minor probari trifariam potest 1. Quoad Deum, qui nobis ea lege fruges ac commoda largitur, vt de ijs aliquid in vsum ecclesiæ & gloriæ suæ propagationem cedat. Vnde & Innocentius dicit: quod in signũ vniuersalis dominij quasi quodam titulo speciali dominus sibi decimas reseruarit Extr. de dec. c. cum non sit. Dantur autem Domino, quæ ministris & pauperibus dantur: ac petit Dominus non præmium sed honorem: estq; singularis beneficentiæ

centiæ, quòd pro toto quod largitus est, decimá solum partem quasi remunerationis ergò poscit. Dein constat hęc quoq; ratio, quoad eum, à quo prędium quis emit: vt vel à magistratu, vel à patrono sibi locatum, vel emptum, vel iure hæreditatis ea lege accepit, vt prouentuū portionem decimam his aut illis soluat. Aliàs enim, vt nemo nescit, maioris sunt precij prædia illa quæ ab omni decimarum onere quandam habent immunitatem. Qua de causa decimas de eo prædio, quod ob onus decimarum minore emptum habes, saltem venditori deberes, si nolles alijs illud in id dominium habentibus dare. Vnde D. Augustinus xvj. q. 1. decimas dicit ex debito deberi, & eos, qui dare noluerint, alienas res inuadere. 3. Quoad ius ipsum. Est decima onus reale, quod sequitur fructuum possessorem: quemadmodum docet Bartolomæus Socinus Consil. cclxvij. nu. ij. ex gl. in c. tua nobis. de dec. & ex sententia doctorum ad c. eum non sint eo. tit. Iam cum ad reliqua prædijs nostris incumbentia onera sustinenda possessores iure & legibus adigantur: iniquum foret in hoc decimarum onere solo tergiuersari: cum eadem res minimè debeat diuerso iure censeri. l. cū qui ædes. ff. de vsucap. Hæc si in vnam summam conferamus: videre erit humani simul ac diuini iuris esse: vt quoniam hominibus quicquid ex rebus nostris debetur, damus vti par est, multo magis Deo dandos earum quas ab illo ipso accepimus rerum aliquos saltem fructus. Tertium à forma ducimus, in hanc sententiam: Nulla reip. neganda est, quæ quidem sit mediocris ac tolerabilis, pensio. Decima portio prouentuū mediocris est ac tolerabilis, Ergô nullo modo neganda. Maior propositio, si ijs, qui nulla honestatis & ęquitatis ratione ducuntur, minus esse firma videatur, vel iudicio Platonis & Ciceronis probari poterit, qui censent ortus nostri partem patriæ, partē amicis deberi: vel illustrabitur exemplis virorū fortiū, qui patrię suas animas nedū facultates impenderunt. Quod Gedeō, Dauid, Aratus Sicionius, Thrasibulus, Phileni fratres, Decij, alijq; multi fecerūt. Minorem, quod, videlicet decima prouentuū portio mediocris, sit ac tolerabilis, non difficile est confirmare: præsertim, si cū alijs exactionibus & oneribus conferatur. Ægyptij sanè quintā soluebant suis regibus. Quid quod Miris Ægyptiorū rex vectigal pisciō, qui stagno capiebantur, vxori concessit ad vsum & ornatum corporis tuendum: quod in dies singulos talentum argenti pendebat: vt author est Diodorus Siculus. Mira de aquis Nili in singulorū incolarū possessionē & vsum distributis, & vberrimo ex bis regibus debito vectigali, nobis Herodotus narrat. At hoc ipso maius ac durius quiddā in Augusti Cæsaris vita Dion refert, Augustum videlicet, cū viginti tres exercitus alere cogeretur, exegisse in eos vsus vigesimā partem hæreditatum, legatorum & donationum mortis causa factarū in qua agnatis proximis aut pauperibus relicta: præq; se tulisse tributi genus illud abs se in Cæsaris commentarijs repertū. Colchos item ferunt centenos pueros & totidē virgines regibus suis tributi vice soluisse. In Isennacensis oppidi Chronicis libris extare scriptum ferunt, Thuringos olim tam de liberis, quàm de bonis suis decimas Vngarorum regibus quotannis dedisse. Grauius etiā qui in imperij Turcici finibus degunt, homines Christiani ferunt onus: quando prouentuū & rerum quas ex artis vsu percipiunt, omniū quartas quasq; portiones, itemq; pro singulis familiaribus suis singulos scutatos pendunt: idq; si non possint præ inopia dare, vel in seruitutem sese vendere, vel tributum ipsum emendicare cogūtur. Cum his præsertim exactionibus si conferamus decimas illas, nemo non videt mediocrē esse eam portionem. Quartū à fine ducemus hoc modo: Si diuini verbi doctores, & illas in quibus hi docentur scholas, pauperes, viduas, pupillos, egestate pressos, profugos alere, captiuos eripere, pacem pecunijs redimere, vel remp. aduersus hostes propugnare pium est & bonum opus, & ad id contribuere, quæ possis æquum sit & iustum: sanè decimas, quæ in hoc sunt institutæ & exiguntur, nemo recte recusarit. Quintum ab effectis colligemus ad hunc modū: Quæcunq; data cum accipientibus, tum ipsis etiā dantibus afferunt vtilitatem, ea nequaquā sunt neganda. Decimæ bona fide datæ non minus dantibus quàm accipientibus prosunt. Ergo nullo modo sunt negandæ. Minorem quoad accipientes non necesse habeo probare. Maiores enim illis ex harum perceptione videntur vtilitates afferri, quàm inuidia maleuolorū hominum facilè ferat. Dantibus autē Raynerius author est, quatuor vtilitates datis decimis afferri: vbertatem & copiam frugū, corporis sanitatem, peccatorū remissionem, præmium cœleste. De duabus primis extat iudiciū Diui Augustini xvj. q. j. decimæ: Si decimam (ait) dederis, non solum sanitatem fructuū, sed & sanitatē corporum consequeris. Eodēq; capite etiam duos reliquos fructus exponit. Et hæc, si piè explicentur, non sont nullæ. Quin videmus quantum sacræ literæ polliceantur suū cuiq; tribuentibus, & præsertim eleemosynas dantibus: rursus infœlices esse videmus eos, qui in hac officij parte parum sunt liberales ac fidi. Sanè maiores nostri erāt ditiores ac fœliciores, vt qui in hac pręsertim re probiores essent. Sextum à contrario. Quod ingruunt multa mala rebus & fortunis eorū, qui decimas vel negant, vel mala fide soluunt, ex quibus malus eis oritur damnū quàm si quintā dedissent. Id Augustinus indicat hoc modo: Cū decimas dando cœlestia ac terrena possis promereri, pro auaritia tua duplici benedictione fraudaris.

Hæc est enim Domini iustissimi consuetudo, vt si tu illi decimã non dederis: tu ad decimã reuoceris: dabis impio militi quod non vis dare sacerdoti. xvj q.j.c. decimę. Et ead. quęst. idem ait: Non enim Deus noster postulat pręmiũ, sed honorem: & qui dignatus est nobis totũ dare, decimam dignatur à nobis recipere, non sibi sed nobis proculdubio profuturã. Et xvij. q.vij.c. maiores. Quod non accipit Christus accipit fiscus. Has calamitates si datis decimis euitemus, non parũ acquisiuimus boni. Cogitandum est autem quid si nullas decimas demus, sit futurũ: nempe vt nostro ipsorum damno facti cautiores tandem videamus aliquid in publicũ conferendũ quicquid id sit, vnde qui reipub. seruiunt, alantur. Septimum à personis accipientium, si illis datæ sunt, quorũ minor dignitas fuit: multo magis ijs, quorũ dignitas est maior, sunt dandæ. Maior est dignitas euãgelij ministrorũ, quàm doctorũ legis. ergo magis illis sunt dandæ. Iam quod in Minore de ministrorum euãgelij pręstãtia atq; excellentia statuitur, id Pauli in posteriore ad Corinth. epistola testimonio probatur. Is dicit sacerdotes & Leuitas literæ & vmbrarũ ministros fuisse, apostolos veritatis & spiritus: illos futura, hos præterita referre. Octauũ à dantiũ personis: si soluerunt decimas, qui imperfectiora omnia habuere: nos quorũ longè perfectior esse iustitia debet, multò magis eas dare debebimus. Nox enim & vmbræ præterierũt: dies illuxit. Matt. 5. Nisi plus iustitia vestra abundauerit, quàm scribarũ & pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorũ. Nonum à testimonijs Christi & apostolorũ: Paulus 1. Cor. 9. legem de bobus & ministris altaris ad ministros Euangelij transfert. Quod argumento est eum velle, vt quæ Testamenti veteris ministris olim sunt ad idipsum conseruandum data, hæc eadem noui quoq; Testamenti doctoribus danda. Cumq; Paul. Rom. 12. præcipiat suũ cuiq; persoluendum vectigal & tributũ: sanè & decima, quam tributi vice Christianus magistratus exegerit, bona conscientia negari non potest. Et sanè in xvj. q.j. decimæ. satis clarè decimæ tributa nominãtur. Ac si quod maius est, vult dari: id quod minus est ac leuius, multò minus censet negari bona conscientia posse. Eòdem referri possunt quæ Tob. 1. Eccles. 35. Deut. 26. Hebr. 7. de decimis dicuntur. Decimum argumentũ ducemus ab exemplis piorũ principum. Equidem Ezechias 2. Par. 31. instituit ordines & officia sacerdotũ, & mandauit, vt eis subministrarent partes. In quo mandato licet expressum nomen decimarũ non extaret: populus tamen vidit decimarum solutionẽ postulari, ideoq; decimas omnium, quæ terra protulit, dedit. Albertus Cranzius in sua metropoli, lib. 1. cap. 8. scribit Carolum Magnum tributa populo Christiano remisisse, & decimas ecclesijs & episcopis assignasse. Idem princeps Vuidekindo superato, cum Saxonibus episcopum Vihonem constituisset, suum ei sustentandu salarium ordinauit. Plura aliunde etiam conquiri exempla possent: plura quoq; argumenta afferri. sed hæc suffecerint.

Verum propositis atq; explicatis ijs, quæ de decimis in vtrãq; partem dici posse videbantur, proximũ est, vt ad secundũ tractationis huius caput accedamus. In quo nobis est inuestigandum, quibus ex rebus nostris decimæ debeantur. Qua de re etiã ipsa in vtrãq; partem disputatur. Existimarunt enim aliqui, nõ omnibus de rebus quæ sunt in bonis mobilibus, dandas, ac propterea per-
1. sonales decimas non deberi. Primũ, quia nec in Veteri lege exactæ fuerint. Neq; enim quisquam
2. quicquã dabat rerũ earum, quas arte & industria acquisisset. Secundò, non nisi de prouentibus frugum, & animalibus quæ transeunt sub virga pastoris, non autem de rebus venatione & piscatione partis, aut de oleribus & reliquis generis eiusdem rebus debitas olim fuisse. Tertiò, quia rerũ, quæ
3. in nostra non sunt potestate nullæ possunt decimæ dari: & quæ vel ex agris, vel ex animalibus nobis proueniunt, ea vel furto, vel rapina ablata, vel contractu, alioue modo transeunt in aliorum hominum potestatem, ideoq; de eis decimæ nullæ possunt dari. Alij contrà has rationes confutãt, & contrarias afferunt: quæ & ipsæ erunt considerandæ. Et ad primã sic respondent. Vnaquæque res secundum suã radicem est æstimanda: ea vero decimarũ solutionis est radix, vt seminantibus spiritualia, vicissim carnalia dentur: at carnaliũ nomine quæcunq; possidemus omnia continentur. Ideoq; dicendũ, Leuitis sustentandis decimas ex animalibus agrisq; prouenientium rerũ suffecisse: iam multos esse, quibus nulla sint prędia, verũ ex arte, negotiatione, vel aliundè vberrimũ quęstum esse: quos iniquũ esset nihil ad Dei cultum cõferre. Quamobrem vbi prędiales decimæ non sufficiunt, vt Venetijs, Genuæ, & alijs in vrbibus populosis: ibi censent Doctores esse naturæ iuri consentaneũ, vt personales decimæ persoluantur: ne populus prædiues clerũ habeat egenum. Et Augustinus xvj. q.j. decimæ. de militia, negotio, artificio decimas dandas docet. Ad secundum respondent hoc modo: Decimarum ius est ex fine æstimandum, nempe eo, quod verbi ministerium sit sustentandũ. Quare eorum, qui dare debent decimas, interest videre, quibus rebus respondere fini illi possint. Nam ad sustentandum cultũ Dei, quo quisq; videri vult promptior, hoc maiore fide decimas soluit. Et tales videri volebãt olim pharisęi, qui de minimis etiã rebus decimas dabãt. Quorum nõ in soluendis decimis diligentiã, sed hypocrisim & alijs in rebus negligentiã Christus reprehendit. Ad tertiã dicunt: de rebus furto rapinaue amissis decimas à nemine postulari, nisi re-

cuperentur:

cuperentur: quare de ijs fruſtra queri. Similiter queritur, an de rebus ioioſtè partis decimæ debeã-tur. Ad eam autem plæriq; Doctores reſpondent, eorum, quæ malè ſuoi acquiſita, reſtitutionem potius quàm decimas partes omni iure poſtulari: ſed tamen de prouentibus prædiorum deberi decimas: quod hi ſecundum naturam proueniant, quocunque modo poſſeſsio ſit acquiſita. Verum quibus ex rebus decimę debeantur, mea quidem ſententia finis, locus, conſuetudo, omnium optimè docebunt. Finis enim vnus idemq; iu decimis pariter ac contributionibus alijs exigendis ſpectatur: nempe vt publicæ reponantur opes ad ſuſtentandum cultum Dei & alios publicos ſumptus ſuſtinendos. Hic ab omnibus ciuibus æquè ſpectari debet. Quod ſi fiat, quibuſcunq; ex rebus quæſtus erit, ex ijs pij in patriam atq; in ipſum Deum ciues libenter, quicquid poterunt opis ad vſus publicos afferre volent. Nam qui poteſt, nec vult iuuare, crimen deſertoris incurret. Locus autem alius paſcuus eſt, alius vitifer, alius frugifer, alius nihil horum profert, ſed opportunus eſt aut ad mercaturam, aut ad alias res, ex quibus vberior eſt quæſtus. Iam vt quibus ex rebus quiſq; poteſt, ex ijs ipſis debet patriam iuuare: ſic ciuis bonus earum quas acquirit rerum decimas aut vndecimas dabit. Hæc ratio Venetijs, Genuæ, Sangalli, Norimbergæ, ſi res poſtulet, & eorum conſuetudines ac leges ferant, forſan ijs ciuibus, qui maiore publici quàm priuati ſui commodi ſtudio ducuntur, etiam ipſis ſit ac videbitur, obſeruanda. Vnde enim opes ſunt ciuibus, inde reipub. ad poſtulandas contributiones, etiam exoriuntur cauſæ. Verum omnia leges ac conſuetudo moderabuntur. Quibus enim in locis conſuetudo obtinuit, vt perſonales decimæ nullæ dentur: io ijs, niſi neceſsitas durum telum vrſerit, onera nona citra turbas ciuibus nunquam poterunt imponi. Rurſus vrgente neceſsitate, ſi magiſtratus de perſonalibus decimis in vſus reipub. religioniſq; neceſſarios perſoluendis prudenter ad populum referret: nõ video, qui poſsit eas populus bona conſcientia negare. Mercatores enim & artifices uon minus ad iuuandam remp. aſtringuntur, quàm agricolæ, & qui prædia habent. Et inæqualitatis eſſe ſimile videtur, ſolos agricolas ad hoc genus contributiones teneri. Quam rationem Petrus apoſtolus etiam ipſe ſecutus eſſe videtur, cum ad templi portam recubanti mendico diceret, aurum & argentum non habeo, quod autem habeo, hoc do tibi, In nomine Ieſu Chriſti ſurge & ambula. Cum enim ei Dominus nec aurum nec argentum, nec prædia conceſsiſſet, ex quibus aliquid in commune conferret: ſpiritus ſancti ſibi diuinitùs dati prouentuum decimas, imò fortaſsis etiam quintas dedit. Quamobrem vt hac in parte nihil temerè mouendum puto: ſic nec quicquam improbè & proteruè cenſeo recuſandum, vt ne ciuium ingratorum crimen incurramus.

Quibus autem hominibus decimæ debeant dari, de eo nullo modo controuerteretur, ſiquidem eę Rom. pontificum culpa in nundinationem non abijſſent. Quamprimum autẽ ab eccleſijs & earum miniſtris ſunt auulſæ: tum controuerti cœpit, clericis ne an laicis debeantur. Qui verbi Dei miniſtris negant dandas, hac vtuntur ratione, quod ceſſante cauſa, ceſſet effectus: hoc eſt, quod illa terræ portionum ratione ſublata ac nullum ioter homines Chriſtianos locum habente, nolla amplius neceſsitas vrgeat ad earum ſolutionem. Verum his reſpondetur hoc modo: Quemadmodum Leuitis olim nulla fuere conceſſa prædia, ex quibus habere victum poſſent: ſic nunc eccleſiaſtis nulla ſunt conceſſa artium exercitia, ex quibus habere victum poſsint. Velut ait apoſtolus 2. Tim. 2 nemo militans Deo, ſecularibus ſe negotijs immiſcet. Quare vt Leuitis, ſic illis damuum hoc penſiooe decimarum eſt ſarciendum. In quam ſententiam dicitur illud: clericos autem illos conuenit eccleſiæ ſtipendijs ſoſtentari, qoibus parentum aut amicorum nulla ſuffragantur ſtipendia. xvj. q. j. Quoniam. Porro ſi parochias ſpectemus, veriſimile eſt, ſuas cuiq; eccleſiæ proprias decimas olim faiſſe, ex quibus cum miniſtri verbi, tum pauperes alerentur. Idq; non obſcurè videtur ſignificare canon ille xvj. q. j. qui cuiq; parochiæ decimas eas aſsignat, quæ ex prædijs intra fines eius ſitis percipiuntur. Eodem ferè ſpectat, quod Carolus Magnus in Conſtit. ſuis iobet vti decimæ populi dioidantur in quatuor portiones: quarum vna epiſcopo, altera clericis, tertia pauperibus, quarta eccleſiæ in fabricis applicetur: ſicut in Decretis Gelaſij Papæ continetur. Albertus Cranzius in ſuæ Metropolis lib. 1. cap. 2. ſcribit, decimas primũ præfectis regijs datas ad ſumptus belli: quod tributorum nomen eſſet odioſum ſtudioſis libertatis, & decimarum ſolutionem religio eſſet recuſare. Ex quo deinceps ortum annales ferunt, vt multæ decimæ in laicorum poteſtatem venirent. Quanquam aliam eius rei ipſe cauſam affert: nimirum aliquam earum partem conceſſam principibus, per ſpeciem feudi, idem, beneficij titulo, vt tueri dimidiam alteram facilius poſſent: quando dimidium amittere mallent, quàm totum. Sicut ætate noſtra multi qui vocantur Prælati ſe ſuaſq; opes magiſtratibus dediderunt, quo præſidio eorum aduerſus tumultuantem plebẽ ſe ſuaq; tuerentur. Emendationis ſane ſpeciem quandam præ ſe fert, quod eccleſiæ parochiali noualium decimas adiudicarunt. Bene etiam caotum fuit, ne decimæ ab eccleſijs alienarentur, & ne quis laicorum eas vel emere, vel poſsidere poſſet: ac ſi quæ venditæ eſſent vſpiam, contractus is cen

mitatem eius propugnare. Inuenias tamen homines, qui id minimè faciant: sed sint quasi patriæ suæ parasiti, & quoad bene habuerit, manere, cumprimum affligi ceperit, discedere soleant. Vulgus ignobile metitur omnia priuatis commodis suis: rem & dignitatem publicam minus spectat. Quemadmodum hirundines & ciconiæ sequuntur æstatem, contra formidant ac fugiunt hyemem: sic illi tranquillas pacatasq; ciuitates quærunt, afflictas deserunt. Pausanias in Atticis scribit, Thraciam omnium populosissimam fuisse regionem ea de causa, quod ipsam vniuersam ante Romanos nemo occupasset: partes tantum aliquas Philippus, Alexander, Lysimachus ceperant. Sic & Roma florentibus rebus frequentissima cultissimaq; fuit: postquam autem cœpisset effusi Christianorum atq; innocentium hominum sanguinis pœnas dare, & intra annos 139. varijs malis afflicta, atq; à barbaris capta sexies esset, aliquandiu deserta mansit. Ipsa quoq; Hierosolyma Dauide & Solomone regnantibus populosa, post sæpe viris simul ac bonis omnibus exhausta fuit. Sic Græcia quæ priscis seculis ob libertatem & fœlicitatem cum incolis tum opibus abundauit, iam ob seruitutem raros incolas habet, estq; maxima sui parte in vastitatem & solitudinem redacta. Nec nullæ sunt regiones Germaniæ in quibus pauci sunt incolæ: cum quia parum tutę sunt ab incursionibus barbarorum, tum quia vectigalibus ac tributis eorum opes exhauriuntur. At quæ regiones vel libertate gaudent ac fruuntur sua, vel aulas principum, vel consistoria, vel opulenta collegia sacerdotum, vel Academias celebres ac frequentes, vel negotiationes opimas, vel artificia quæstum vberrimum afferentia, vel metalla, vel thermas, vel quodcunq; aliud lucrum afferens bonum habent: eas videmus adeo non egere incolis, vt necesse habeant leges ceu aggeres affluentibus exterorum hominum turmis opponere: vbi isthæc bona amiserint, colonos simul amittunt. Laudantur igitur principes illi, quod in vrbem & vastam ac vacuam & insidiarum pariter atq; incursionum hostilium periculis expositam sese contulissent, eiq; instaurandæ nil morati pericula studerent. Siue enim pudore, siue necessitate officij, siue, quod maioris est & melioris animi, suapte pietate & fortitudine ducti manserint: factum eorum ipsis honestum, patriæ bonum, ecclesiæ Dei salutare fuit, & quod optimi quiq; imitentur, dignum. Beda ad episcopos exemplum eorum transfert: ac docet eorum interesse, vt quantum dignitate reliquam plebem antecedunt, tantum etiã prælucere ei studeant virtute. Quod & principibus & optimis quibusq; est enitendũ.

Quo modo sit effectum, vt cum principes illi tuendæ & conseruandæ tantæ ciuitati impares essent, alij ciues ac socij his coniungerentur, eiusdem versus membro altero nunc ostendit cum dicit: reliqua vero plebs misit sortem, &c. His enim verbis indicat id trifariam factum: primum sortitione, dein vrbis conseruandæ laudibus, deniq; eorum, qui iam antea ad eius defensionem animos appulerant, commendatione. Quod versio vulgata habet: Reliqua vero plebs misit sortem vt tolleret vnam partem de decem: id Hebraica veritas ad hunc modum exponit: miserunt sortes ad deducendum vnum de decem ad habitandum in, &c. Post autem in ijs quæ sequuntur, ידות id est, partiũ nomen additur. Sed & ה he fœminini index litera apposita nomini decimæ videtur in causa fuisse, vt partis nomen addendum Vulgatæ versionis author sutumaret. Cur autem forte delecti sint, qui in vrbem deducerentur, ipsa res declarat: quod vrbs esset ea præsertim tempestate vicinis populis exosa: proptereaq; in ea commorari, cum laboriosum esset & sumptuosum tum maximo cum periculo coniunctum. Quo fiebat, vt pleriq; labores refugerent, sumptibus parcerent, pericula formidarent: quoq; longius abesse ab vrbe possent, eo plus quietis, periculi minus haberent. At res postulabat vt hanc tanta habitaret incolarum multitudo, quanta ad tuendã eam, ad attrahendum mercatores, ad augenda vectigalia requiri videbatur. Qui igitur sponte sua non accurrerent, sorte erant deligendi. An vero sic sortitio facta fuerit, vt in partes aut classes populus omnis diuisus fuerit, vt videtur partis nomen indicare & Vulgatæ versionis author sensisse, & de classibus experimentum sorte factum: vel viritim iacta sorte decimus quisq; fuerit electus, & quomodo sors sit missa, nec dicitur vllo verbo, nec nos scire exactè nostra multum refert. Sortitionis vsum hac in re & concessum hominibus pijs, & vtile confugium ad sedandas lites ac vitandas contentiones res ipsa attestatur. Prudenter igitur hoc sunt vsi modo. Alter autem modus est in ipsius vrbis commendatione. Eam principes populi sanctam appellant. Quod nomen ei passim tribuitur, vt Iohel. 3. Matth. 27. idq; non minus templi, quod omnibus etiam exteris nationibus augustum ac suspiciendum fuit, quàm totius sacerdotij cultusq; diuini causa. Quò per multum etiam momenti ipsius electionis diuinæ, qua reliquis oppidis hæc vna anteposita fuit, dignitas potuit afferre. Sperant igitur illi vel vrbis ipsius sanctitate & præstantia ciues ad eam conseruandam adductum iri, ideoq; eius commẽdatione ad alliciendos eos, qui cunctabantur, omne vtuntur. Quo exemplo monemur, vti ipsi quoq; sanctitate & excellentia & dignitate ecclesiæ nos ad eam tuendam excitemus. Hæc enim externam illam Hierosolymam multis modis excellit: vt quę est corpus & sponsa Christi, quam is suo sanguine redemptam perpetui coniugij vinculo sibi

coniunxit. Dein & eorum, qui sua sponte eò commigrarant laudibus, allicere cæteros ipse quoq; Deus hoc ipso conatur, quod populares animos excitat ad laudandum eorum fortitudinem & pietatem. Populus (inquit Nehemias) benedixit omnibus viris, qui se sponte obtulerant, vt habitarent, &c. Et benedicendi quidem verbo cum laudes, tum faustas imprecationes significat. Nec dubium est quin illos & laudibus dignis extulerint, & imprecatione fausta magis excitare conati sint. Quæ res alijs ciuibus itidem bonis, si quidem, quod optimi cuiusq; est maximè proprium, aliquo saltem laudis studio ducerentur, magno fuerit ad eorum imitationem incitamento. Quod exemplum docet, eorum qui fuerint ea quæ vel tu non audes, vel non potes, vel non vis, ausi facere, laudibus atq; commodis non inuidere, detrectare, detrahere: sed eorum virtuti debitas laudes ferre & bene precari. Actorem esse graue est etiam in re facili. Quare qui spectatores sunt, iniquum atq; indignum quiddam faciunt, si bonos & in vinea Domini strenuè laborantes viros, non solum non excipiunt vlla gratulatione, vlloque applausu, verum etiam sannis, obtrectatione, diris execrationibus persequantur. Et sanè ferè videmus vsuuenire, vt fuci, inutile terræ pondus, non solum ipsi nihil in commune conferant, nihilq; pro salute patriæ nomini Christiano conuenicns audeant, sed virorum excellentium laboribus obtrectent, & omnem laudé inuideant. Quam inuidiam Beda quoq; eo ipso reprehendit, quod dicit: Et nos sublimem vitam electorum, quam sequi imitando non possumus, congaudendo ac venerando nostram facere debemus.

Ad explendam summam totius narrationis huius de deductis in vrbem incolis, hæc iam tertia pars eius adijcitur: qua Nehemias, quibus in locis multitudo reliqua habitarit, sic ostendit, vt appareat, quarum tribuum homines tam in omni finitima Iudæa, quàm in vrbe ipsa habitarint. ,, Dicit enim: Habitauit autem vnusquisq; princeps in possessione sua, &c. ijsque verbis & loca nominat ac personas. In locis nominat primum ipsam vrbem, dein ciuitates Iuda: quæ nihil obscuritatis habent. Addit ijs suam cuiusq; possessionem. Vbi verbum Hebræum אחזה significat quocunque modo acquisitam possessionem, estq; ab appræhendendi verbo deriuatum. Videtur autem id verbum omnem acquirendi modum complecti: seu inueneris, seu occuparis, seu præscripseris, seu emeris, vel etiam hæreditate acquisiueris. Præterea additur, in vrbibus suis Israel. Ibi Liranus putat dici decem tribuum homines eos videlicet, qui vel primum erecto statim, vel deinceps euerso Samariæ regno, & decem tribubus in Assyrios abductis, ad Iudæos confugisse, cumq; eisdem in Babylonem post abducti, & inde Cyri beneficio manumissi in patriam redijsse videri possunt. Hos putat ille in decem tribuum oppida ac vicos commigrasse. At verisimilius est, quotquot Hierosolymis esse noluerunt, in oppidis Iudæorum consedisse: quando Samaritani tanto Iudææ gentis odio flagrarunt, vt illos præsertim in rectæ veræq; religionis obseruantia permanentes nullo modo tolerassent. Quò pertinet etiam, quod paulo antè versu tertio dictum est, eos partim in vrbe, partim in Iudæorum oppidis habitasse. In personis primum Israelem refert. Quo nomine vel Iudæos, qui ipsi quoq; suum genus ad Israelem referebant, vel ex decem tribubus eos, qui quondam ab Hieroboamo ad Iudæos transierunt sine dubio significat. Sacerdotes & Leuitæ & Nathinæi noti sunt ex ijs quæ sæpe de eorum origine & officio sunt antehac dicta. Filij seruorum Solomonis hi sunt nimirum, quorum 2. Para. 9. & Esræ 2. fit mentio: quorú 392. dicuntur cum Zorobabele redijsse. Hunc catalogum claudit tribuum ipsarum nominibus. Iudææ tribus erat regnú iam inde à Dauide tractum: Beniaminiæ tribus erat vrbs ipsa: sacerdotium ac templum erat penes tribum Leui. His vinculis erant coniuncti illius vrbis ciues.

4 Et in Hierusalem habitauerunt de filijs Iuda, & de filijs Beniamin.
De filijs Iuda Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amariæ, filij Zaphatiæ, filij Malalcel. De filijs Phares,
5 Maasia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonitis.
6 Omnes hi filij Phares, qui habitauerunt in Hierusalem quadringenti sexaginta nouem viri fortes.
7 Hi sunt autem filij Beniamin: Sellu filius Mosollam, filius Ioed, filius Phadaia, filius Golaia, filius Masia, filius Etheel, filius Esaia.
8 Et post eum Gebbai, Sellai: nongenti viginti octo.
9 Et Ioel filius Zechri præpositus eorum, & Iudas filius Senua super ciuitatem secundus.
10 Et de sacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Iachin.

11 Saraia filius Helciæ, filius Mosollam, filius Sadod, filius Meraioth, filius Achitob principes domus Dei.
12 Et fratres eorum facientes opera templi: octingenti viginti duo: & Adaia filius Ieroham, filius Phelelia, filius Amsi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ.
13 Et fratres eius principes patrum: ducenti quadraginta duo. Et Amassai filius Azreel, filius Ahazi, filius Mosolla-noth, filius Emmer.
14 Et fratres eorum potentes nimis: centum viginti octo, & præpositus eorum Zabdiel filius potentium.
15 Et de Leuitis Semeia filius Hasub, filius Azaricam, filius Hasabiæ, filius Boni:
16 Et Sabbathai, & Iozabed, super omnia opera, quæ erant forinsecus in domo Dei, à principibus Leuitarum.
17 Et Mathania filius Micha, filius Zebedæi, filius Asaph princeps ad laudandum, & confitendum in oratione, & Becbechia secundus de fratribus eius, & Abda filius Sammua, filius Galal, filius Idithun.
18 Omnes Leuitæ in ciuitate sancta, ducenti octoginta quatuor.
19 Et Ianitores, Accub, Telmon, & fratres eorum, qui custodiebant ostia: centum septuaginta duo.
20 Et reliqui ex Israel Sacerdotes, & Leuitę in vniuersis ciuitatibus Iuda, Vnusquisque in possessione sua.
21 Et Nathinæi qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaspha de Nathinæis.
22 Et Episcopus Leuitarum in Ierusalem, Azzi filius Bani, filius Hasabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filijs Asaph, cantores in ministerio domus Dei.
23 Præceptum quippe regis super eos erat, & ordo in cantoribus per dies singulos.
24 Et Phathahia filius Mesezebel de filijs Zara filij Iuda in manum regis, iuxta omne verbum populi.

Proposita narrationis totius summa ad partium expositionem venit: ac primum vrbis, dein agri incolas recenset. In vrbis incolarum catalogo primum Iudæis, secundum Beniaminijs, tertium Leuitis tribuit locum. Iudæorum nomina ac numerum 4.5.6. versibus compræhendit. Numerus omnium plus minus 4.6.9. capita compræhendit. Eos filiorum, quàm hominum appellatione maluit appellare, forsan ad ostendendam tribus originem. Sicut postea filiorum Phares nomine etiam nepotes intelligit. Colhoza cognomen pro nomine proprio ponitur. Silonitem eum vocat, qui de Silo fuerat oriundus. Quos Hebræi אנשי חיל, id est, viros belli, puta bellicosos vocant, hos interpres noster fortes vertit. Viris fortibus opus est ad vrbium propugnationem. Qua de causa Spartani dederunt operam, vt fortes haberent ciues, & eas res à ciuitate procul remouerent, quibus animos simul ac corpora putarunt emolliri. Quod etiam de Heluetijs priscis Cæsar scripsit.

Beniaminiorum nomina ac numerum 7.8.9. versib. compræhendit: ac numerat 928. In quo videre est virorum fortium numero tribum illam fuisse superiorem: cum quod in eorum possessione sita vrbs esset, & dulcis amor patriæ præ cæteris ipsos inflammaret: tum quod hæc tribus etiam viris fortibus semper abundasset. Quam eorum fortitudinem author gentis quodammodo vaticinatus est, Gen. 49. dicens: Beniamin lupus rapax mane comedet prædam, vespere diuidet spolia. Inter alios refert Iudam filium Senua super ciuitatem secundum: qui nimirum, vel principis vicarius & quasi à principe secundus, vel secundæ partis vrbis præfectus fuit.

Eorum qui de tribu Leui nati fuerant, numerum ac nomina, ordines item & officia & loca omnium, seu intra seu extra vrbem habitarent, recenset, cum dicit: Et de sacerdotibus Idaia filius, &c. Numerus omnium in vnam summam collectorum 1648. fuit. Ordines sunt eorum, quorum alij Sacerdotes, alij Leuitæ; nonnulli ianitores, complures Nathinæi, quibus præfectus præerat

vnus. Racensentur nomina quædam familiarum, nonnulla conditionum seu officiorum. Quod interpres noster vers. 11. dicit: principes domus Dei: id rectius, vt habent etiam nonnulla exemplaria, princeps in numero singulari dicitur. Rursus quod vers. 12. versio Latina habet: facientes opera templi: id, si verba Hebræa veluti par est, spectemus, erit legendum: facientes opus domus. Et vers. 14 potentes nimia dicuntur, qui Hebræa potentes robore, seu viri bellicosi dicuntur. Eodem versu Zabdiel filius potentium dicitur, qui magnis clarisq. ex viris ortus putatur. Versu 16. opera forinsecus fieri solita videtur ea dicere, quæ extra templum fiebant. Et vers. 17. Asaph princeps ad laudandum dicitur, qui nimirum Musicorum princeps, seu præcentor erat, & in precibus publicis & in decantandis laudibus diuinis reliquo populo præibat. Vbi dein 21. versu Nathinæorum in Ophel mentio fit, ibi Liranus villam vrbi vicinam, non arcem templo proximam dici putat. Secus sentit Rabi Solomon dicens מקום אחד אשר בירושלים, id est, locus quidam est, qui in Hierosolymis fuit. Huius sententiam sequi malim: cum quia notius est Ophel arcis nomen, quàm vt ignotus locus sit fingendus, aut ipsum tribuamus: tum quia Leuitas vrbanos æquè refert ac rura habitantes. Quod deinde 23. versu præceptum regis allegatur, id ipsum ad Darij regis sanctionem illam, qua quid cuiq; esset quotidie dandum, constitutum fuit, R. Salomon referendum existimauit. Et sanè Es. 6. & 7. Cyri decretum, quod Darius renouauit, proponitur, eoq; præcipitur, vt suum quoq; die dimensum sacerdotibus daretur: nempe vt pro salute regum & regni vota facerent. Censent alij Dauidem dici, qui id initiò sic ordinauit: quemadmodum scriptum extat in Paralipomenis. Sed & vers. 24. dicitur, in manu regis. Id exponunt pleriq., iuxta ordinationem regis. R. Salomon autem in hanc sententiam: Et iuxta omne verbum populi. Quia quid populo necessarium erat, ac mandato regis dandum, id per hunc fiebat. Atq; hæc quidem omnia de vrbanis dixit, vt eos suis meritis laudibus ornaret. Olim Romæ, quemadmodum Plinius lib. 18. cap. 3. scribit, distinctio honosq; ciuitatis non aliunde erat, quàm ex agricultura. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui ruri habitarent. Vrbanæ vero in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro. Hoc tempore & loco, vrbe excedere probro dabatur: quia patria restauranda ac tuenda fuit: sicut Athenis, cum vrbem eam Thrasibulus è cineribus suscitaret optimi & patriæ amantissimi quiq; ciues censendi fuerant, qui in vrbem ad Thrasibulum confluebant. Neutram autem in partem nimis est inclinandum: belli pacisq; studia pariter sunt retinenda. Tribus rebus ciuitas omnis sustentatur: prudentia principum, fortitudine militum, temperantia ciuium. Huius vrbis salus vel ob id propaganda conseruandaq; fuit: quod ipsa incolumi, templum, sacerdotium, Messiæ generis series integra, Mosis & prophetarum libri, religio omnis, gloria Dei viderentur simul conseruari. Qua de causa minus est mirandum hæc de huius vrbis propugnatoribus atq; incolis tanta fide & diligentia describi.

25 Et in domibus per omnes regiones eorum, de filijs Iuda habitauerunt in Cariath arbe, & in filiabus eius, & in Dibon & in filiabus eius, & in Cabseel & in vinculis eius.

26 Et in Iesue & in Molada & in Bethphalet.

27 Et in Haser Sual, & in Bersabee, & in filiabus eius.

28 Et in Siceleg, & in Mochona, & in filiabus eius:

29 Et in Remmon, & in Saraia, & in Ierimuth.

30 Zania, Odollam, & in villis earum Lachis & in regionibus eius, Azeca & in filiabus eius. Et manserunt in Ber-sabee vsque ad vallem Ennom.

31 Filij autem Beniamin, à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius.

32 Anathot, Nob, Anania.

33 Asor, Rama, Gethaim,

34 Hadid, Seboim, & Neballar,

35 Et ouo. valle artificum.

36 Et de Leuitis portiones Iudæ, & Beniamin.

Commemoratis incolis vrbis, deinceps agri incolas etiam ipsos refert, inde à 25. versu vsq; ad finem capitis deducta narratione. In quo sic versatur, vt primum Iudæorum, deinde Beniaminiorum, deniq; Leuitarum sedes ac loca notet. Ac quemadmodum antea solos principes, sic modo præcipuas tantum vrbes nominat: & oppida minora filiarum nomine comprehendit. Quemadmodum

modum enim Græci [illegible] primarias vrbes quasi minorum oppidorum matres vocant: sic Hebræi בנות oppida minora, quasi maiorum ac principum ciuitatum filias appellant. Ac Iudæorum oppida à 25. & proximis quinq; vers. recenset. Primū Cariath arba. Multis in Iudęa ciuitatibus nomen קריית, id est, Ciriath commune fuit. Significat ipsum quidem oppidum seu ciuitatem: vnde & varijs locis attribui potest. sicut apud Germanos nomina, Statt/Dorff/Berg/aut Burg/multis tribuuntur: velut Ingolstatt/Newstatt/Schlettstatt: item Anidorff/Amßdorff/Männedorff item Nürnberg/Regensperg/Fryberg/Anneberg/&c. Eodem modo olim apud Hebræos קריית id est, ciuitatis nomen quamplurimis oppidis tributum fuit: vt Ciriath Sana, ciuitas rubi, quæ est in tribu Iuda Ios. 15. vt Ciriath Sepher, ciuitas literarum, in Iuda, Ios. 15. vt Ciriath Iearim ciuitas syluarum, olim Heuæorum post Iudæorum fuit Ios. 15. Ierem. 26. Hæc autem קריית ארבע Ciriath Arba alijs videtur nomen hoc ab ארבע, id est, quatuor, quod ibi sint Adamus, Abrahamus, Isaacus, Iacobus quatuor patriarchæ sepulti: alijs contrà placet, quod ab Arbea conditore sit nomen illud consecuta. Olim etiam Hebron appellata fuit ab Hebrone Chalebi filio. Eius meminerunt Iosua cap. 15. & 20. itemq; author lib. Iudic. cap. 1. & authores historiæ Regum & Paralipomenon. Dibon, si verbum ipsum exponas, significat abundantem filium, aut abundantiam intellectus vel ædificationis, vel Syriace fluxū. Vrbis nomen est eius, quæ primum Moabitarum, postea Sehonis Amorrheorū regis, tandem Rubeniæ tribus propria fuit, vltra Iordanem ad Orientem sita, Ios. 13. Fuit & in Moabitis alius locus eodem nomine in quo colebantur idola: cuius Moses meminit, Num. 21. & Hieremias cap. 48. Siue ergo Iudæi quoq; nomine eodem vocatum aliud oppidum fuerit, siue Rubenium illud Iudæi beneficio regis occuparint, aliorum iudicium esto. Kabzeel, id est, congregatio Dei, ciuitas Iudææ fuit, & quidem primaria vt indicant eius viculi, qui hic nominantur. Mentio fit eius Ios. 15. 2. Reg. 23. 1. Par. 11.

Versu 26. tria oppida nominat. Primum est Iesue, Heb. ישוע huius nusquam alibi, quod sciam, fit mentio. Verisimile tamen est Iudæorum proprium fuisse, quando fas eis fuit, suos homines in eo collocare. Secundum Molada, Hebr. מולדה, id est, generatio, vel natiuitas: fuit autem Iudææ ciuitas, & eiusdem nominis alia Simeoniæ tribus. Ios. 15. 1. Paral. 4. fit earum mentio. Tertium Beth phaleth, Hebr. בית פלט, id est, domus liberationis siue expulsionis, oppidum Iudææ, Ios. 15. teste.

Versu vicesimo septimo ciuitates duas nominat. Quarum prior Bersabee dicitur Hebr. באר שבע fons fœderis seu iuramenti, ab iuramento seu fœdere, quod eum Abimelecho rege Gerar Abrahamus olim inijt, Mose teste Gen. 21. & eo, quod cum eodem Abimelecho pepigit Isaacus Genes. 26. nominata. Est autem in finibus Iudææ & Ægypti situm oppidum: vnde & Iosephus Antiquit. Iud. lib. 8. cap. 13. putat Israeliæ ditionis terminum extimum esse, ab Australi scilicet plaga. Hanc ciuitatem Barbari nunc Gibelinam vocant vt scribit Aurogallus, forsan ex lib. 11. Volaterrani: Ptolomeus autem videtur Bersanam appellare. Erat multis nominibus celebris ciuitas: vt quod Isaacus isthic habitauit aliquandiu, Gen. 28. & quod in notatione finium populi Dei semper hæc quoq; nominatur, scilicet à Dan vsque ad Bersebe, & ob indicium Ioelis & Abiæ filiorum Samuelis. Eiusdem nominis alia Simeonię tribus fuit, cuius meminere Ios. 19. & author Paralipomenon lib. 1. cap. 5. nisi quis vnam eandemq; ciuitatem communem vtriusq; fuisse: quod fortasse propter situm verisimile est. At Hazar Sual Hebraicè חצר שועל, id est, atrium, vel fœnum vulpis, aut semitæ fœnum. Videtur olim, vt & cæteræ eisdem locis sitæ, primum Simeoniæ tribus fuisse: quando in his filij Simeonis dicuntur habitasse 1. Paral. 4. dein seu permutatione, seu alio modo tribui Iudæ cessisse, quod 1. Paralip. 4. dicuntur ad Dauidem vsque Simeonis posterorum fuisse.

Vicesimo octauo versu totidem refert. Quarum vna Siceleg Hebr. צקלג, id est, effusio sextarij, vel angustia mensuræ. Hæc Iosue 15. tribus Iudææ ciuitatibus adnumeratur. Dein Ios. 19. sors secunda filiorum Simeonis in medio Iudæorum regionis dicitur exijsse: eodemq; loco inter Simeonias ciuitates Siceleg nominatur. Post cum Saul Dauidem in exilium profligaret, apud Achis regem Geth obtinuit Dauid, vt is ei Siceleg oppidum traderet cum suis socijs habitandum. Quò factum est, vt indicat author historiæ Regum, 1. Reg. 27. vt Siceleg hæreditatis regum Iuda perpetuo fuerit. Ex his videtur non obscurè colligi posse, vrbem illam vtrique tribui sorte decretam, nondum autem occupatam, verum à Philistinis adhuc habitatam, donec ea Dauid potitus, omne ius eius ad reges Iudæorum transferret. Altera Mocona, Hebr. מכנה, id est, basis, fulcrum, sustentatio, præparatio. Nec Ios. 15. nec alibi quod sciam eius fit mentio: quod aut sit recentior cæteris, aut obscurior: & tamen Iudææ ciuitatibus hic annumeratur.

Vicesimonono versu tria refert oppida. Primum Remmon, Hebr. רמון. Remon, Riman, id est, malum granatum eius, seu altitudo eius. Et hæc vtriusq; tribus, Iudææ scilicet atq; Simeonię pro-

natio Domini. Nomen est commone cum duce regis Oziæ 2. Paral. 26. Videtur autem Beniaminium oppidum fuisse: quando in eo Beniaminiæ tribus homines habitarunt.

Versu trigesimo tertio rursus tria refert. Vnum Asor, forsan scribendum erat Chazor: quia nomen Hebræum habet ח & צ literas, quæ Ch. & Z. Latinis literis magis respondet. Meminit eius Iosua quoque cap. 12. Qui locus, quoniam iodicat huic ciuitati regem peculiarem fuisse, argumento est, amplam olim & populosam & diuitem ciuitatem fuisse. Secundum est Rama, Hebraicè רמה, id est, excelsa: Gabaon oppido vicinum, à Baasa rege restauratum. Eius mentio fit Iof. 18. Iudic. 4. & 19. & 3. Reg. 15. Tertium Gethaim & Gethaiema alibi: גתים. Beniaminium oppidum fuisse, id est, argumento, quod & hoc loco Beniaminijs oppidis annumerator, & Berotho Beniaminio oppido vicinum, & Berothitæ metu Dauidis copiarum in Gethaim fugisse memorantur: quemadmodum 2. Reg. 4. scriptum habetur.

Versu trigesimo quarto tria quoq; recensentur. In quibus primum est Hadid, Hebraicè חדיד id est, acutus siue gaudens. Eius, nescio, an alibi fiat mentio. Locus hic ostendit Beniaminium fuisse. Secundum Seboim, Hebraicè צבעים, stantes acerui, intincti. Meminit huius etiam author historiæ Regum lib. 1. ca. 13 Quidam putant nomen vallis esse: ego oppidum sic nominatum, & ab eo valli inditum nomen puto.

Vigesimus quintus versus est mancus: vt qui verba Hebræa non omnia exprimat. Sic enim Hebræi habent, לד ואונו גי החרשים, id est, Lod & Ono vallis artificum. Lod Hebræis generationem, Ono vero dolorem, seu iniquitatem eius, item fortitudinē significant. Has ambas ciuitates Samad Beniaminia stirpe satus ædificasse perhibetur 1. Par. 8 Valli nomen artifices dedisse videntur, qui nimirum in ea sedes & officinas suas habuere.

Vltimo capitis huius versu quæ Leuitarum extra vrbem commorantium ratio fuerit habita declaratur: ea nimirum eis loca assignata fuisse, quæ iam olim ipsis Moses & Iosua adiudicarant. Qua de re Iof 21. scriptum extat. Atq; hæc de ijs qui Iudææ locis hinc inde habitarint satis sit indicasse. Illud eis laudabile fuit, quod & si in vrbe vel officij ratione, vel fortunarum tenuitate, vel alia impediti causa non potuere commorari: tamen ei instaurandę suam etiam operam nauarunt. Qua de causa Nehem. 3. laudes eorum etiam prædicantur.

CAPVT XII.

Duodecimo capite Nehemiæ tria commemorantur: census Leuitarum & sacerdotum, vrbis dedicatio, quæstorum ærariorum electio. In quo videre est, quàm commodè Nehemias omnia cum recitet, tum etiam gesserit: vt qui incolis in vrbem deductis, dedicationem vrbis statim suscipit, ac quasi incolas simul ac domicilium Deo dedit & commendat. Cumq; hæc sacerdotum opera peragenda dedicatio fuisset, prius eorum ipsorum censum agit, eumq; huic narrationi præmittit. Postremo cum & numinis fauor dedicatione quæsitus, & ipsa ciuitas recta rerum ac facultatum publicarū administratione conseruari possint: his peractis rebus etiam questores eliguntur. Exemplū sanèquā pulchrum πρέπον & rerum ὑστέρον peractarum.

HI sunt autem sacerdotes & Leuitæ, qui ascenderunt cum Zorobabel filio Salathiel & Iosue: Saraia, Hieremias, Esdras.
2 Amaria, Melluch, Hattus.
3 Sebenias, Rehum, Merimuth,
4 Addo, Genthon, Abia,
5 Miamin, Madia, Belaa,
6 Semeia, & Ioiarib, Idaia,
7 Sellum, Amoc, Helcias, Idaia. Isti principes sacerdotum, & fratres eorum in diebus Iosue.
8 Porro Leuitæ, Iesita, Bennui, Cedmiel, Sarebia, Iuda, Mathanias, super hymnos, ipsi & fratres eorum:
9 Et Becbecia, atq; Hanni, & fratres eorū vnusquisq; in officio suo.
10 Iosuæ autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada.
11 Et Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa.
12 In diebus autem Ioacim erant sacerdotes & principes familiarum: Saraia, Maraia, Ieremia, Hanania:

13 Esdræ, Mosollam: Amariæ, Iohanan:
14 Milicho, Ionathan: Sebeniæ, Ioseph:
15 Haran, Edna: Maraioth, Helci:
16 Adaiæ, Zacharia: Genthon, Mosollam:
17 Abiæ, Zechri: Miamin & Moadiæ, Phelti:
18 Belgæ, Sammua: Semaiæ, Ionathan:
19 Ioiarib, Mathanai: Iodaiæ, Azzi:
20 Sellai, Celai: Amoc, Heber:
21 Helciæ, Hasebia: Idaiæ, Nathanael:
22 Leuitæ in diebus Eliasib, & Ioiada, & Iohanan, & Ieddoa scripti
principes familiarum, & sacerdotes in regno Darij Persæ.
23 Filij Leui principes familiarum, scripti in libro verborum die-
rum, & vsque ad dies Ionathan filij Eliasib.
24 Et principes Leuitarum, Hasebia, Serebia, & Iesue filius Ced-
miel: & fratres eorum per vices suas, vt laudarent, & confiterentur iuxta
præceptum Dauid viri Dei, & obseruarent æque per ordinem.
25 Mathania, & Becbecia, Obedia, Mosollam, Telmon, Accub, cu-
stodes portarum, & vestibulorum ante portas.
26 Hi in diebus Ioacim filij Iosue, filij Iosedec, & in diebus Nehemiæ
ducis, & Esdræ sacerdotis scribæque.

Primis illis 26. versib. cap. huius, descriptio census Leuitarum continetur. Quæ partibus quatuor est omnis distributa: quarum prima sacerdotes & Leuitæ, qui sub Iesu pontifice vixere: secunda pontificum genealogia: tertia, qui Ioachimo pontificatum tenente floruere: quarta, eorum, qui sub Eliasibo & reliquis fuere, catalogi referuntur. Ideo vero fortasse catalogum huius ordinis hominum iterum atque iterum texit, vt inter se conferri diuersorum temporum personæ, & genealogiæ veritas conseruari posset. Sed & extractorum laborum recordatio suauiter afficere, & excitare posteros ceu calcar ad studium honestarū actionum posse videbatur. Hoc enim pontifice templum è cineribus suscitatum est & absolutum: maximo tamen labore & sumptu, multis interuenientibus impedimentis: à Cambysis scilicet temporibus ad secundū Darij Histaspis annum. Referuntur autem hic primū sacerdotes, post Leuitæ. Erat quidem Leuitica tribus omnis ad sacerdotium electa: verum ex his alij tyrones, alij ministri, alij sacerdotes, alij emeriti & rude donati erant. Sicut legis verbis expressum est.

Genealogiam summorū pontificū decimo & vndecimo versib. comprehendit: ab Iosua ad Iaddum sex gradibus notatis. Primus Iesus seu Iosua cum Zorobabele Babylone egressus complures annos sacerdotij munere functus est: in multis laboribus & varia fortuna. Estque credibile Cyri morte, præsertim subito ipso, quod Herodotus & Iustinus referunt mortis genere extinctus sit, magnum eius animo dolorem allatum: præsertim cum patre etiam tum viuente Cambysem iniquiorem expertus esset. Ac quanquam Darius ipsis faueret: tamen victis in campis Marathonijs Persis & surgente Græcorum imperio, inclinare ad interitum Persicæ res, & imperij noua conuersio, pericula quoque noua minitari ecclesiæ cepere. Qui casus grauibus & prudentib. viris, & ijs omnino omnib. qui non modo quæ ante pedes sunt posita, verumetiam quæ longè post futura sunt, prospiciunt, graues curas, & varias pariunt cogitationes. Secundus Ioachimus fuit. Is absente & res Iudæas in Persis procurante patre circiter annos octo pontificis officio functus est: & mortuo patre rursus viginti octo annis eodem in officio fuit. Quo tempore Esdras à Dario Artaxerxe Longimano missus in Iudæam venit. Tertius Eliasibus nepos Iesu fuit. Qui pontificatū tenuit 41. annis. Sub initia pontificatus eius Nehemias Hierosolymā impetrata ab Artaxerxe Lōgimano venia venit: cumque populū hortatus esset ad vrbis instaurationē, primus is surrexit, & portā de gregis nomine appellatā & quicquid inter hanc & turrim Hananel mediū fuit, ædificauit. Absente vero Nehemia nō bene se gessit, ideoque est ab eo reuerso grauiter increpitus. Liranus ex Iosep. li. 11. Antiq. dicit hunc aliās etiā Iudā appellatū fuisse. Quartus Ioiada fuit, qui 25. annis officio hoc est functus: temporibus tristissimis præsertim Græciæ, quæ bello Peloponnesiaco prope tota arsit & ciuitatē Atticam optimè de se meritā destruxit. Persicum autē regnū tunc tenuit Artaxerxes Mnemon cognomento Magnus. Eum ab Iosepho Ioannē putant appellari, Antiq. 11. Nehemias nihil eius rerū attingit. Quintus Ionathanus fuit, quē Iothanū alij, Iohannē etiā Iosephus, nominarunt. Hic Iesum fratrē suū

in ipso

in ipsa æde sacra trucidauit. Quò factum postea fuit, vt Vagoses Artaxerxis Ochi copiarum dux templum violarit, & Iudæi septem annis tributa coacti sint dare. Quod Iosephus Antiquit. lib. 11. cap. 7. scribit. Eodemq; tempore Ochus Apodasmo Iudæorum capta in Hircaniam accolę translati, iuxtaq; mare Caspium fuerint collocati. Quod nouum exilium peccatis nouis attraxerunt. Sub ea tempora Philippi Macedonum regis potentia valde creuit. Sextus Ieddoa, ab Iosepho Iaddus appellatus fuit, annis viginti septem pontificatum tenuit, & inde ad Alexandri Magni Macedonum regis tempora durauit. Ac quanquam nihil eius rerum in historia sacra recitetur: varia tamen & admiranda viuente eo acciderunt: vt quod templo Delphico à Phocensibus incenso magnum in Græcia bellum exarsit, quod sacrum appellatur: vt quod Manasses huius patruus, vel, vt alij putant, frater, in monte Garizimo templum extruxit: quod Alexander Magnus hoc pontifice Hierosolymam venit, eiusq; supplicatione lenitus non modo nulla Iudæos iniuria affecit, verumetiam tributorum ab Ocho impositorum solutionis onere leuauit. Atq; horum pontificum catalogo Nehemias plus minus ducentorum annorum historiam comprehendit. Qua ratione quidam ducti putant, Nehemiam non esse libri illius authorem, quod tanta longæuitas eius esse nequiuerit, vt Alexandri Magni tempora quibus Iaddus pontifex fuit, assequeretur: quando Eliasibo tenente pontificatum Hierosolymam profectus sit. Quocirca varias ad exceptiones confugiunt Doctores. Et alij quidem putant ex Iudęorum annalibus hanc clausulã assumptã hocq; loco interpositam fuisse: alij duos Nehemias, alia alij comminiscuntur. Ego meas coniecturas non dissimulo: vt prouocem acutiores ad eruendam veritatem. Ego specto principum præpotentium ac præsertim Babyloniorum & Persicorum consuetudinem, qua fit, vt admodum iuuenes ad officium pincernarum deligantur, qui sint & officiosiores & ad præstanda officia magis expediti, quàm senes. Ergo verisimile existimo Nehemiam quoq; admodum iuuenem ad officium illud euocatũ: dein eundem nec anno primo Eliasibi Hierosolymam venisse, nec vsq; in vltimum Iaddi pontificatus annum superstitem fuisse: sed aut primum secundúmne eius pontificatus annum attigisse, aut quia pontificibus filios successuros certò constabat, hunc etiam antequam pater ei munus reliquisset, inter pontifices numerasse. Iam si Eliasibo 41. Ioiadæ 25. Ionathano 24. Iaddo vnum, annos demus: annorum 91. summa euadet: & his 20. annos ætatis Nehemiæ cum pincerna creatus esset, addamus: anni 111. erunt, quos confitemur Nehemiam vixisse. Minimeq; mirum aut absurdum hoc videri ijs potest, qui considerant, quàm ab omni luxu & rebus humanas vires frangentibus hæc negotia atque tempora Nehemiam auocarint, hocq; fecerint longæuiorem: quodq; solitus sit Deus semper incolumes ac saluos conseruare eos, quos ecclesię suę tuendæ potissimum delegit. Ac siquemadmodum Iosephus author est, Esseni pleriq; centum, & Æthiopes, vt Herodotus perhibet, totidem annos viuere consueuerunt: & Deus Ismaeli 130. Galeno 140. ætatis annos concessit: tantis viris non mirum est etiam his pauciores ad propagandam gloriam diuinam datos esse. Sed & Aharon, qui natura fuit imbecilliore, & Moses, qui miserijs & molestijs ab ineunte ætate multis & varijs tantum non excruciatus fuit, plusquam centum & triginta annis vixerunt: cum, vt historia sacra testatur, non imbecillitate seu vitio naturæ, sed iusto iudicio Dei vitam amiserint. His alijsq; causis adducor, vt propterea non negem librũ hunc ab Nehemia conscriptũ esse.

Duodecimo versu & proximis, eorum catalogum ponit, qui Ioachimi pontificatus tempore vixerunt. In quo nihil vel difficultatis vel obseruandi documenti inest.

Porro catalogum eorum, qui sub Eliasibo & successoribus eius floruerunt, versib. 22. 23, 24. recitat. Darij nomine tempus pontificatus Eliasibi indicatur, septimus scilicet annus eius regni, vt Esræ 6. annotatur. Allegatur autem & liber verborum dierum. Qui sit nec ne Paralipomenon liber, incertum est, à multis tamen putatur. In 1. Par. 25. catalogus alius extat. Liranus dicit hos non suis ipsorum proprijs, verum parentum suorum nominibus appellatos fuisse. In his etiam quidam recitantur, qui Ioachimo pontifici paruerunt. De vicibus & ordine etiam in Paralipomenis extant loci.

27 In dedicatione autem muri Hierusalem quæsierunt Leuitas de omnibus locis suis, vt adducerent eos in Hierusalem, & facerent dedicationem & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, psalterijs & citharis.

Explicata census Leuitarum ac Sacerdotum descriptione, ad vrbanæ dedicationis descriptionem considerandam proxima est via. Ea vero vigesimo septimo vers. & inde vsq; ad 43. in reliquis omnibus continetur. In ea sic versatur, vt primum totius rei summam ob oculos ponat: in qua primum totius narrationis circunstantias potissimas breuiter quasi notat deinceps autem pluribus verbis explanat. Eæ sunt: res ipsa, personæ eius administræ, causa mouens, forma, instrumenta.

Rem ipſam autem cum dicit: in dedicatione autem muri Hieruſalem, &c. duobus nominibus tantum notat, muri dedicationem nominans: quam Hebræi חנכת חומה, id eſt, initiationem muri vocat. Eſt autem חנכה nomen Chaldæum à verbo חנך, quod aliquod vas imbuere, ſeu primum vſum alicuius rei capere ſignificat, deriuatum. Solomon in Prouerb. cap. 22. vſum eius transfert ad initia puerilis educationis. Videtur autem metaphora tracta à vaſis, quæ liquore eo quaſi imbui dicuntur, qui in illa primum fuerit infuſus. Quo ſpectauit etiam Horatius, cum dixit: Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu. Ex eo dein Iudæi חניך appellant eum, qui in alicuius artis ſtudio prima capit elementa, aut præceptis exercitijſque eius initiatur, Græcis [illegible], Latinis tyro nominatur. Græcis vero hoc genus actiones [illegible] ab [illegible], vel [illegible], id eſt innouo, ſacris initio, conſecro, deducto nomine dicunt. Iam quia nulla res fieri poteſt vſib. humanis, cuius vſurpandę non ſint initia quędam ac fines: non mirum eſt ad veſtes, ad pocula, ad domos, ad oppida, ad templa, ad omnia denique vtenſilia huius vſum nominis transferri. Cumque id omnibus ingenitum ſit ac quaſi à natura datum, vt ex initijs rerum bonis, optimos ac fauſtiſsimos & progreſſus & exitus ſibi polliceantur: quicunque cauti ſunt & prouidi: hi dant operam, vt quàm optimè & religioſiſsimè quęque auſpicentur: ne cum in portu impegerint, animi ipſis labaſcant, ac perpetua trepidatione, quo minus reliqua rectè fiant, impediantur. Quia in re quemadmodum omnia ad Deum pietas refert, ſic ſuperſtitio facile in errores declinat. Et hinc extiterunt cum leuiſsimarum quarumque rerum, tum infectæ refertæque ſuperſtitione dedicationes. Ethnici cum templa atque delubra, tum etiam liberos ex ſe natos ſuis deaſtris dedicarant. Papæ Romani Iudæos & Ethnicos ſimul ſuperarunt ſuarum dedicationum multitudine & varietate. Solomonis & Eſdræ temporibus dedicatum fuit templum: Nehemias vrbis muros dedicauit. Cinguntur autem oppida muris, ſicut vallo foſſaque caſtra: vt qui intus ſunt in tuto ſint: ac transfugis exitus, hoſtibus aditus omnis præcludatur. Sed & ad ornatum vrbium muri conſtruuntur; ſicut ijs deijciuntur, qui quaſi capite minuuntur. Veluti Ioas Iſraelius Amaſia ſuperato magnam mœnium partē deſtruxit, & Atticæ ciuitatis mœnia ad tibiarum cantum deiecta ſunt, ignominiæ inferendę cauſa. Quemadmodū ergo Samaritani ideo murorum vrbis extructionem impediuerunt, vt decus ac tutelam eius impedirent: ſic Nehemias in eorum ædificationis curam ob id tantopere incubuit, vt eius vrbis ſalutem ac dignitatem promoueret. Cumque hoc ipſum tantis curis, laboribus, ſumptibus perfeciſſet: vt toti ciuitati fœlix ac fauſtum eſſet, efficere dedicatione conatur. Quale vero hoc ſit eius factum circumſtantiæ reliquæ non obſcurè ſignificabunt.

Eodem verſu dedicationis huius adminiſtros ſ. Leuitas refert: quorum nomine Leuiticę tribus homines omnes, qui ſacris initiati erant, comprehendit. Rectiſsimè enim actioni ſacræ religionis adminiſtros adhibent. Olim Romæ cum templum aliquod vellent conſecrare, conſul id agebat, aut imperator, ſed pontifice certis verbis præeunte. Conſtantinus cum dedicare Conſtantinopolim vellet Deo, quotquot erant Nicææ patres inde ad opus illud peragendū omnes euocauit. Quēadmodum Niceph. lib. 8. c. 26. ſcribit. Perſę & Romani debiles & mancos homines arcebant ab hac actione. Diſcimus hinc oportere eſſe in quaque ciuitate imprimiſque in eccleſia Chriſti diſtincta munera, & obeūdo ſuo quemque addictū: rurſus curioſitatē vitandā, nimiumque contendendū, vt alij falces ſuas in aliorū meſsę immittant. Locū autē, è quib. fuerunt euocati, poſt ſuis ipſorū nominib. notat.

Cauſa mouens lætitiæ nomine videtur ſignificari. Nehemias enim id agebat: vt quam ex operis huius perfectione maximam animo ceperat, hanc illa actione ceu ſolenni publicè teſtaretur, & in reliquos ciues omnes effunderet hilaritatem. Prium gaudium illud actionem etiam ipſam pietatis nomine potuit commendare. Qualis enim fuerit cauſa, tales & effectus cenſentur. Eademque ratione fides ſola facit vt Deo placeamus, ſitque in vitio quicquid ex fide non proficiſcitur. Et certè nemo gratior eſſe Deo datori ſolet, quàm qui bonis ab eo acceptis ſuauiter afficitur & delectatur. Quo enim magis bona placuerint, hoc maiores Deo gratiæ dicuntur & habentur.

Modum in dedicatione ſeruatum gratiarū actionis nomine videtur expreſsiſſe. Hebræū enim nomen ſignificat confeſsionem & laudem, & pro gratiarum actione quandoque vſurpatur. Aptiſsimè vero hoc fit. Quando enim nos agnoſcimus imbecilliores, quàm qui res effectas præſtaremus, niſi Deus ope ſua nos iuuiſſet: tunc laudem nobis ipſis auferimus, & tribuimus, vti par eſt, omnem Deo. Quæ res excitat animos humanos ad actionem gratiarū. Ex quo perſpicuum fit hac dedicatione potiſsimum hoc actum fuiſſe, vt de ſuppeditatis ad vrbis inſtaurationem auxilijs ſuis dignæ Deo gratiæ dicerentur: ac rurſus peteretur, vt illis bonis diu vti frui, diuinitus concederetur. Huiuſmodi res nullo modo reprehendi poteſt. Sic enim cibum quoque & potum conſecramus: partim ne noceant, partim vt proſint. Sic cum induimus nouas veſtes, earum vſum fauſtum ac fœlicem nobis imprecamur. Quemadmodum ergo Paulus cibum cum gratiarū actione capiendum docet: ſic illi nouos vrbis ſuæ muros cum gratiarum actione quaſi ſumunt. Quod præſertim vitata adeo omni ſuperſtitione, minimè eſt malum.

Inſtru-

Instrumenta quibus ad dedicationis opus sunt usi, sigillatim singula recenset. In his primum שיר refertur. Quo nomine significatur vox humana, aut Musica ea, quæ humana voce exercetur. Deducitur autem Hebræum nomen ab extendendi verbo: & ideo ad cantũ usus eius verbi transfertur: quòd qui cantant, vocem ultra pronunciationem usitatam extendunt seu producunt. Videtur autem nomen hoc omnibus cantionum formis commune esse. & ideo omnis generis carmina significare. Eademq; ratione Solomonis carminum libro nomen idem datum videtur. Gaudij vero vel iam oborti, vel quæsiti signum planè videtur esse cantus. Nam aut perfusi gaudio, aut fouendi vel quærendi gaudij causa cantamus. Vnde & Psaltes psal. 92. cum dixisset bonum esse psallere nomini Dei, deinde dicit se exultare in operibus manuum suarum. Quia lætificas me Domine in operibus tuis. Primum igitur gaudij signum edunt cantu. Secundum, מצלתים cymbala plerique vertunt: idque euincere volunt eo, quòd duali numero passim usurpatur: nempe ut intelligatur non unũ aut simplex quiddam esse, verum ex compluribus aut binis saltem partibus constare. Eius fit mentio in 1. Par. 15. Tertium, נבלים pleriq; chelim seu testudinem putant: quod & vasis nomen est. Ioseph. libro septimo Antiq. capite duodecimo scribit instrumentũ fuisse quod duodecim chordis constaret & digitis pulsaretur. Quartum כנרות cytharas vertunt. Iosephus eo quem modo citaui loco dicit hoc instrumentum decem chordis constitisse & plectro pulsari consueuisse. Crebro omnium horum psaltes psal. 33. 44. 51. 71. & alibi mentionem facit. Arbitror autem tam de illis quæ memorantur hoc loco, quàm de ijs quorum alijs in scripturæ Sacræ locis fit mentio, vel nihil, vel per parum certi proferri in medium posse: quando res ipsa testis est eorũ quæ nostra ætate sunt in usu, prisci illa dissimilima fuisse. Equidem Hieronymus ad Dardanum scribit citharã Hebræam viginti quatuor chordas habuisse & literæ Δ. figurã repræsentasse: nablam autem Iosephus Antiquit. libro septimo scribit duodecim sonos habuisse & digitis pulsari consueuisse. Cumq; de eorum authoribus primis multa Plinius & Diodorus memorent: scriptura docet Thubalem Hebræum cithara primum usum fuisse, & horum instrumentorum partem maximã à Dauide inuentã esse. Sicut omnia Græcis & Romanis antiquiora populus Iudęus scitur habuisse. Ac potest verè dici, fuisse maiorem illorum usum ætate Dauidis quàm Nehemiæ. Ex his tamen quæ dicta sunt modo, colligi potest omnis generis Musicã ad agendas Deo gratias, & urbis sanctæ consecrationem ab Nehemia adhibitam esse. Quæ res qualis sit, & utrum videatur ad imitationẽ proposita, si quæ de eius artis excellentia & usu dici possunt, paulo altius repetierimus, non difficile erit existimare. Igitur artem Musicam epist. 28. ad Hieronymum Augustinus perhibet Dei munere datam scientiam sensumuis bene modulandi, ad admonitionem maximæ rei. Placuit autem priscis sapientibus Musicam esse triplicem: mundanam, humanam, organicam. Et eam quidem mundanam esse censuerunt, quæ in illo concinno cœlestium corporum motu atq; in elementorũ nexu cernitur. Eius motus concentum ex eo colligunt, quod tantorum corporum motus tacitus esse non possit, & quia concinnus sit, suauem esse necesse sit. Quam harmoniam non modo Plato & Ptolemeus tradiderunt, verum etiam Homerus & Augustinus alijq; viri graues & sapientes videntur approbare. In hac moderator est Deus: primus horum orbium omnium motor. Humana autem Musica videtur ea dici, quæ fit hominis voce, quamque שיר Hebræum nomen pulchrè repræsentat extendendi & modulandi facultate & arte significata. Organica denique est ea, quæ fit organis ad edendos concinnos sonos affabrè factis. Organorum autem alia sunt ἐμπνευστὰ, vel, ut hæc eadem Plutarchus vocat, ἐμπνευστὰ, quæ inflata ab hominibus sonum edunt: ut sunt tibiæ & fistulæ. Alia sunt ἔντατα, quæ constant chordis & vel plectro, vel digitis tanguntur, ut citharæ, testudines, & huius generis alia. Alia vero pulsantur, ut tympana & campanæ. Vnde & sonorũ tria genera putantur: quorum primum viua animantis voce edatur, secundum fiat organorum inflatione, tertium denique pulsu. Quam ad partitionem deinde & eorum, quæ modo recensuimus, & reliquorum organorum musicorum omnium genera fuere constituta: suntque sua quibusque generibus sonorum, peculiaria maximeque conuenientia instrumenta inuenta ac destinata. Primi nanque generis tragœdi, comœdi, chori, & quicunque humana voce canunt: secundi fistulæ, tibiæ, & his similia instrumenta: tertij citharæ, lyræ, cymbala, timpana, & quæcunque pulsando canora fiunt, quasi propria existimantur. Seu autem instrumentis, seu humana voce Musica illa ἁρμονία, quæ est quasi quædam dissimilium similitudo, secumque discordantium concordia, rectè & artificiosè edatur: non minus usu vitæ compertum, quàm ratione certa veraque deprehensum constat: quod tam bruta animalia, quàm homines, ea suauissimè afficiuntur. Equidem præter Pliniũ, alij quoque graues authores perhibent, Delphinos, velocissimum aliàs & hominis amantissimum animal, symphoniæ cantu præcipueque hydrauli sono maximè delectari: eademque de causa creditum, præstantissimum illum citharœdum Arionem, cum eum auidi ipsius pecuniæ nautæ essent occisuri, delphinos ad nauim in qua periclitabatur, suauitate fidibus editi concentus attra-

xisse, & vnius eorum dorso exceptum atque in Tænarum littus euectum esse. Ælianus quoq; Pa-
guros scribit illecebris Musicis tantopere delectari, vt ipsi piscatores eo quod photingium vocant
instrumento modulantes sequantur, sicque extra maris vndas euocati capiantur. Nec absimile vi
detur, quod idem de pastinaca marina, de tritsis Ægyptijs, de Arabicis ouibus scribit. Notius his
omnibus est quod Vergilius, Horatius, Statius de Amphione vrbis Thebanæ conditore, & de Or
pheo Ouidius, canunt: qui magna armenta boum, feras, syluas, saxa, montes sui cantus suauitate
attraxerint. Ac quanquam nolim vel ipse fidem commentitijs rebus adjungere, vel cuiquam fabu
losas ac delectationis causa confictas narrationes pro veris obtrudere: tamen si quæ more suo de
syluis, saxis, montibus ὑπερβολικῶς poetæ cecinere, excipias: vix arbitror eorum, qui rerum naturæ vel
vulgarem notitiam cum vsu vitæ coniunxerunt, quenquam ea ad delectationem audientiú con-
ficta putaturum, quæ de animalibus memorantur. An enim non videmus ipsas aues tanti Musi-
cam facere, vt & vicinarú auium cantu, & garritu hominum ad cantandum excitentur? an non cer
nimus equos tubarú clangore sic erigi, vt stare loco nesciant, & quò minus in prælia ferantur, agrè
queant retineri? an non ideo muliones tot tintinabula à collis mulorú suspendunt, quod vsu com-
pertum habent, eos horum sonitu tantopere affici, vt sarcinarum onus & facilius & libentius fe-
rant? Est autem in primis considerandum, quod hac ipsa multò magis homines ducuntur & dele
ctantur, eiusque rei causas non tam in harmoniæ suauitate, quàm in sua ipsorum natura subftan-
tiaque habent. Nam & hæc in hominis anima primum omnium eluxit: & videmus homines sic
diuinitus factos ac comparatos esse, vt eis concentus Musici suauitate cerebrum, mens, cor, ad af-
fectus varios moueantur. Sicut scriptura sacra perhibet hac ipsa cum è Saulis regis animo spiri-
tum malignum profligatum, tum Heliseo diuinissimo vati spiritum sanctum, cuius afflatu tribus
regibus oracula funderet, quasi attractum esse. Vtrinque nimirum fuit iudicium aurium ad perci
piendam longitudinem & breuitatem in sonis, itemq; vocum acutarum atque grauium differen-
tiam præstans: vtrinque tantus amor Musicæ, vt concentus esse voluptati & delectationi tantæ
posset, qua mens serenitati tranquillitatique pristinæ redderetur: eoque pacto fieret alter ad fouen
dum fidum clientem atque generum accommodus, ac rursus alter alacrior atque expeditior ad
vaticinandum. Sed & homines agrestes & imperitos & mente captos videmus delectari suauibus
cantilenis, & ineptos seu cytharedos, seu cantores fastidire. Præclarè etiam Diuus Augustinus scri
bit hac arte quemadmodum & alijs pijs mentes excitari ad Deum opificij illius principem archi-
tectum, & mirari illius artem & sapientiam in harum rerum constitutione. Cumque in Musica
harmonia proportio consentiens differentiarum, eum qui in ecclesia fit, dissimilium eorumque in
fide filij Dei consentientium hominum concursum pulchre repræsentet: tantò minus mirandum
est, hac tantopere delectatos fuisse pios & eruditos viros, vt eius vsum etiam ad religionis pieta-
tisque exercitia transferendum arbitrarentur. Veluti Moses & Maria soror egressis Ægypto Israe
litis, partita in duos cœtus omni populi multitudine, Deo laudes & gratias cecinerũt. Ex. 15. Dein
Debora & Baracus de victoria sibi concessa Deo carmina quædam obtulerunt, Iudic. 5. Dauidis
quoque de Goliatho victoria carminibus Israelitarum virginum celebrata fuit. In primisque Da-
uid Musices amans ac studiosus fuit, & vsum artis eius in templum inuexit. Et locus Luc. 22. argu-
mento est patremfamiliâs in cœnis suis hymnos Deo canere consueuisse. An vero Musices aliquis
vsus etiam in templis populi Christiani queat retineri, de eo sunt in vtramque partem multa di-
cta ac disputata. Ac qui illam volunt retinere in ecclesia, argumentis illis ferè solent vti. Primum,
1 quod Musica sit eximium quoddam inuentum ac donum Dei, ideoque ad honorem & gloriã Dei
conuertendum: vt quod in templis ac cœtibus populi Christiani commodissimè fiat. Secundò,
2. quod sua concinnitate & concentus præstãtia admoneat homines opificis optimi maximi, & con
sensus etiam eius, qui tam iuuat ac beat ecclesiam, quam doceat & ornet: vt vel hac vna de causa
3. maximè sit in ecclesiam recipienda. Tertiò, quod cantus & Musices omnis suauitate & delecta-
tione cum alliciantur homines ad conuentus sacros, tum q; his etiam detineantur, qui aliàs in tem
pla minimè venirent, aut si maximè venirent, tamẽ minimè diu manerent. Quartò, quod hac ipsa
4. excitatæ mentes & ad cultum ac laudes Dei tantò sint alacriores & pro eo ac diuturnior est me-
moria carminum, quæ de Deo decantata sunt, diutius possunt meminisse. Quintò quod vsus hu-
5. ius artis antiquus sit, ac nobis ad nostram religionem perinde transferendus, atque ea sunt vel ad
res obscœnas cantiones atque ad lasciuiam, vel ad deastrorum suorum laudes ac cultus vsæ gen-
tes. Magnis laudibus Orpheus, Linus & alij vehuntur: quorum etiamnum, extant hymni: quid ni
Deum nostrum ipsi quoque sanctis laudibus celebraremus? Et hoc nomine Theodoretus Eccles.
hist, lib. 4. cap. 29. Ephraimum laudat, qui cum Harmonius Bardesanis filius impietate referta car
mina composuisset & [illegible], id est, modorum suauitate demulceret atq; in perniciem per-
traheret audientes, translata ab his ad pietatem modorum compositione gratissimũ auditoribus
& opti-

& optimum remedium attulerit. Eademq; de causa Apollinaris quoque cõmendatur, quod cum Iulianus Græcarum literarum vsu Christianis interdixisset, ipse noua carmina composuit, & historias sacras his complexus est, quibus Christiani vterentur. Iam quemadmodum horum opera quondam lasciua carmina profligata fuerunt his in ecclesiam inuectis cantionibus sacris: sic hodieque possent amatoria carmina è medio tolli, & in rursum meliora sanctioraque reuocari. Sextò, vel ecclesiæ veteris, quæ psalmorum & ecclesiastici cantus vsum indè à temporibus primis deduxit ac propagauit, exemplum nobis idem debeat suadere. Etenim Plinius in quadã ad Traianum epistola scribit Christianos horis matutinis conuenire & Christo Deo suo sacros quosdam hymnos decantare consueuisse: cumq; Diuus Ioannes Euangelistes eius imperatoris tempora attigerit, vel apostolicis temporibus vsitatos cantus illos dicemus. Meminerunt psalmorum à fidelibus in Christi laudem compositorũ Euseb. Eccl.hist.lib.5.cap.28. & Nicephorus lib.4.cap.21. quibus sit confutatus is Artemonis error, quem Samosatenus renouarat, quo videlicet Christi diuinitas negabatur. His psalmis illi confutabant eorum mendacia qui in populum spargebant, apostolos etiam ipsos Christum docuisse, esse merum hominem ac non etiam Deum. Ex ijs etiam quæ Clemens lib.2. Pædagogi cap.4. de Musices vsu pio scribit, colligi potest, priscis Christianis eum psalmorum vsum fuisse, vt conuiuia sua clauderent simul ac inchoarent psalmis. Multa alia testimonia in eandem sententiam facientia adduci possent, si res ipsa postularet. Septimò, sacræ scripturæ testimonia, atque etiam hæc ipsa ex nouo Testamento deprompta adducuntur. 1. Corinth. 14. Quoties conuenitis, vnusquisque vestrum canticum habet. Coloss. 3. Commonete & docete vos inuicem cantionibus & laudibus & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde vestro Domino. Ephes. 5. Loquentes vobismetipsis per psalmos & hymnos & cantiones spirituales, canentes & psallentes in corde vestro Domino. Psalmum 150. & alia veteris Testamenti loca non adducunt, ne videantur alienis ab ecclesia noui fœderis, propterea; non satis firmis iudicijs niti. Nec negarim plura cum testimonia, tũ argumenta afferri pro tuendo Musices in Christianis templis vsu posse: verum hæc nos habuimus. His autem qui ipsum è Christianis templis explodũt, responsis illis occurrunt. I. Musicam esse inuentum & donum Dei nemo nescit: sed si ideo sit in templis cantandum, cum quæ scimus & habemus omnia, sint dona Dei, quid non erit in templa Christianorum inuehendum? Omnes liberales artes, iuris ciuilis prudentia, medicina, disciplina militaris, architectura, agricultura, mercatura, sunt inuenta ac dona Dei: nec ideo quisquam putat in templis ipsis hæc esse exercenda: cum suo quæq; modo prouehere ecclesiæ salutem & gloriam Dei queãt & si in templis non exerceantur. II. Eodem modo iudicandum est de secundo argumento: innumeras res esse, quæ nos admoneant conditoris, itemque eius, qui in ecclesia debet esse consensus & ordinis. Quin psaltes nos præclarum illud opificium totius mundi, & apostolus nostra ipsorum corpora, in quibus expressas cernimus miras concinnitatis & consensus notas, intueri. Sicut etiam Pelignus indicat vates, dicens: Os homini sublime dedit cœlumque videre iussit & erectos ad sidera tollere vultus &c. Eodemq; etiam, qui μικρὸν κόσμον hominem dixere, spectarunt. Quamobrem si nulla alia subsit causa, non magis cantus in templa recipi debet, quàm alia, quibus verbum diuinum ceu pædagogus optimus & vnicus antefertur. III. Efficacior illa fortasse causa videri queat, homines videlicet allici ad conuentus sacros, inq; his suauitate concentus retineri: si non vsu compertum haberemus, eos qui non melius erga religionem sunt affecti, quàm vt his illecebris solum attrahi queant, aut nihilo magis venturos, si Musicã floccifaciant: aut si venerint maximè, cum à Musica cessatum fuerit, rursus exituros. Ipsi vidimus in templis Christianorũ magnum, dum caneretur, hominum cœtum, qui cessante Musica diffluebat. Nam qui totam aut dimidiam etiam horam in templo triuerit audiendi cantus causa: is dein defessus aut nolet omnino, aut ægrè poterit audire concionantem. Ad summam, cessante causa cessat affectus: cum Musica desierit, illis etiam religio refrigescet. Beatiores qui fame & siti verbi diuini isthuc adiguntur. IIII. Sacris illis cantionibus mentes hominibus moueri, itemque rerum decantatarum diutius meminisse quemadmodum est concedendum: sic rursus periculum fortasse erit, ne sic in varietatem sonorum, & in interualla distinctionesq; vocum intenta infixaque mente simus, vt eam vel subire nunquam possit, vel quæ prius affuit, statim elabatur cogitatio rerum diuinarum. Idq; D. Augustinus libro nono Confess. fatetur quodam modo sibi quoque accidisse, nempe vt magis in Musicos modos, quàm Psalmorum verba ac sententias animo fuerit intento: ideoque voluerit ecclesiæ Alexandrinæ consuetudinem recipi, vt in qua psallentes parum tantummodo vocem inflecterent, magisque ad recitantis quàm canentis modum recitarent. Gregorius sanè d. xcij. in sancta Romæ queritur fieri, vt dũ blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, & cãtor minister Deum moribus stimulet, id est, exasperet, vt exponit Glosa, cum populum vocibus delectat. Eadẽ distinctione multa in hanc sententiam afferuntur in primisque versus illi

Non vox sed votum non cordula Musica, sed cor:
Non clamans, sed amans, sonat in aure Dei.

Videntur idem etiam patres illi sensisse, qui in Concil. Carthaginen. IIII. decreuere cantori, cum eligeretur, dicendum: vide vt quod ore cantas, corde credas: & quod corde credis opere cóprobes. Cumque Augustinus Confess. libro decimo dicat, se penaliter peccare, si magis cátus quàm res decantata moueatur: præstaret omnem ex ecclesia cantum amoueri, quàm eius causa tantopere periclitari. Et certè Thomas Aquinas 2. 2. q. 91. art. 2. plus & grauius quiddam sibi videtur obiecisse, quàm vt postea sit soluendo & confutando, cum ad hunc modum de cantu Ecclesiastico verba facit: Principalior, inquit, est laus mentis quàm laus oris, sed laus mentis impeditur per cantus: tum quòd cantantium intentio abstrahitur à consideratione eorū quæ cantantur: dum circa cantū student: tum etiam quod ea quæ cantantur, minus ab alijs intelligi possunt, quàm si sine cantu proferantur. Ergo cantus non sunt in diuinis laudibus assumendi. Simile quiddam etiam Antoninus Part 3. tit. 13. cap. 4. §. 9. dicit: Vbi ergo (ait) ex cantu non excitatur deuotio, sed tedium crescit ex labore, vel ignorantia cantus & huiusmodi: videtur potius dimittendus, nisi constitutio vel obedientia prohibeat. Hæc illorum doctorum iudicia si quis altius répetat, facilè videbit canticis excitari quidem mentes, verum adeo non iuuari in rerum diuinarum consideratione, vt ab hac potius abstrahantur. Memoriam autem rerum diuinarum magis aut repetendo, aut ediscendo, quàm cantando iuuerimus, vt ne dicam à nobis nihil prius decantari posse, quam quod ediscendo memoria tenemus. V. Antiquum esse Musices vsum & à superstitione pariter ac lasciuia ad religiosis veræ exercitia reuocandum, itemq; eos, qui id vel olim fecerunt, vel hodieque faciunt, laudibus sempiternis dignos minimè inficias imus: sed rursus est confitendum, & extra templa fieri id vtiliter & honestè posse: & quæcunque religiosa carmina composita fuerint secundum modos amatoriorum carminum, ijs ipsis amatores ideo nequaquam vsuros: sicut ridetur in epistolis obscurorum virorum, qui fingitur canticum ecclesiasticum noctu præ foribus amicæ cecinisse. Eódem pertinet etiam quod amatorijs modis, vtut secundum illos hymni compositi in templis decantantur, amorū memoria refricetur. Extra templa, præsertim si verba pia decantantur, hæc nó improbarit quisquā: ac præstaret his quàm obscœnis præsertim virgines vti. Quanquam Apollinaris studium non omnibus placuit: præsertim quod is, eo ipso sententias à virtute sacrarum literarum ad nugas humanas transferre, in dogmate resurrectionis ineptire, id agere, vt in suos cœtus populum allicere, & omnino lupi instar ecclesiam vastare videretur. VI. Vetustissimū autem ecclesiastici cantus vsum tam apostolorum & veterum Christianorum quàm Hebræorum temporibus receptum fuisse & probatum nemo negarit. Sed vt ecclesia veteris Testamenti multas res externas alias habuit, quæ eorum exemplo populo Christiano propterea nequaquam sunt obtrudendæ: sic in historijs ecclesiæ Christianæ videmus huius cantus vsum, in Orientis quidem ecclesijs cito, in Occidentis autem cœtibus admodum sero & demum Ambrosij temporibus receptum fuisse. Ambrosium enim Diuus Augustinus, Confess. libro nono scribit, cum noctu in Basilica, ne hæc Arrianis traderetur, vnà cum populo excubaret, fallendi tedij causa cantum induxisse, & eius exemplò deinde ecclesias alias secutas esse. Nec dubium est quin primi sane quàm simplicem & moderatū habuerint eius vsum: velut Alexandrinæ ecclesiæ consuetudo paulò ante adducta non obscurè monet. Minuit igitur longi temporis præscriptionem Occidentis ecclesiarum exemplum, partim ea cunctatione, partim etiam eo quod posteri modum priscis vsitatum excesserunt. VII. Scripturæ sacræ testimonijs ad cantum ecclesiasticum retinendum seu cōmemoratis seu prętermissis momenti minimum affertur. Nam quæ promuntur ex veteri Testamento, ea sunt eiusdem generis, cum alijs quę externum Dei cultū commendant, qui tamen nulla sui parte nobis sit reuocandus: cū id iam sit tēpus, quo Deū colimus in spiritu & veritate. Noui Testamenti loci duplicis sunt generis: aut enim ea referunt ac instituunt quæ extra cœtus sacros fiunt, aut de ijs, quæ in conuentibus sacris fiunt, monent. Qui vitam ac mores extra cœtus sacros degentium hominum formant, eorum vsus non est omnis ad sacros cœtus trāsferēdus. Eius generis locus is est, qui ex Epistola ad Ephesios scripta sed non totus adductus est. Dicit enim apostolus, Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed spiritu sancto impleamini loquentes vobismetipsis psalmis. Hic nemo non videt eos doceri qui in conuiuijs accumbunt, ne vel ebrietate & crapula, vel lasciuis cantilenis Deum offendāt: sed loco vini spiritum sanctum, pro cantilenis obscœnis psalmos in conuiuijs habere velint. Hoc non est transferendum ad ecclesiasticos cœtus, à quibus conuiuantium crapulæ & cantilenæ sunt alias remotæ & alienæ. Sic etiam quod Paulus & Silas in carcere orantes Deum laudasse dicuntur: siue cantu siue nuda verborū pronunciatione id fecerint, non est ad cœtus sacros transferendum. Porro si locos ex 1. Corinth. 14. & Coloss. 3. ad ecclesiasticos cœtus informandos maximè referamus: tamen cum in corde canendum moneant ambo: magis spiritualem illam psalmodiam, quam

Thomas

Thomas Aquinas etiam ipse ex eisdem colligit locis, quam externam illam Musicam probant. Ex quibus intelligi potest nullum esse Scripturæ locũ qui cantum ecclesiasticum, vt alia pietatis exercitia mandet. Verum his in vtramque partem dictis ac cõsideratis, deinceps est videndum, quid de tota controuersia tandem statuendum sit ac videatur. Existimandum igitur erit, cũ præceptum in Noui Testamenti libris nullum extet, quo Musicæ ecclesiasticæ vel mandetur, vel explodatur vsus: nec eas ecclesias, quæ nullam in suis templis Musicã habent, ad recipiendum eius vsum cogendas, nec damnandas esse eas, quę suis in templis hac vtuntur: sed cuiq; ecclesię quod eius statui conueniat ac conducit esse concedendũ. Quã sententiã rationibus illis obtineri posse est confitendum. I. Quod nullo iure ad id cogi quisquã potest, ad quod nullo vel Christi vel apostolorũ pręcepto obligatur. Adigimur quidem & Christi & Apostolorũ præceptis ad audiendũ verbum Dei, ad preces, ad vsum sacramentorũ, ad eleemosynas, ad confessiones ac laudes Dei, ad reliqua munera atq; exercitia pietatis: verũ oratione & verbis ne, an hymnis & psalmis diuinã gloriã proueha-mus, perinde est ducendum. Huius argumenti rationem ipsi quoque cantus ecclesiastici doctores & patroni concedunt. Etenim Antoninus part. 3. tit. 13. ca. 4. § 9. ad quæstionem, vtrum sit cantandum officium, respondit: De hoc non reperitur aliquod pręceptũ nec de iure diuino, nec de iure positiuo cõmuni: & sic in huiusmodi habet locus quod dicit Hieron. vna quæq; prouincia in suo sensu abundet. d. xxv. vnũ. II. His accedit quod omnis antiquitatis monumentis indicatur, cantum ecclesiasticum alibi in magno & vario, alibi in exiguo & præparco, alibi in nullo prorsus vsu fuisse: & ab Orientis ecclesijs sub ipsa rerum Christianarum initia, ab Occidentis ecclesijs admodum sero receptũ. Quæ in varietate & dissimilitudine satis clara sunt impressa vestigia libertatis. III. Si quæ sint ecclesiæ, quarum paci & tranquillitati inde incommodũ aut damnum aliquod afferri posset, videlicet hominum malignorum, aut vicinorum inimicorum arte & improbitate, siquidem ecclesiastico illo cantu vterentur: certe eorum incolumitati & paci tantum est dandum, vt ne eum recipere cogantur. Nam cum olim omnes in templis promiscuè cantarent: ad coercendos confusionis authores, ne qui in templis præter canonicos psaltes canerent, in Concilio Laodiceno constitutum fuit. Qui canon etiamnum extat in d. xvj. Si id illis vitandæ confusionis & turbæ causa licuit & placuit: eadem de causa alijs id ipsum aut simile quiddam suæ paci conueniens nimirum sit concedendum. IIII. Maiorem autem ecclesiæ veteri, verbi quàm cantus curã fuisse vel id argumento esse potest, quod plurimum temporis doctrinæ, minimum psalmis & hymnis tribuerunt. Idq; Iulianus apostata obseruauit & imitandum duxit: quando ipse quoque doctores & lectores in templis suis instituit, quorum cohortatione populus ad honestas actiones & suorum deorum cultum excitaretur, quemadmodum Sozomenus lib. 5. cap. 16. scribit: cum aliàs horis matutinis solum cantiones quædam quas exercitationes vocant, in eorũ templis ac delubris decantari consueuissent. Qua de re Arnob. li. 7. aduersus Gentes plura scribit. Quare nemo nobis etiam vitio verterit, si plurimum doctrinæ, minimum canticis tribuamus. V. Quod maior in sermonibus ac precibus, & gratiarum actionibus aliàs pronũciatis, quàm cantionibus grauitas inest. Qua de causa viri graues & religiosi, quoties eis aliquid seriò cum Deo agendum fuit, id oratione & verbis potius, quàm decantatis carminibus expediendum duxerunt. Eademque ratione mihi ducti fuisse videntur illi, qui musicorum instrumentorum vsum è templis remouerunt, nimisq; puerilem, & ijs qui in Christo adulti videri volunt, minus conuenientem esse existimarunt, ac solum simplicem cantum in ecclesia reliquerunt. Quod author responsionum ad orthodoxos, quæ Iustino tribuuntur, Quæst. 107. satis clarè docet. Cum enim quæreretur, si ab infidelibus ad impostaram inuenta sunt carmina, & in lege introducta sunt propter animi puerilitatem: cur qui gratiæ perfectam & ab illis modis alienam disciplinam acceperunt, carminibus vtantur in ecclesijs more puerorum legis? respondet hoc modo: Non canere simpliciter est pueris conueniens: sed cum inanimis instrumentis canere & cum saltatione & crepitaculis. Itaque in ecclesijs sublatus est vsus talium instrumentorum, & aliarum rerum pueris potius conuenientium, & relictum est canere simpliciter. Ergo quasi quodam modo repuerascunt, qui simplici cantu non contenti, Musica quoq; instrumenta inuexerunt. Idque tanto magis est puerile, quando fit ijs in locis, in quibus cum semel amota fuissent, eoque desueuissent homines, denuo reuocantur. Sed sic proficiunt, qui plus externum, quàm internum & spiritualem Dei cultum spectant. Multò grauior, flagrantior, vehementior est oratio, quæ dicitur, quàm quæ canitur. Et quis vel supplicaturus principi, vel in iudicio causam agens canit? Et cum morimur, quo tempore spiritus maximè feruet, non cantando, verum inuocatione seria ac graui decedimus: Sicut etiã Christus animã suam deponens fecit. VI. Periculum est, ne dum promouere cultum Dei volumus cantu, magis eum impediamus. Idq; passim factum vidimus. In ijs enim ecclesijs, quæ papam Rom. capitis loco habent, hymni Latini Germanis, Gallis, & alijs Latini sermonis ignaris populis sunt decantati: quo factum est, vt aures

quidem sono feriri, mentes verbis non intellectis nec doceri, nec castigari, nec consolatione refici sed concentus suauitate in alienas a religione cogitationes abripi possent. Sed & si intelligi carmina illa possent: animi potius ad rerum creatarum quam creatoris cultum abriperentur: cum sint cantus in honorem hominum sanctorum & angelorum facti, & omnigena superstitione referti. Pertinet eodem, quod maiores in illam Musicam sunt collocati sumptus, quàm in ipsam doctrinam, eoque factum est, vt cantorum munus, quod olim minimum in ecclesia fuit, tandem fere maximum euaserit. Quam ad rem Gregorius multum momenti attulit, instituta Romæ cantorum publica schola, quemadmodum Ioan. Diaconus in eius Vita lib.2.cap.6. scribit. In nonnullis alijs ecclesijs, itidem vidimus aliqua ex parte peccatum admitti; quando longo eoq; etiam vulgo non intellecto cantu, & tibiarum & organorum strepitu sonoro tam diu detenti sunt auditores, vt deinceps & tempus & animus ad audiendum verbum defuerint; præterea qui canunt, amatoriorum modorum imitatione mentes à religione magis alienarint. Quod hi theologi improbant, qui censent in signis gaudij cum peccatoribus non esse communicandum. Simplicem ergo & modestum & perexiguum in templis sacrarum cantionum vsum nemo sanus improbarit: nempe cum vnus & alter psalmus ante & post concionem, sacramenta, atq; preces decantetur ea videlicet qua intelligi vulgo quoque possit lingua. Rursus est concedendum cantu nimio eoq; non intellecto in primisque diuino instrumentorum Musicorũ sono mentes in alienas à verbo diuino abripi cogitationes. Prudenter igitur & religiose est hac in re versandum. Ac quemadmodum Athanasius in illa prolixa ad Marcellinum epistola de psalmorum interpretatione, cauendum monet, ne quis eos secularibus ad eloquentiam verbis ornet, neúe conetur dictiones immutare, sed simpliciter, vt scripti sunt, recitet: sic existimarim cauendum in cantu quoque, ne plus auribus demolcendis, quàm permouendis ad pietatem mentibus dedisse videamur. Iam enim id tempus est, quo qui patrem omnipotentem verè volunt adorare, id non cerimonijs aut vllo externo expediant modo, sed faciant in spiritu & veritate.

Hac iam posita narrationis illius summa, dein circumstantiæ suis quæque locis dilatantur. Ac vigesimo octauo quidem versu, quæ de personis præterea dicenda visa sunt, primum omnium explicat & illustrat magis, quando indicat, quibus ex locis quique fuerint accersiti. Filij cantorum ij videntur dici, qui ad Musices ecclesiasticæ studium educabantur quemadmodũ & filij prophetarum, qui prophetarum erant auditores & discipuli, dicebantur. Vnde fuerint cõquisiti notatione locorum declarat, מִן הַכִּכָּר סְבִיבוֹת יְרוּשָׁלַםִ, id est, de planitie quæ est circum Hierosolymam. Causam eius rei reddit eo, quòd dicit, quia circum vrbem vndique villas extruxerant: seu quia nondum in vrbanis ædibus omnia ad eorum vsus essent perfecta: sed quod familias in suburbijs facilius ac minore sumptu sustentarent: seu quia colendis prædijs operam nauarent. Porro נְטוֹפָתִי dici videtur aliquis è Netopha oriundus. Est enim Netopha villa, aut oppidum, cuius ob heroes inde oriundos celebritas est magna. Velut 2. Reg. 23 Maharai Netophatites: 4. Reg. 25. Saraias Netophatites memorantur. Quod dein vulgata versione refertur. Et de domo Galgal: id melius ex Hebræo vertere LXX Interpretes in Codice Cõplutensi videntur, Βαιθγαλγάλ: vt בֵּית nomen Hebræum sit proprium, non appellatiuum, ac dicatur Bethgalgal, sicut & Bethauen, Bethbara, Bethgamul, & alia loca nominantur. Alioquin גִּלְגָּל Hebraice significat reuolutionem: & ciuitatis Hierichunti vicinæ est nomen, cuius & Ose. 9. meminit. Forsan ab hoc nõ longe remotum aliud oppidulum situm fuit, quod differentiæ causa nomine Gilgal, alterũ illud Beth nomen habuit adiunctum. Dein addit: de regionibus Seba. Id oppidum Beniamiticæ sortis fuit, Aharonis posteris assignatum. Azmaueth autem quod aliàs est etiam proprium viri nomen cuius 2. Reg. 23. fit mentio, videtur hoc loco dici vel Beniaminiticum vel Iudæum oppidum: quando & Hierosolymis vicinum, & sacerdotum sedes, & Beniaminijs oppidis ac villis annumeratum fuit.

Vbi de locis, è quibus dedicationis administri conuocati sunt, dixit, deinceps ad illud opus quo modo sese accinxerint, ostendit. Dicit autem quod primò se, deinde populum, postremo portas ac muros emundarint. Iam quo modo sacerdotes ab immunditie perpurgare sese cõsueuerint, Moses Nu. 8. docet, indicans eos aqua lustrali aspersos & vndiquaque rasos, ablutis etiã vestimentis suis peculiares quasdam eodem loco descriptas Deo victimas obtulisse. Quomodo vero reliqui ciues mũdi redditi sint, idem Num. 19. docet, quod eadem aqua corpora pariter ac vestimenta sua asperserint atque abluerint. Sed aquam ipsam eodem loco describit. Quæ omnia typus erant purgationis eius, quæ per Christum ijs qui credunt, confertur. Vacca rufa extra castra educta atq; in oculis omnium hominum immolata Christum extra muros vrbis Hierosolymitanæ eductum atque in omnium isthic commorantiũ oculis in ara crucis oblatũ plane repræsentabat. Nam vt Augustinus li. 4. Quæst. in Nu. & Gregorius in sept. pœnitentialem Psal. 4. præclarè exponũt hoc mysterium: sexus animãtis immolandi, assumptæ ad immolandum carnis Christi imbecillitatem: &

color

color אדם, id est, rufus, sanguinis Christi ruborem, significabant: sicut hysopus, cui D. Augustinus libro secundo de Doctrina Christiana cap. 16. vim pulmones purgandi tribuit, eam quæ est in sanguine Christi vim nos abluendi & expurgandi: & lignum cedrinum, quoniam putredinis omnis expers est & firmum & procerum, significat absolutionis, seu vt vsitato vtar nomine, iustificationis eius, quæ per Christum confertur, perpetuitatem & perfectionem. Quamobrem cum hæc iam omnia per Christum reuera consecuti simus, eoque ipso iam vmbræ præterierint, data luce: non est, quod externum harum rerum vsum, quasi Christum nondum acceperimus, reuocemus: sicut de conse. d. iij. c aquam. Canonica iura tradunt. Fide enim Christum complexis mundities & integritas confertur. Ac mirū sit, nos qui Christo iam potiti sumus, his rebus externis vim purgantem asscribere, cum veteri populo Deus ipse professus sit, his externis ritibus mundiciem non conferri, verum se esse dominum qui sanctificet: vt Exod. 31. Moses attestatur. Quemadmodum autem illi prius sese purgant, quam ad hoc pietatis exercitium accedant: sic nos ipsi quoque prius confessione & deprecatione culpæ, & fide in Christum firma Deo offeramus, quam vllam præsertim magnam sanctamque rem gerendam suscipiamus. Sic enim id auspicatò aggrediemur. Idque tanto magis opus est facto, quòd & Veterem populum Deus nunquam admittere voluit in conspectum suum prius quàm esset sanctificatus, vt videre est Ios. 7. Exod. 19. & eius rei causas reddit Leuit. 20. quia & ego sanctus sum: & in vtroque Testamento profitetur se quicquid non fit ex fide, peccati loco habere, propterea nec à Caino victimam suam, nec ab Iudæis sanguine madentibus preces ac hostias acceptare voluisse. Quod Gen. 4. Ebr. 11. Esa. 1. 2. & alibi indicatur. Quemadmodum item illi sacerdotes se prius purgant, quàm ad reliquos ciues perpurgandos conuertantur: sic Beda rectè prudenterque existimat, ecclesiæ doctorum & pastorum interesse, vt priorem in seipsis, posteriorem in reliquis ciuibus purgandis operam ponant. Et sanè parum conueniens fuerit alium lauare velle, qui ipse sis adeo fœdis maculis conspersus, vt ablui vix queas. Quin & Dominus Christus iudicat turpe esse ei, qui trabem in oculo suo ferat, eximere ex alterius oculo festucam velle: ac ne id fiat apostolis suis, quos illustratum genus humanum erat emissurus ante omnia mandat, vt ipsi lux mundi esse velint. Ecclesi. 34. ab immūdo quis mundabitur? Esa. 52. Mundamini, qui fertis vasa Dei. Ergo vt conferre munditiem populo suo possent, prius ipsi munditiem modo præscripto adipisci student. Portas autem & muros aquæ lustralis aspersione purgatos fuisse, vel tabernaculi & aliorum ædificiorum lustrationis ritus facilè nobis cōprobarint. De quibus ipsis etiam Num. 8. & alibi scriptum extat. Quemadmodum autem ingratitudine erga Deum datorem, & impuro rerum vsu facimus, vt nostra bona, quæ suapte natura minimè erant impura, diuinam execrationem incurrant, ac fiant immunda: sic nostri ipsorum purgatione per Christi fidem facta consequimur, vt in pristinam suam castitatem atque integritatem restituantur. sicut dicit apostolus, omnia pura puris.

Trigesimo primo, & inde vsque ad quadragesimum tertium versibus reliquis res ipsa scilicet vrbis dedicatio copiosè prolixeque describitur. Ac primum quo modo omnia instituerint atque peregerint, videtur hoc ipso declarare, quòd dicit omnem principum, sacerdotum, ciuium multitudinem duabus classibus diuisam: quarum hæc vna, illa alia via processerint. Quæ res quò magis perspicua fiat, quibus nominibus classes has appellet, & qua via quæque ierit, est considerandum. Nomina classium veritas Hebraica sic exprimit: תודות גדולות, id est, vt Vulgatę versionis author eleganter & appositè vertit, choros magnos. Nam vt apud Græcos chori ἀπὸ τῆς χαρᾶς, id est, à gaudio dicuntur saltantium & canentium cœtus: sic apud Hebræos rectè existimabimus Nehemiam תודה à confitendi & laudandi verbo mutuato nomine psallentium & canentium & laudes diuinas prædicantium cœtus appellasse. Eodemque modo Philo scribit Mosem cum Israelios Ægypto eduxisset, duobus choris omnem illorum multitudinem diuisisse: quorū vnum, qui mulierum fuit, Maria soror, alterum videlicet virorū ipse, duxerint. Et sane ea ratione cum ordinum & actionum omnium perturbationem vitare, tum melius omnia ac decentius poterant expedire. Quà vero quique chori ierint, de eo diuersæ sunt opiniones. Quidam enim existimant vnum chorum super muro totam vrbem circumiuisse: contrà alterum ponè murum infernè circum vrbem iuisse. Quam opinionē Liranus confutat ipsius Nehemiæ verbis testantibus vtriusque chori partem, vnam super muro, alteram per plateas incessisse. Verum si portarum & locorum rationē ineamus: vnus chorus videtur Orientis & Meridiei latera, alter Aquilonis & Occidentis muros ac portas transisse: vtrumque à porta ad portam contendisse. Eo vero ambitu voluere beneficiorum Dei inspectionem testari, seque ea ipsa ad gratiarum actionem excitare. Interest autem omnium hominum, quæcunque diuinitus obueniunt beneficia cogitatione peragrare & perpendere, eoq; sibi ipsis authores & impulsores esse ad confessionem & laudem beneficentiæ Dei. Nec minus est obseruatu dignum, quod ambo chori licet diuersam ingressi viam essent, tamen in templo, tan-

dem quod illis religionis ac pietatis omnis erat officina, quasi in rectissimo, quem vtrique propositum habuerint, centro conueniendum duxerunt. In eundem enim finem omnes, vtut diuersæ vitæ munia atque genera subeamus, tamen nobis conueniendum arbitremur. A quibus autẽ hec res omnis sit peracta, singulorum ordinum enumeratione declarat: videlicet, sic, à principibus Iuda, à magistratibus, à filijs sacerdotum. Est enim principum virorum & sacerdotum hoc genus res in primis gerere. Sed & sacerdotum quorundã nomina edit, & in his in primis nominat Esdram. Quod nonnullis dubium videtur & difficile creditu: eò quod id ætas Esdræ non videatur ferre. Nam si ille filius Saraiæ sacerdotis eius, quẽ in Ribla à Nabuchodonozore condemnatum ac supplicio capitis affectũ fuisse historia sacra testatur, & quidẽ posthumus fuit: cùm Zorobabelem ducem secutus è Babylone Hierosolymas ascenderet, saltem septuagenarius fuerit, necesse est. Ac si inde ad id tempus, quo sunt isthæc peracta, totidem propè annos numeremus: centum triginta annorum ætatem illi tribuemus. Quos ille videtur minimè consequi potuisse. Quare Iudæi quidam ad metonymiam confugiunt, ac putant Esdræ nomine non ipsum Esdram, verum restitutum ab eo legis librum, nomine eius appellatum & ante eum coram publicè gestatum dici. Rursus alij Thalmud legem secundariam Esdræ nomine vocatum, & in illo ambitu prælatum ante ordines sacerdotum: Esdram aliàs non fuisse tam superbum, qui præire toti cœtui ipsique adeo pontifici voluisset. Sunt & qui dicunt vocem ante, significare doctrinę excellentiã. Mihi vero tam aperta ac perspicua authoris verba cõsideranti multo videtur tutius ac facilius, quod narratur credere, quàm ad illas leues ac ridiculas expositiones diuerti posse. Nam vt proximè dictum est de Nehemia, vir sanctus ac sobrius & plus in studijs quàm conuiuijs versatus, quandoquidem tantum tamque necessarium ecclesiæ Dei conseruandæ instrumentum fuit, ope diuina facilè potuit consequi vel hac ipsa quoque maiorem longæuitatem. Aharon sanè, qui iudicio Dei potius sublatus, quàm vlla naturæ suæ imbecillitate victus mortem obijt, centum & triginta annorum ætatem est assecutus. Nec mirum hoc illis eximijs Dei seruis datum, cum id habuerint cum alijs inferioris ordinis viris commune. Quæ cum ita sint, nihil ob id in dubium vocemus. Quid autem fecerint, & quibus ad id quod fecerunt vsi fuerint, instrumentis: 40. & 41. & 42. versibus exponit. Ac refert cantus, victimas, ac lætas exclamationes. Cantum Dauid, victimas Patriarchæ & Moses instituerant: iubilos & reliqua gaudij signa ipsa natura quę rebus secundis suauiter afficitur, facilè dabat. Potissimum autem instrumentorum omnium tuba fuit, cuius vsus Iudæis in pace & bello, sicut aliàs diximus, magnus ac frequens fuit. Ex quibus perspicuum fit plurimum pietatis & lætitiæ nihil omnino superstitionis in omni illo actu fuisse. Qua de causa credibile est etiam ipsum tam Deo placuisse, quàm illis ad pietatis fideique incrementa plurimum profuisse.

43 Recensuerunt quoque in die illa viros super gazophylacia thesauri, ad libamina & ad primitias, & ad decimas, vt introferrent per eos principes ciuitatis in decore gratiarum actiones sacerdotes & Leuitas: quia lætificatus est Iuda in sacerdotibus & Leuitis astantibus.

44 Et custodierunt obseruationem Dei sui, & obseruationem expiationis, & cantores & ianitores iuxta præceptum Dauid & Salomonis filij eius.

45 Quia in diebus Dauid & Asaph ab exordio erant principes constituti cantorum in carmine laudantium & confitentium Deo.

46 Et omnis Israel in diebus Zorobabel & in diebus Nehemiæ dabant partes cantoribus & ianitoribus per dies singulos, & sanctificabant Leuitas: & Leuitæ sanctificabant filios Aharon.

Quadragesimo tertio & inde ad capitis finem vsque pars extrema rerum hoc capite comprehensarum, quæ est de electione quæstorum ærarij sacri, proponitur. Est autem breuis hæc & perspicua narratio: quippe quæ nec difficultatis, nec obscuritatis habeat quicquam, & ordine concinno omnia proponat: quando electionis modum, tempus, personas, materiam seu officium, causam, notat.

Ac modum quidem פקד verbo, quod inspicere, significat, vtcunque videtur indicare. Ponitur autem id ipsum hic in forma generis passiui in hunc modum: Et visitati sunt, id est, singulari industria quæsiti, iudicio sincero & graui delecti. Quæ res esse documento omnibus in repub. versantibus potest, in omni genere seu ecclesiasticarum, seu ciuilium electionum cauendam temeritatem, cauendum item studium partium aut priuati commodi, itemque odium & inuidiam: rursus opor-

sus opor.

sus oportere adhiberi diligentiam, iudiciom, fidem & probitatem. Et hæc in primis requiruntur, si quando siot eligendi ij, quibus bonorum publicorum cura demandetur. In Act. apostolorum ad Diaconatus officium viri pleni spiritu sancto deliguotur. Nec mirum eos, qui Deum reuereotur & sapiuot, hic diligentes esse & cautos: quando crimen peculatus publicam ooxam affert, & implicat pariter non solum eos, à quibus admittitur, verum etiã eos, qui tales elegerunt ac fouent. Quò fit vt ad publicum damoum accedant etiam ruinæ & ioteritus causæ.

Tempus autem, quo facta fuit hæc electio notat eo, qood dicit: eadem die: qoa nimirum vrbis dedicatio peracta fuit: ne si qua mora interuenisset, hæc alacritas, quam dedicatione in animis omnium excitarat, se remitteret, & deioceps minus propensi essent ciues ad dandum. Exemplo est, occasiooibus, dum se præbent arripiendas, vtendum.

Personas eorum, qui fuerunt electi, hic nisi posito nomine אנשים id est, virorũ, clarius non exprimitur. Verum si consideremus locum Num. 18. videntur è sacerdotum ordine certos quosdam eosque spectatæ fidei viros elegisse. Nam isthic dicit Dominus Aharoni: Et ego ecce dedi tibi custodiam eleuationom mearum de omnibus sanctificatis filiorũ Israel, tibi ioquam dedi eas propter vnctionem & filijs tuis io statutum æternitatis. Eos ad hæc eligamus officia, qui cũ iure possunt, tum & suo merito eligi debent.

Officium autem, seu rerum gerendarum materiam primum communi nomine notat, dein illustrat singularum partium enumeratiooe. Commune nomen לשכות לאוצרות id est, cooclauis thesaurorum, haud malè gazophylacij oomine Vulgatæ versionis author expressit. At Hebraica veritas habet duo nomina, qoorum altero cootinens, altero id quod continetur, notatur. Opus est autem cuique ciuitati cum thesauro, tum etiam loco ad eum asseruandum tuto ac bono. In thesauris autem suis quid habuerint illi, singularum partium enumeratione declarat. Verum ioterest eorum, qui id penitus scire volunt, ipsa Hebrea nomina coosiderare. Primùm תרומות nomen Vulgatæ vers. author libamioa vertit, LXX. ioterpretes planè prætermittunt. At Ex. 25. Volg. Interpres primitias vertit, secutus septuagiota interpretes, qui ipsi quoque eodem loco [illegible] vertunt. Verum Hebræum nomen significat quoddam & ab libaminibus, & à primitijs diuersum oblationis genus. Idq; euinci primum hoc ipso potest, quod vtriq; generi proprium aliud est apud Hebræos oomeo. Libum enim seu libameo נסך à fundendi verbo deducto nomine vocant Hebræi: quod est proprium liquidorum, velut מנחה aridorum: dein ipse qooq; Vulg. vers. author sententiam mutat suam. Ergo nec primitiarum nec liborum oomina conueniunt oomini Hebræo: quando idipsum aliquid significat, quod in altum eleuetur, aut suspendatur: vt quod à רום, id est, eleuando sit deriuatum. Onkelos vertit אפרשותא, id est, separationem, vel separatam à bonis reliquis oblationem. Et sane vim eius nomiois [illegible] Græcum nomeo optimè exprimit, & simul etiã Chaldæi oominis significationi pulchrè respondet: quando & ipsum ab [illegible], id est, seponeodo & suspendendo deriuatur. Qua de causa apud Græcos etiam dona, quæ suspenduntur in templis in honorem Deorum significauit. Post hæc etiam ראשית primitiæ nominantur, quorum oomen à ראש, id est, capite dicitur. Earum autem oomine quæconq; primum maturuere fruges, & quæcunque suot tempore prima, significantur. Inde etiam decimæ nominaotur: quarum ratio prope omnis superius est proposita atq; explicata. Has res illi in thesauris sacris reponebant, earumq; curandarum ac distribuendarum munus qoæstoribus iam electis committebant. Comq; hæc essent sacra, quippe quæ sacrarum oblationũ oomeo mererentur: studiosè religioseq; erant custodienda.

Causam, qua ad id faciendum suot adducti, refert illam, quod Iudæi bono successo læti Leuitis hæc donaria afferrent. Dicit autem Iudæis tantopere placuisse Leuitarum officium tam studiosè perfectum, vt quicquid possent, ad iuuandos eos promptè libenterq; cooferrent. Et vt indicet noo frustra aut leui de causa gauisos illos, dicit sacerdotes & Leuitas custodisse, & quidem custodiam mundam: idq; dum Zorobabel & Nehemias superstites essent. In quo tria sont obseruatu digna. Primum in exemplo populi, qui cum religioois recta ac ordinata administratione suauiter afficitur, tum etiam gratum se eius administris præbet ac liberalem. Tale quid de Thessalooicensibus etiam prædicat Paulus. Iouenies, qoi religionem contemnant, & ministris eius non modo nihil dent ipsi, verum id etiam eis iouideant, qood ipsis ab alijs datur. Qualis Iudas quoq; fuit, qui Christo inuidit id etiam quod Maria dedit. Alterum in sacerdotibus, qui custodiunt suæ curæ tradita, & adhibeot custodiam puram, hoc est, officium suum sincere sancteq; faciuot: eoq; & merentur & efficiunt, vt omois in eos populus munificus sit ac liberalis. Sic efficient, vt homioes eis sua bona minus inuideaot. Fucos enim ignauum pecus quis ooo oderit & à præsepibus arceret? Heli filij molestum erant onus genti: Christo verò & apostolis nunquam defuere pij & grati auditores, qui vicissim eis aliqua dona conferrent. Vnde & interrogat eos Dominus: qoando vos emisi sine sacco & pera, nunquid defuit vobis? Meminerint igitur ministri verbi fide & diligentia fieri, vt

3. homines eorum officia gratioribus animis accipiant ac liberalius remunerentur. Tertium sub Zorobabele & Nehemia, quibus viuentibus remq; publicam gubernantibus, & Leuitis à populo suæ decimæ datæ, & Aharonis posteris ab Leuitis suæ quoq; persolutæ memorantur. Præclarum sanè magistratuũ fidei diligentiæq; tributum testimoniũ. Vt turpe est illud, Bibulo nam Consule fieri nil memini: sic honestissimum est & iucundissimum optimi cuiusq; principis conscientię dicere, ó fortunatam factam me Consule Romam. Equidem Zorobabele defuncto & Nehemia Susas reuerso, quantum hæc vrbs sit ab illa priore mutata, quæ seq. cap. referuntur, edocebunt.

CAPVT XIII.

ETsi toto hoc libro multa præclara Nehemiæ dicta ac facta proponantur: hoc tamen vltimo capite eius libri, virtus eius in primis elucescit, quòd res maximas non minus piè & fortiter abs se, quàm prudanter & diligẽter gestas adeo simpliciter & modestè refert, vt ne tantillam præbeat affectatę laudis suspicionem. Intelligendum est autem Artaxerxis Persarum regis anno vicesimo, Nehemiam Hierosolymam venisse, ibiq; duodecim annis commoratũ, vrbem simul ac rempub. instaurasse, deindeq; ad regem in Persas rediisse. Absente autem eo, cum pontifex & alij malè se gessissent: factum est, vt quatuor mala maxima Iudæam remp. inuaderent: quæ piorum hominũ precibus è Persis reuocatus ipse & reuersus omnia fortiter & prudenter amouit. In his primum erat violatio templi eo ipsu admissa, quòd contrà ac lex ferret Am-
1. monitæ cuidam locus in templo datus esset. Alterũ, quod sacerdotibus essent subtracta stipendia,
2. eaq; ratione sacerdotibus & Leuitis ad priuatas operas ob pauperiem adactis, sacerdotij functio
3. religionisq; administratio omnis impedita ac neglecta iaceret. Tertium, quod contempta lege Dei
4. nundinis publicis sabbatũ pollueretur. Quartò quod cũ alienigenis fœminis matrimonia contraxissent, eoq; matrimonium contaminassent. Hæc etsi simpliciter ipse referat, nec vllam vel leuissimam captatæ gloriæ suspicionem moueat vnico quoq; verbo: tamen in personis, in rebus, in actis, in temporibus, in locis insunt impressa vestigia virtutũ eius maximarum. Nam si sit habenda personarum ratio: in tollendis his malis offendere & oppugnare Nehemias necesse habuit summum Pontificem, magistratus, indigenas & alienigenas, diuites ac pauperes, quos vniuersos ac singulos hæc tangebant mala: quorum de lucro, dignitate, voluptate, & delectatione agebatur. Res ipsas autem si spectemus, erat quod ab his fiebat, rerum sanctissimarum tetra ac modis omnibus execranda violatio. Verum iudicio vulgi res hęc omnis leuior ac quoquo modo toleranda videbatur. nempe vt Conciliandæ gratiæ & amicitiæ causa vicino locus aliquis in templo detur. præsertim cum id fieret sine ciuium incommodo atq; molestia, cum & templo nec daret, nec derogaret quicquam. Isthæc vero iuris sacerdotum vindicatio quasi studium partium aliquod & vnius ordinis iuuandi causa reliquos omnes offendere, erat magna cum inuidia coniunctum. Sabbatum item videbatur ea tempestate non ita vt à patribus esset olim cultum, rigidè posse obseruari: ni vicinos offendere, & annona ciuitatem destituere, & publica priuataq; commoda impedire, pro nihilo ducendum videretur. Vxores autem à maritis atq; à dulcissimis liberis auellere, videbatur turbare publicam pacem, & minuere apud vicinos gratiã, & odia ac fortassis etiam bella conciliare Quod si ipsa acta ponderemus, earum quas protulimus, excusationum nihil hic moratus, vasis eiectis, principibus grauiter obiurgatis, mercatoribus exclusis, libidinosis supplicio affectis, templũ, sacerdotium, sabbatum, matrimonium à tetra violatione & contemptione in dignitatem pristinam vindicauit. Quæ sanè piè sunt ab eo & fortiter acta. Tempus autem & locus, hæc eius facta præcipuè cõmendant. Etsi enim ætas eius iam ingrauescens excusationem minimè leuem præbuisset: tamen & adire pericula, & laborem & offensas sustinere maluit, quam reipub. conseruationi debitam operam negare. Ac quanquam adeo longum interuallum locorum facere potuisset, vt scripto potius agendum, quàm iter adeo longum ingredi se debere existimaret: tamen vt præsens magis moueret, & contumaces facilius à proposito suo reflecteret, ipse est profectus & omnia peregit. Impigri sunt hæc animi, & valde magni. Atque hæc si ita considerentur, videre est hoc cap. contineri quatuor narrationes vtiles pariter ac dignas consideratu.

IN die autem illo lectũ est in volumine Moysi audiente populo: & inuentum est scriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in ecclesiam Dei vsque in æternum.

2. Eo quod non occurrerint filijs Israel cum pane & aqua, & conduxerint

xerint aduersum eos Balaam ad maledicendum eis: & conuertit Deus noster maledictionem in benedictionem.

3 Factum est autem cũ audissent legem, separauerunt omnem alienigenam ab Israel.

4 Et super hoc erat Eliasib sacerdos, qui fuerat præpositus in gazophylacio domus Dei nostri, & proximus Tobiæ.

5 Fecit ergo sibi gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponentes munera, & thus & vasa, & decimam frumenti vini & olei, partes Leuitarum & cantorum & ianitorum & primitias sacerdotales.

6 In omnibus autem his non fui in Hierusalem: quia anno tricesimo secundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem: & in fine dierum rogaui regem.

7 Et veni in Ierusalem & intellexi malum, quod fecerat Eliasib Tobiæ, vt faceret ei thesaurum in vestibulis domus Dei.

8 Et malum mihi visum est valde, & proieci vasa domus Tobiæ foras de gazophylacio.

9 Præcepique & emundauerunt gazophylacium: & retuli ibi vasa domus Dei, sacrificium & thus.

Malum primũ & eius abolitionem primis capitis huius versibus nouem eo modo describit, vt quodnam, & quale & quantum fuerit, intelligatur. Est quidem subobscura facti illius seu definitio seu descriptio: sed si id quod de eo dicitur, cum eo quod Nehemias in ipso remouendo fecit, conferamus, videtur intelligi posse, quod Tobiæ quoque, ceu vnus ex ministris altaris esset, & gazophylacium in templo constructum, & positis vasis donaria collecta fuissent. Nehemias enim vasis huius remotis vasa Dei se restituisse scribit. Hoc factum non simpliciter & paucis recitat, sed compluribus additis circumstantijs exaggerat, & ostendit impiè, seditiosè, impudenter, vafrè factum. Vt impiè factum declaret, versu primo & secundo legem, qua Deus hoc vetuit, publicè recitatam & auditam dicit hoc modo: In die autem illo lectum est &c. Hic singula suũ peculiare pondus habent & documentum. In die autem illo, ait, nimirũ quo peracta dedicatio fuit, & electi sunt quæstores bonorum ecclesiasticorum. Neque enim hæc ad sequentia videntur referenda: nisi quis existimet, Nehemiam, cum è Persis reuersus esset, & voluisset ostendere quàm tetra ac diuinis legibus aduersaria res hæc esset, fecisse, vt lex hæc prohibens prius omni populo recitaretur, quàm ipse facti illius emendationem aggrederetur. Verum factum arbitremur, lex ostendit pontificem à recto tramite deflexisse, & naturam humanam cum cito rerum, quas vetat Deus, obliuisci, tum sane quàm procliuẽ esse ad errores ac lapsum. Ex eo verò quod dicit, Et lectũ est in libro legis &c. Videtur posse colligi sacras lectiones eis vsitatas fuisse: nec solum decantatos hymnos, verũ etiam ex Scripturis sacris aliquos locos recitatos inter dedicandum. Inuentum est scriptum: id est, lex ista prohibens est inuenta, eiusq; lectione præbita ad emendationem occasio. Etenim hac inuenta quid fieri, vel non fieri deberet, est cognitum. Vtiles ergo sunt lectiones sacræ, quippe quæ semper aliquid afferant vtilitatis. Obseruandum est autem in primis quod ipsius legis verba adducit. Extant ea Deut. 23. vers. 3. Ammonites & Moabites etiam post decimã generationem non intrabunt ecclesiam Domini in æternum. Quia noluerunt &c. Exprimunt hæc non modo legislatoris mentem & sententiam, verum etiam firmam causam, qua aduersus contumacium hominum morsus atque exceptiones lex muniatur. Nec temerè nationes illas duas vna eademq; lege repellit simul, hancq; etiam de excludendis illis legem cum ea quam de spurijs tulit, lege coniungit: quando nationes illæ ambæ ex incesto concubitu sunt ortæ, proptereaq; non minus erat illarum, quàm aliarum extranearũ gentium consortium hominibus pijs ac sanctis deuitandum. Verum tamen istam causam Deus, qui clemens est, & innocentibus liberis nequaquam imputat culpam maiorũ, nunc non adducit, verum aliam potius hac longè grauiorem, eo quod dicit: eo quod non occurrerint filijs Israel &c. Quæ verba satis clarè significant hos duos populos admodũ inhumanis & malignis in Israeliam gentem animis fuisse: vt qui non solum non hospitales, misericordes, humani in Israelios extorres atq; exules, verum etiam ipsis hostibus fuerint immaniores. Inhospitales & inhomani, qui non exierint cum pane & aquis &c. hoc est, hospitalitatis officiũ aliquod præstiterint. Equidem hospitalitas virtus est excelsi magniq; animi propria & in primis grata Deo: & huius nomine Abrahamus qui angelos excepit, & filius Berzellai Galaadites occurrens Dauidi, & alij multi

celebrati sunt. Suntq. etiam ei Matth. 25. & alibi proposita premia. Inhospitales autem, vt Nabal, & similes iusto iudicio Dei pessimè & audierunt & habuerunt. Ammonitæ vero & Moabitæ illi non solum inhospitales fuere, verum etiam maligni, ipsisq. etiam hostibus acriores: vt qui non aperto Marte; verum instar maleficarum mulierum execrationibus Balaami vatis illos oppugnarunt. Qua de causa Deus voluit ab harum tam malignarum gentium consuetudine populũ suum perpetuo abstinere. Quæ res documento est, hostes non recipiendos in ciuitatem: quando præstare ciuium officium non possunt: vt qui sint ad id tuendum quod oderunt prorsus inepti. Accedit eodem etiam, quod auita odia sunt & acria & prorsus obstinata. Grauis hæc & magna satis ad muniendam legem illam ratio fuit. At huius Eliasibi impietas tanta fuit, vt nec reuerentia legis diuinæ, nec eius, qua munita lex fuit, rationis efficacia cohiberi potuerit. Quod impietatis enormis satis clarum signum fuit.

Vt ostendat hoc ab Eliasibo seditiosè factum, dicit populum Iudæum audita sententia legis diuinæ statim sese ab alienigenis segregasse. Id autem antea factum fuerat, quemadmodum ex superioribus potest intelligi, hocq. loco nunc repetitur, vt indicetur hunc Eliasibum adeo fuisse contumacem, vt nec diuinæ legis obseruantia, nec exemplo consensuq. populi Iudæi, quo minus extraneo homini & quidem hosti in æde sacra locum daret, cohiberetur. Vbi in exemplo populi Iudæi discimus emendationem rerum earum, quas in nobis repræhenderit verbum Dei, nulla prorsus interposita mora suscipiendam. Quamobrem cum incertum sit, quid serus vesper vehat: Igitur vt primũ audiuerimus aliquid in nobis depræhensum, quod displiceat Deo, statim in nos ipsi descendamus, idq. studiosè perquiramus & explodamus. Qui enim vnquam ex miserijs ac malis aliquibus incolumes euaserunt, hi Deum ipsos inde euocantem e vestigio secuti sunt: vt Lothus, vt Matthæus, vt Zachæus, vt ecclesia Christiana Pellam euocata, vt Ioannes Euangelistes balneum in quo Cerinthus lauabat, egressus, & alij multi. Contrà sit obseruandum exemplum contumaciæ enormis in Eliasibo, qui suum propositum totius populi consensus atq. exemplo anteponit.

Impudenter hoc ab Eliasibo factum 4. & 5. versibus ostendit: idq. & verbis ad euidentiã eius rei commodis, & circumstantijs impudentiã huius prodentibus. Prima, Et super hoc, ait: vbi phrasis Hebraica mentẽ authoris melius exprimit, לִפְנֵי הזה id est, coram hoc, vel, in conspectu huius: quasi diceret, in conuentu legem hæc vetantem audientium, in oculis eorum omnium, qui se diuinæ legi accommodarunt: dum recens esset reformationis communis memoria. Similis propè est impudentia, qua Zambri in oculis Israelis cum Madianitide coiuit. Secunda in persona, qui fuit pontifex, exemplum scilicet disciplinæ. Tertia in officio: præpositus gazophylacij, cuius intererat alios arcere. Quarta in mouente causa, quod quia propinquus esset Tobiæ, censeretur hoc affinitati dandum. Quę quoniã cum lege Dei pugnabat, erat mala causa, ac nihil boni poterat dare. Quinta in ipsa re, quo loco prius erant ad colligenda ministris Dei sua debita stipendia, posita vasa, eo ipso nunc homini impio ac peregrino sua vasa ponebantur. Hæc omnia significant hunc pontificem sic frontem perfricuisse, vt nec Deum nec homines reuereretur.

Porro vt indicet hoc ab Eliasibo vafrè factum, dicit idipsum vsq. in id tempus distulisse, quo ipse, videlicet Nehemias Hierosolymis abesset: nempe vt quę vellet, obtinere facilius deinceps nemine prohibente posset. Vocat autem regem Babylonis eum, qui Persarum aliàs rex erat: forsan quia à Babylonijs ipsi captiui illuc deducti essent, & ad Persas imperium Babylonis deuolutum esset. Vtrum autem Artaxerxis annos vltimos, an ætatis suæ tempus extremum eo quod dicit finem dierum, intelligas, perinde videtur esse. Cum enim Artaxerxi Longimano quadraginta quatuor anni regni tribuantur: certè à trigesimo secundo, quo Nehemias è Iudæa ad regem reuersus fuit, vsq. ad quadragesimum quartum duodecim superfuerunt, quorum parte media euoluta forsan hæc peracta sunt. Cumq. Nehemiam eo tempore grandæuum admodum fuisse res ipsa attestetur: mirum non est vltimis eius diebus hæc acta fuisse. Obseruandum etiam hoc est, quod dicit: נִשְׁאַלְתִּי מִן הַמֶּלֶךְ, id est, euocatus sum à rege, vel, requisitus sum à rege. Est enim passiuũ verbum. Noluit nimirum vir prudens & fidus prodere eos, quorũ indicijs hæc cognouerat: ne quod eis periculum crearet, & deinceps ei deessent, qui ipsum earum quę fierent isthic rerum facerent certiorem. Sibi ipsi & reipub. & bonis causis nocet, qui monitores fideles fide parũ bona prodit: estq. iniquissimum suam libidinem explere cum aliorum hominum dolore & damno.

Septimo, octauo, & nono versibus, vt ipsum è medio sustulerit malum, declarat. 1. Suo aduentu, non per literas, & rectè: plus enim præsens mouebat: & epistola nouis exceptionibus nullas habebat paratas confutationes. Sed & apologus de cassita monet, ipse manum admoueas operi, quod maturè & bene perfectum velis: tibi isthic seritur & metitur: tua res agitur. Tu si negligas, qui diligentiam ab alio requiras? 2. Intellexi ait, id est, exploraui: noluit incognita causa iudicare. 3. Visum sibi malum, iustum de eo iudicium tulit. 4. Proieci vasa. Amouenda enim censebat quæ non

decerent

decent. 5. Iussi emundare. Non solum amoueri debent quæ sunt mala, verum etiam in eorum locum sunt reponenda bona. Sic enim optimum remedium rebus afflictis affertur.

10 Et cognoui quod partes Leuitarum non fuissent datæ: & fugisset
vnusquisq; in regionem suam de Leuitis & cantoribus, & de his qui mi-
nistrabant.
11 Et egi causam aduersum magistratus & dixi, Quare dereliquimus
domum Dei? Et congregaui eos, & feci stare in stationibus suis.
12 Et omnis Iuda apportabat decimā frumēti, vini & olei in horrea.
13 Et constituimus super horrea Selemiā sacerdotem, & Sadoc scri-
bam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium
Mathaniæ; quoniam fideles comprobati sunt, & ipsis creditæ sunt partes
fratrum suorum. Memento mei Deus pro hoc, & ne deleas miserationes
meas, quas feci in Domo Dei mei, & in cerimonijs eius.

His quinq; versibus secundum ex ijs quæ Iudæam remp. inuaserant malis eiusq; emendatio describuntur eo modo, vt primum ipsum malum, dein oppositum ei remedium, postremo remedij ipsius effecta videamus.

Versu decimo sic describit malum hoc, vt & quod qualeq; peccatum fuerit admissum, & quod quantumq; fuerit ex eo consecutum malum simul ostendat. Peccatū in hoc admissum fuit, quod suæ Leuitis partes non fuissent datæ. Vbi sane partium, seu, vt habet Hebr. veritas מניות nomine portiones eæ dici videntur, quæ de rebus oblatis ad sacerdotum victum separabantur, iuxta leges Ex.29. Leuit.7.1. Sam.2. 2. Par.31. Has siue pontifex sibi raperet omnes, siue cum Tobia partiretur, siue Tobiæ ministri in sua vasa colligerent, siue exemplo Tobiæ retracti ab officio ciues qui sacrificabant, sibi ipsis prorsus reseruarent, vel parum bona fide darent: erat in vitio, & nocentissimum religionis exercitijs malum. Sed & decimas eis negatas ex eo non obscurè colligi potest, quod paulo post dicuntur rebus omnibus in integrum restitutis decimas dedisse. Erat id peccatum graue & magnum, vt quod esset cum iniustitia, impietate, perfidia coniunctum. Iniustè fiebat, quando hoc est proprium iustitiæ, vt suum cuiq; tribuatur: ergo & suæ Leuitis portiones debebantur. Impium erat facinus, quod vergeret in contemptum diuinarum legum, quibus erat institutum & mandatum, vt darentur. Perfidè vero fiebat, quod paucis antè annis spopondissent se decimas, primitias, & quicquid domui cultuiq; Dei debebatur, bona fide soluturos, minimeq; commissuros, vt domus Dei desereretur. Ab hac ita publicè quasiq; in conspectu Dei facta sponsione eam turpiter ac perfidè discesserint: videre est facile, quā nihil stabilitatis sit & constantiæ in animis humanis: quamq; & externa illa, & animi bona sint mobilia ac fluxa. Damnū autem ex eo malo obortum, eo docet, quod dicit Leuitas ac Sacerdotes, quoniā ex officio suo victum amplius nō haberent, necessitate coactos in sua prædia, vt ex opere rustico quæstū facerent, victūq; compararent, confugisse. Nam Hebręum nomen שדה aruum, pascuum, locum aliquem fœcundum ac cultū potius, vt prędium, quàm regionem significat. Deinde מלאכה tale quoddam opus significat. Ergo hoc modo Leuitas ipsa necessitas parandi victus ad operas rusticas adigebat, sicq; religionis administratio neglecta iacebat. Quocirca peccatum aliud ex alio oriretur, necesse erat. Vt rectè dixerit Aristoteles [illegible], id est, dato vno absurdo, multa præterea alia consequuntur. Si Mecœnates desuerint, vix erunt vlli Flacci Marones. Fit autē abusu temporis & ocij plerunq;, vt eorū, qui præclara studia fouent, numerus decrescat, ipsorumq; loco surgant bonarum literarum & liberalium artium inimici: qualis hic fuit Eliasibus.

Vndecimo illo versu quod dicit: Et egi causam aduersus, &c. remedium oppositum huic malo describit. Quod est sanèquam sapienter & bene factum. Ac primum mali caput ac fontem petit, scilicet optimates, magistratus, principes vrbis, in quorum & exemplo malo, & socordia negligentiaq; omnis huius rei culpa fuit. Rectè ergo omnis huius mali caput ac fontem petit: nec apud plebem queritur: quo facto magistratus in odium & contemptum maximum adduxisset, eoq; res nō modo non emendata, verum suscitatis turbis omnia in deteriorem statum detrusa fuissent. Quamobrem in emendandis vitijs ciuitatum ijs, quorum culpa magistratibus incumbit, omnē rem eam ad ipsos magistratus referemus, quò citra tumultus ac seditiones reip. remedium afferatur. Quomodo vero hoc egerit, verbo ריב vel רוב ostendit: quod iurgare, litigare, argumentis & rationibus contendere significat. Ostendit igitur hoc verbo, se non temere, superbè, petulanter in illos inuectum esse, verum increpatione densa ac rationibus solidis confirmata factū illorū reprehendisse,

& rationes rationibus, exemplisq; exempla, causas causis opposuisse: veluti in foro fieri videmus & illud forense verbum docet. Videtur autem illos & accusasse, & dein argumentis huc eos adegisse, vt nihil excusationis aut defensionis ipsis relinqueretur. Nec dubium est quin eis opposuerit leges & costitutiones. Diligentiã simul ac prudentiam hac actionis forma præ se tulit non vulgarem: quando hoc agit, vt & iuuet ciues simul ac ciuitatem, & in eo ipso minimè impediatur. Verum vt hęc res eò magis magis fit perspicua, castigationis eius exemplũ profert: in quo videre est impressa vestigia ante factæ sponsionis. Cum enim illi dixissent, supra ca. 10 in fine, Et non dimittemus domum Dei nostri: ipse iam eis dicit: Quare dereliquimus domũ Dei? Est acris aculeus iniectus conscientijs eorum: ac si dixisset: cur contra datam Deo fidem fecistis, vt domus Dei penitus neglecta sit quasiq; redacta in solitudinem? Subtractis enim alimentis ijs, qui in ea Dei cultum administrabant, illi vellent nollent, hac deserta ad sua reuerti coacti sunt. Videmus hic tanquam in speculo quid spectet satan, quando ministris religionis subtrahit alimenta: nimirũ vt religionis vsus omnis aboleatur. Sic in ecclesia veteri prophetis necessaria subtrahebantur & dabantur Baalis cultus administris: sic in noua Iulianus Christianis templa claudebat ac scholas, vt omnis eorum disciplina in barbariem quandam redigeretur. Eodemq; stratagemate multi nunc tyranni id agunt vt ecclesiastis sua stipendia sensim minuantur, quò necessitas ipsa durum telum eos cogat ab officio decedere. Maturè ergo Nehemias, ne id accidat ecclesiæ sui temporis, cauet. Dein his addit illud etiam, vt in stationes suas reuertantur. Id enim recta reformatio postulat, vt in suum pristinum locum quæq; restituantur. Quod & Paul. in negotio cœnæ fecit.

Duodecimo & tredecimo versibus successum & effecta conatus huius describit, dicens: & omnis Iuda, &c. Sicut antè decimas & debitas Leuitis portiones promptè dederant: ita nunc excitati cohortatione Nehemię, rursus officiũ faciunt suũ. Idq; probat eo quod dicit nouos quæstores recipiendis fructibus cõstitutos. In quo tamẽ iterũ est obseruãdũ quod se dicit fidos homines elegisse.

Hanc vero secundi mali descriptionem versu 14. claudit hoc modo: Memento mei Deus, &c. Vbi verba Hebræa, si singula singulis reddantur, sic sonant: Memineris mihi Deus mi super hoc: & ne aboleas miserationes meas, quas feci in domum Dei mei & in custodias eius. At videri fortasse queat Nehemias hac clausula quasi iactare factum suum, proq; eo certum aliquod à Deo pręmium seu requirere seu postulare. Quæ tamen opinio, quoniam cum veritate & cum fide & sententia Nehemiæ pugnat, iure est explodenda. Satis enim graues sunt & euidentes causæ, quibus euincitur, hanc pugnare cum veritate doctrinę Christianę. Vna, quod in sacris literis nusquam inuenitur nomen meriti, quodq; D. Paulus id etiam occasione prębita studiosè deuitarit. Veluti cum Rom. scribit: Stipendium peccati mors est, donum autem Dei vita æterna per Christum Iesum Dominum nostrum. Hic si quod esse meritum humanũ Paulus arbitratus esset: sanè quemadmodum æternam vitam morti opponit: sic opponere meritum stipendio debebat: sed re rectius reputata meriti loco gratiam siue donum ponit. Ex quo perspicuum fit mortem quidem merito, vitam autem gratia decerni. Altera, quod actiones nostræ sunt imperfectiores, quàm vt ijs quæ diuinitus nobis tribuuntur præmijs æquari queant. Quod ipsum quoq; Diuus Paul. in eadem epistola satis clarè docet, eo quod dicit: non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur in nobis. Plus ergo accipimus quàm mereamur. Tertia, Cum quidquid boni dicimus ac facimus, eius omnis facultas ex Deo solum nobis oboriatur: non est quod de præclaris dictis atq; factis gloriemur, proq; ijs quæ Deus dedit remunerationem vllam requiramus. Quod autem Deus his & pollicetur & largitur remunerationem, id potius eius bonitati quàm humanis meritis est tribuendum: quippe qua fiat, vt quemadmodum ait Augustinus, sua in nobis Deus coronet dona. Quarta, Quod nihil facimus, ad quod faciendum officij debiti ratione non astringamur, eoq; fiat, vt præmium pro opera debita nullo iure postulemus. Quemadmodum enim seruus pro operis hero pręstitis, & cliens pro officijs patrono factis nullum præmium requirunt, cum quod erat eorum officij fecerint: sic nos quocunq; officij genere Deum coluerimus, ecclesiam eius iuuerimus, famulos eius prosecuti fuerimus, nihil est quod vicissim requiramus: quãdo id debuimus facere, citraque crimen prętermittere nequiuimus. Dicit ergo Luc. 17. Dominus: Sic & vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Iam si fidem & verba Nehemiæ ad illam opinionem referamus, longè diuersum quiddam cernemus. Primum enim is hoc loco nullam meriti mentionẽ facit: nec mercedem vllam huius facti nomine requirit: dein, si confessionem eius supra cap. 9. positam inspiciamus, agnoscit & imbecillitatem & culpam suam: præterea si precationes, quas laboribus & conatibus suis is præmisit semper intueamur, non difficile erit videre, quàm agnoscat se nisi diuinitus excitatum & instructum nihil tale præstare posse: cum deniq; Iudæus esset, boni ciuis officium fecit, & debitam suæ patriæ operam nauauit, id quod alij item pij ciues factitarunt. Quod si inde ab eius fide & moribus ad hæc illius

clausulæ

clausulæ verba veniamus, nihil in hanc sententiam dictum inueniemus. Neq; enim præmium postulat, sed ne sui facti memoria deleatur, petit. Cur antem hoc peteret, nisi iudicaret Deum, siquidē Deus, vt Dauidis verbis vtar, intrare cum ipso in iudicium vellet, alijs eius maculis hoc quantumuis pulchrum facinus delere posset? Credendum est igitur eum petere, vt hoc qualecunq; eius officium Deus in optimam partem interpretetur ac faxit, primum vt siquidē eius exemplo alij incitari ad ecclesiam prouehendam queant, perpetuum extet eius in ecclesia monumentum: dein sibi quoq; ceu quidam arrhabo spiritus gratięq; Dei in ipso operantis nunquā elabatur: deniq; inchoatum in ipso opus suæ & aliorum salutis perficiatur. Hęc est pia postulatio, quę est & fidei Nehemiæ & veritati & voluntati Dei conueniens ac consentanea. Sunt autem hoc ipso capite duæ præter hanc aliæ propè generis eiusdem clausulæ, quarum quæq; suas proprias & huic opinioni contrarias notas habet. Hæc, vt vidimus ne nomen quidem meriti, nedum rem ipsam habet.

15 In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in sabbato, portan
tes aceruos & onerantes super asinos vinum, & vuas, & ficus, & omne
onus & inferentes in Hierusalem die sabbati, & contestatus sum vt in
die qua vendere liceret, venderent.
16 Et Tyri habitauerunt in ea inferentes pisces & omnia venalia: &
vendebant in sabbatis filijs Iuda & Hierusalem.
17 Et obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis, Quæ est hæc res mala,
quam vos facitis & prophanatis diem sabbati?
18 Nunquid non hæc fecerunt patres nostri, & adduxit Deus noster super vos omne malum hoc, & super ciuitatem hanc? & vos additis
iracundiam super Israel violando sabbatum.
19 Factū est autē cum quieuissent portæ Ierusalē in die sabbati, dixi:
& clauserunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vsq; post sabbatū: &
de pueris meis cōstitui super portas, vt nullus inferret onus in die sabbati.
20 Et manserunt negotiatores & vendentes vniuersa venalia foris
Ierusalem semel & bis.
21 Et contestatus sum eos, & dixi eis, Quare manetis ex aduerso
muri? si secundò hoc feceritis, manum mittam in vos, itaq; ex tempore illo non venerunt in sabbato.
22 Dixiq; Leuitis vt mundarentur, & venirent ad custodiendas portas & sanctificandam diem sabbati. Et pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum.

Secundæ narrationi iam tertia adiungitur, octo versib. illis comprehensa: qua tertium ex ijs, quæ Iudæam remp. absente Nehemia inuaserant, malis describitur. Id multò maximum ac grauissimum fuit: vt quod non solum cum legib. diuinis, verum etiam cum auitis gentis moribus pugnaret, quasiq; quoddam prorsus abiectæ religionis argumentum videretur. videlicet violatio sabbati grandis, eaq; proteruè & impudenter continuata. Eodem autem ordine eam rem describit, quem in superioribus secutus est: nempe vt primum malum ipsum, secundo oppositum ei remedium, deniq; effecta remedij recenseat.

Decimo quinto & decimo sexto quidem versib. malum illud tertium depingit verius quàm describat: quando omnes adeo temporis, loci, rerum singularum, personarum circumstantias diligenter quasiq; κατ' ἐνάργειαν exprimit, vt corām omnia videre videamur. Tempus enim dicit: in diebus illis, puta quibus mala paulò antè recitata iam ingruerant. Vtrinq;, & in ijs qui reuocantur in viam, & in eo, qui reuocat, est quod discamus. Qui reuocantur ad officium bis miseri sunt hoc nomine, quod nō vno laborant morbo. Qui reuocat, hoc maiore est dignus laude, quod non vnius aut alterius pestis profligatione frangitur: sed subinde in emendando perseuerat & vlterius procedit. Locum dicit, in Iuda. Multum is illius criminis magnitudinem auget: quando Iudęis obseruandi sabbati causę, & leges eam commendantes, & eius obseruationis mysticæ significationes notiores, quàm alijs populis essent. Huc accedebat etiam editum in illo populo olim iudicio Dei triste exemplum vindicatæ violationis sabbati. Deploratę deniq; impietatis is Iudæus esse visus semper fuisset, qui sabbati religionē contempsisset: ac si qui Dei leges alias violassent, hasce tamen de sabbato & diebus festis studiosè obseruandas iudicabant. Sed & miraculū in colligenda Manna, quanti

fieri sabbatum vellet Deus, significabat. His alijsq; causis Iudæi cùm ab omni sabbati contemptione reuocari, tum magis quàm alia gens vlla ad obseruantiam sabbati debebant excitari. Ergo vel hoc nomine tetrum hoc & quam primum abolendum videri poterat malum. Rem ipsam quę erat multiplex & varia, quasi membris eius vndiquaq; collectis componit, in conspectum omnium producit, & ceu tetram belluam aspiciendam sistit. 1. Calcantes torcularia. Nomen Hebræum גת propriè significat vas in quo contunduntur vuæ, quod LXX. ληνὸς vertunt: à quo & Græcis dicuntur ἐπιλήνια carmina, quæ ad torcularia cantabantur: cuius generis sunt & octauus & octuagesimus primus, psalmi. Hoc opus videri poterat ex ijs esse, quæ prętermitti sine incommodo non possent: verum id potius more maiorum peragendum erat, sic in singulos dies operis distributis, vt vacare sabbato possent. 2. Afferentes aceruos. עמרים nomen & aceruos, & manipulos, & quanta plaustris vehi possunt onera videtur significare: LXX. vertunt δράγματα, id est, manipulos. Plerisq; in locis nomen hoc pro manipulis tritici, frumentiue capitur. vt Ruth. 2. Cant. 7. Credibile est autem in messe, & ante messem quo tempore prata tondentur, eos omnibus his negotijs sabbati religionē posthabuisse. In hoc etiam operarum genere, quid necessitas ferat, est spectandum: sed tamen ijs, qui non nulla diei illius sancti religione ducebantur, non difficile erat tunc vel arua, vel prata tondere, cum fieri posset, vt siquidem pluuiæ non obstarent, detectæ fruges arefieri & conuehi in horrea ante sabbatum possent. 3. Onerantes super asinos. Et hoc cum lege sabbati pugnabat, quę perinde iumentis ac hominibus quietem illā concedi præcipiebat. At auaritia tanta est quorundam hominum, vt quiduis potius susciperent agendum, quàm vt aliquem suis seruis & ancillis quieti locum darent. 4. Pisces inde è Tyro & maritimis locis allatos dicit. Quod præcipuè fieri diebus alijs poterat commodius ac melius. 5. Vendebant omnia venalia. Significat his nimirum fuisse nundinas in diem sabbati reiectas. Hoc agit stulta mortalium sapientia, vt continuis sex diebus omne genus operarum commodè fieri, dein quæ elaborata fuerint, ipso sabbato, non magno cum labore, nec nulla quiete venum exponi posse existimet, & parui referre putat, si quid operis leuioris presertim sabbato fiat: præstare præterea, vt hæc quàm deteriora fiant. At alijs curis animos humanos occupari die sabbati voluit Deus: quæ, si vel tantillum aliud agas, interrumpuntur, hocq; ipso religionis vsus omnis exploderetur. Adhæc est cogitandum, & quæ sabbato conueniunt sabbato facienda: & quæ tetra sunt ac mala, omni tempore cauenda. Peculiaris notatis violatio legis maior apparet: quippe quæ & authoritatem diuinarum legum apud nationes exteras minuebat, & in contemptum adducebat omnem cultum Dei. Tyrij enim, quorum maiores priscis Israelitis amicissimi fuere & nimirum multos habuere, qui religioni veræ fauebant, cum viderent abiectam veteris disciplinæ & doctrinæ curam, tantò magis putarant auocari. Fuit autē Tyrus nobilissima & potentissima ciuitas: olim insula ac septingentorum passuum interuallo à continenti remota: multis ex se datis colonijs, velut Vtica, Leptis, Carthagine, Gadibus insignis. Facile ergo fuit & piscium & mercium omne genus importare vt quæ esset opportuna ad negociationē omnem situ. Ex his intelligi potest sic omnia peracta fuisse, vt Iudæi cum extraneis hominibus in religionis ac legum diuinarum contemptione quasi colludere & consentire, eoq; à fœdere diuino ad harum gentium societatem secessisse viderentur.

Remedium autem huic oppositum malo ita iam describit, vt ostendat se & oratione, & ipso facto hoc oppugnasse. Orationis genus obiurgationis nomine exprimit, ostendens inuectiuā fuisse, tamq; ipsam densam ac grauem & rationibus solidis confirmatam. Quod verbi ריב significatio superius explicata declarat. Exemplum autem eius proponit. 1. Nulla circuitione vsus ab ipsius facti definitione & qualitate exorditur orationem. Quæ est (inquit) hæc res mala? Si quis suum illis factis quærat debitum nomen, est, ait, eius diei, quem sanctum esse iussit pater optimus max. tetra ac fœda pollutio. Si rursus aliquis roget, quale sit hoc crimen: est, ait malum: hoc est, quod pugnet & cum voluntate & gloria Dei, & cum salute & commodis hominum: offendit Deum, & attrahit calamitates. Confirmat autem hoc propositum suum vnico quidem sed eo optimo atq; efficacissimo argumento, quod ab ipsorum pariter ac patrum exemplo ducit, quodq; negare prohibebant eæ, quibus etiamnum premebantur, calamitates. Has dicit etiam contemptione legis huius attractas. Debebant ergo cum alieno tum suo ipsorum proprio damno reuocari ad pœnitentiam & vitæ emendationem. Ac si fœlices sunt, quos faciunt aliena pericula cautos: miseri sunt & deplorandi, quos nec domesticæ, nec suæ propriæ calamitates flectunt ad pietatem. Quod qui paulo altius secum reputant, facilè vident, non potuisse Nehemiam argumentum aliud melius ad mouendos illos afferre. Concludit ergo comminatione maiorum calamitatum, qua ad motum instruit ac comparat orationem: & vos (ait) additis iracundiam super Israel. hoc est, prouocatis Deum ad id, vt quoniam his miserijs excoqui impietas & improbitas nostra nequit, grauiores alias ad eam extorquendam & consumendam addat. Similis eius est hæc comminatio, quæ Rom. 2. extat: vos,

qui sunt

qui ſunt animis obſtinatis,nō cogitare,quod diuina bonitas ipſos prouocare debebat ad pœnitentiam, diuitias diuioæ gratiæ contemnere, & iram Dei colligere & indies magis ac magis augere. Probè vero conueniunt inter ſe verbum θησαυρίζειν,quo Paulus eſt vſus,& אצר verbum, quo Nehemias eſt vſus hoc loco: quando vtrunq; ſignificat aliquid colligere & repooere quaſi in theſauros vel aceruos. Eodemq; modo Deut.32. dicitur Deus habere peccata populi Iſraelij in theſauris ſuis notata: & Hierem.50. Deus dicitur iræ ſuæ theſaurum effuſurus. Hoc ne fiat,emendatiooe cauendum & declinandum monet. Elucet in hac oratione magna vis & grauitas pio & præſertim viro principe digna: nec minor in ipſo facto conſtantia ac fortitudo. Nam vt enumeratione quadā demonſtrat, omnē lapidem mouit vt obtineret obſeruationem legis huius: nec prius opere deſtitit, quàm omnem aduerſariam vim fregiſſet. Primum portas ante ſabbatum occludi curat, nec prius patitur aperiri,quàm ſabbatum prçterijſſet,quò fiebat,vt rerum venalium neq; exportari,neq; importari quicquam poſſet,& præcluſus incolis exitus,extraneis introitus omois eſſet. Cumq; extra muros vrbis mercatores ſemel atq; iterum pernoctaſſent: minis,vt id ne poſtmodum vnquam fieret,effecit. Hoc exemplo par eſt excitari principes ad diligentem & cooſtantem executionem legum: qua, licet multi contumaces ſint,tamen efficitur,vt earum obſeruantiæ ſtetur tandem. Nimis anguſtis ſunt & pauidis animis,qui,ſi primo conatu mali ciues nequeant reprimi, ſtatim animos deponunt, & queruntur ſic increuiſſe mala, vt è medio tolli non poſsint:cum videamus eos magiſtratus qui ſe ſtrenuè eis opponunt, ſemper euadere victores. Quin videmus ſatanam etiam eijci precibus:cur non propulſari hi poſſent,qui nihil habent cum potentia ac verſutia ſatanę comparandum? Magnum in hoc exemplo pondus eſt ad obtinendum ſeueram diſciplinam, Si priuatis hominib. ſiquidē velint,nihil non cedit,quāto magis ijs,qui potentes ſunt & imperiū habent?

Magis iam hanc ſpem confirmat,maioreſq; animos magiſtratibus id addit,quod de ſucceſſu dicit:videlicet,eos,qui conati fuerant improbitate & pertinacia frangere, Nehemię ſeueritate & conſtantia animaduerſa,de propoſito ſuo deſtitiſſe. Sic vincunt,qui conſtanter progrediuntur.

Iam eo quod dicit: Et pro hoc ergo memento,&c. aliam iterum ferè ſuperiori ſimilē clauſulam huic narrationi appendit. Ea,ſi verbum verbo reddas,ex Hebræo ſic transferri poteſt: Etiā huius memineris mihi mi Deus,& propitius mihi ſis ſecundū multam gratiam tuam. His verbis tantum abeſt,vt ſe bene de Deo meritum iactet,vt & agnoſcat vitioſitatem ingenitam,& ne quod hic boni fecit, id hac ipſa Deus obſcurari inficiq; patiatur. Atq; hoc quidem ſibi diuinitus dari non vlla meriti ſui,verum multiplicis miſericordię Dei fiducia petit. Quod argumento eſt eum nec inficias ire peccata in ſanctis etiam hominibus manentia,nec bonorum operum ſuorum fiducia,quod hypocritæ ſolent,niti. Quæ duo ſunt perpetua memoria tenenda. Superbam enim illam & non minus pernicioſam quàm ſtultam ac falſam hypocritarum de ſua ipſorū dignitate & iuſtitia opinionem facilè reprimunt,qui cogitant,quod perfectionem omnem in nobis impediunt morbi nobiſcum naſcentes,caligo mentis humanæ faciens vt de Deo deq; iudicijs & promiſsis Dei ſępe dubitemus,ignorantia multa & varia,manca pietas:itemq; multi vitioſi motus animorum, officij crebra vel remiſsio vel negligentia,errores in omni vitæ & officij genere,impatientia laborū & ęrumnarum voluntate & iuſto iudicio Dei ingruentium: hæc ingenitæ deniq; vitioſitatis moles maior quàm vt cogitatione compræhendi nedum verbis efferri queat. Hæc mala,quoniam ab oculis notitiaq; mortaliū remota ſunt,vulgus non animaduertit,hypocritæ vel diſsimulant,vel extenuant: ſancti licet inchoatam obedientiam & iuſtitiam bonæ conſcientiæ ſentiant, quoniam abs ſe ipſis ſubinde longius,ad Deum autem propius accedere & ad perfectionem peruenire contendunt, facile vident atq; in ſe deplorant & ſtudent emendare. Moſes,Ex.34. Coram te etiam is qui ſit aliàs innocens,non eſt innocens:id eſt, etſi quis ita officium faciat ſuum, vt ab hominibus nequeat accuſari: tamen ideo iudicio tuo, quod io illam abditam & intimam vitioſitatem noſtram penetrat, abſolui innocenſq; iudicari non poteſt. Agnouit hæc occulta vitia quoq; Dauid: vt Pſal.18. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me,& ab alienis parce ſeruo tuo. Pſal.32. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meā Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus. Pſal.134 Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Paul.Rom. 7. Video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ,& captiuum reddentem me legi peccati,quæ eſt in membris. Et Euangeliſtes 1.Ep.1. Si dicimus quod peccatum non habeamus,nos ipſos ſeducimus,& veritas non eſt in nobis. Hanc vitioſitatem nobis omnibus ingenitam Nehemias in ſe etiā agnoſcit, ideoq; præclariſsimi facinoris huius opinione adeo non effertur,vt ad thronum gratiæ & multę miſericordiæ Dei multò magis confugiat,idq; bonum & gratum haberi petat. Eodemq; modo nos,ſi Deus dederit,nos vt aliquid præclarè dicamus & faciamus: non modo non efferamur eius opinione & fiducia, verum potius in domino Chriſto probari ſibi patiatur, ſupplicemus.

23 Sed & in diebus illis vidi Iudæos ducentes vxores Azotidas,
Ammonitidas & Moabitidas.
24 Et filij eorũ ex media parte loquebantur Azoticè, & nesciebant
loqui Iudaice, & loquebantur iuxta linguam populi & populi.
25 Et obiurgaui eos, & maledixi & cæcidi ex eis viros, & decalauaui
eos & adiuraui in Deo, vt non darent filias suas filijs eorum, & non ac-
ciperent de filiabus eorum filijs suis, & sibi met ipsis dicens,
26 Nunquid non in huiuscemodi re peccauit Solomon rex Israel?
Et certè in gentibus multis nõ erat rex similis ei: & dilectus Deo suo erat,
& posuit eum Deus regem super omnem Israel: & ipsum ergo duxerunt
ad peccatum mulieres alienigenæ.
27 Nunquid & nos inobedientes faciemus omne malum grande
hoc, vt præuaricemur in Deo nostro, & adducamus vxores peregrinas?
28 De filijs autẽ Ioiada filij Eliasib sacerdotis magni gener erat Sa-
naballath Horonites, quem fugaui à me.

Eorum malorum, quæ absente Nehemia rem Iudæam publicam inuaserant, quartum, huius cap. parte vltima sic describitur, vt & quod quantumq; fuerit malum, & idipsum quo remedio Nehemias amouerit, intelligamus. Ac primum vt ostendat huius mali vim & magnitudinem: cum malum ipsum, tum quæ ex eo fuerant consecuta damna recenset. Ac malum ipsum vers. 23. ad hunc modũ refert: Sed & in diebus illis vidi, &c. Hæc verba significant in hoc admissum ab Iudæis peccatum fuisse, quod contrà ac lege Dei vetitum esset, matrimonia cum fœminis alienigenis contraxissent. Vt autem res ipsa magis esset perspicua, gentium earum, ex quibus istæ mulieres essent oriundæ, nomina eduntur. Et primum nominantur Azotides, quę nimirum essent ex Azoto oppido oriundæ. Azotus autem, quæ Hebræis אשדוד dicitur, ex quinq; Palestinæ primarijs vrbibus vna fuit, medio inter Ioppen & Ascalonem loco sita: cum potens tum celebris: vt cuius etiam Strabo lib. 16. meminerit, eiusq; incolas inter præcipuos Syriæ populos numerauerit. Meminit itẽ eius Volaterranus lib. 11. Geograph. Imprimis crebra fit eius in sacris literis mentio. vt Ios. 11. capta ab Iosua: Ios. 15. tribui Iudæ tributa: 1. Reg. 6. Dagonis Deastri sui lapsu nobilitata. Sed prophetę eius meminerunt: vt quod Tartan dux Sargonis Assyriorum regis copiarum eam cepit, Esaias cap. 20. refert: vt quod Iudæos captiuos vendiderit Idumæis Amos cap. 1. reprehendit: vt quod alias res de hac Hier. 25. Amos 2. Sophon. 2. Zachar. 9. narrant. Et Act. 9. Philippus illic euangelium prædicasse memoratur. Obseruandum autem fortasse fuerit, quod Azotij illi genti annumerantur, cuius incolæ præ cæteris ἀλλόφυλοι nominantur: vt qui maximè extranei, maximeq; cauendi viderentur. Quod etiam in Commentarijs ad prophetam Amos D. Hieronymus obseruauit. Qua de causa maius etiam hoc illorum peccatum fuit, qui cum hominibus gentis tantopere cauendæ, in affinitatem coierunt. Secundo loco nominantur Ammonitides, quæ ex Ammonitis gente Iudæis inprimis inimica natæ essent. Rabba primaria ciuitas eorum fuit, cum Dauidis psalmis, tum historia sacra celebrata: Melchon Deus eorum fuit. Amos item ca. 1. in illorum vitam ac mores oratione saneq; graui inuectus est. His dein annumerantur Moabitides, ex Moabitis Arabica gente oriundæ. Hæ duæ gentes ex incestu natæ fuerunt, inimicæ populo Dei: vt qui Israelitis extorribus commeatum & transitum negarunt: quarum etiam rex Nahas non alia lege pacem Israelijs concedere voluit, quàm si paterentur sibi oculos effodi: quarum item Hanon rex alius Dauidis legatos grandi ignominia affecit. Harum iniuriarum omnium perinde ac diuinæ legis vel obliuione, vel negligentia, vel proterua ac degenera contemptione est factum, vt cum illis gentib. in affinitatem venirent. Quod & impium, & à virtute alienum, & stolidum factum fuit: impium, quia pugnaret cum obseruantia debita Deo matrimonia talia probibenti: alienum à virtute, quod ad iniurias adeo graues conniuerent, & authoribus earum adeo seruiliter submitterentur: stolidũ, quod ab ijs quærerent atq; expectarent beneuolentiam mutuam, quibus se sciebant magis quàm dici posset inuisos esse. Germanorum vulgus desipere maximè eum dicit, qui desertis aut contemptis amicis fidis eos potissimum sequitur ac colit, quos ipsi minimè esse amicos non nescit. Der liebs sucht da keins ist. Quò pertinet etiam, quod in eam sentinam ac colluuiem se præcipites darent, è qua Deus ipsos exemerat: ijs se suosq; liberos maculis fœdarent, quas eis abluerat Deus: illorũ esse similes vellent, è quorum societate Deus ipsos, vt sibi peculium quoddam essent, segregarat. Damnum autem ex hoc illorum peccato consecutũ seq. vers. refert hoc modo: Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, &c. Quod indicio est ex eo, quod ignaras religionis & linguæ Hebrææ vxores duxissent, id

ſent,id conſecutum,vt ipſorũ quoq; liberi patriæ religionis atq; linguæ pariter imperiti eſſent: ſed confuſo quodam atq; ex patria pariter ac peregrina lingua permixto ſermonis genere vterentur. Quibus autem linguis illę gentes vſæ fuerint,niſi quantum ex coniecturia colligi poteſt,non arbitror quicquam dici poſſe. Veriſimile tamen eſt Azotios aut Phœni[illegible]o,aut Punica,aot aliqua vicina lingua: Moabitas autem & Ammonitas vel Arabico vel Syriaco, vel aliqno propè ſimili idiomate vſos eſſe. Iam oportebat Hebræorum liberos eum ſermonem diſcere, quem à matribus ipſos educantibus potiſsimum audirent. Ex quo perſpici poteſt,ex peregrinis & illicitis nuptijs malum in educationis puerilia diſciplinam deriuatum fuiſſe. Quę res præclaro documento eſt eos,qni ſibi ſpem bonæ poſteritatis & optimorum liberorum integram eſſe velint,hoc vnicè eniti oportere,vt quàm optimas ducant vxores,ni in portu puerilis educationis impingere velint. Etenim ad educationem optimam,quemadmodum Plutarchus prudenter & eruditè ſcribit,hęc tria potiſsimum requiruntur:natura,diſciplina,conſuetudo. Quacunq; rerum earum deſtituare,actum de poſteritate putes. Nam & in agricultura,fundus bonus,recta ſatio,ſemen optimum requiruntur. Natura ſi deſit, aut fruſtra laboratur , aut non quantum laboras,efficitur. Nihil enim inuita dices facieſue Minerua: & Naturam expellas furca,tamen vſq; recurret. Diſciplina autem prorſus eſt adhibenda. Sicut enim eum,cuius nullus eſt vſus,cultrũ rubigo inuadit ac conſumit,corpus exercitio carens ſocordia frangit ac debilitat , aqua ſtagnans & omni deſtituta motu putreſcit : ſic indoles & mens humana doctrina magis excitatur & acuitur,hac deſtituta ſenſim deficit ac conſumitur. Conſuetudinem rectè eſt dictum,eſſe alteram naturam: & vſus artem facit. Vnde quidam Theſſalus quinam omnium Theſſalorum eſſent abiectiſsimi,interrogatus, eos qui ignauiſsimi atq; omnium ociosiſsimi eſſent,dixit. Iam autem vſu compertum eſt, harum rerum omnium pondus maximum inde à matribus pendere. Nam ſi naturam ſpectes,non abs re eſt,qnod Iurecoſs.dicunt,partus ventrem ſequitur:plerunq; enim vt facie & forma ſic indole & natura matres liberi repræſentant. Vnde & Archidamnm à Lacedęmonijs mulctatum ob id pecunijs,idem ſcribit:quod vxorem admodum,puſillam ſibi matrimonio iunxiſſet,vt qui reginas eis potius quàm reges editurus eſſe videretur. Si deinceps diſciplinam & conſuetudinem ſpectemus,ſanè maxima pars educationis puerilis matribus incumbit , vt cum qnibus inde à cunabulis vſq; ad ſexennium maximus omnis vitæ eſt vſus:ab his & incedere,& loqui,& quicquid eſt ætatis primę diſcunt. Quocirca minimè eſt mirandum matrum vitia ac morbos ſerpere in animos,in corpora,in vitam ac mores liberorũ. Ac quanquam horum omnium propè minimum eſt ſermo:tamen qnoniam hic eſt omninm notitię maximè expoſitus,ex eo Nehemias de reliquis ad educationem puerilem pertinentibus rebus faciendã coniecturam cenſet : nimirum liberos eorum vnà cum extranea lingua peregrinitatem omnẽ imbibiſſe. Quod damnum non minus publicum,quàm priuatum fuit:priuatum,quod ſuam cuiq; familiæ virtutis auitæ laudem minueret edita ſobole degenere: publicum,quod educatio liberorum mala ciuitati,quam in liberis habebat ſpem bonorum atq; fortium ciuium in herba perditum iret. Pertinebat eòdem,qnod conditio fœderis initi cum Deo poſtulabat , vt liberi Deo adducerentur. Verum id tunc fieri non potuit, cum matrum improbitate ad omnẽ peregrinitatem auocarentur. Ingens igitur eis ex hoc pacto fuit obortum damnum. Ex his perſpicuũ fit,magnum hoc & duplici de cauſa nocens malũ fuiſſe: vna,quod Deum offenderet,altera, quod damnũ maximũ afferret.

Iam vt amouerit malũ hoc Nehemias primum ipſo facto,quaſi admota manu,dein oratione & verbis,verſ.25.& inde ad cap. finem, oſtendit. Qua in commemoratione multa ſunt obſeruatu digna. Veluti primum quod dicit:obiurgaui. Vbi rurſus eſt tenendum memoria,quod Hebraici verbi vis indicat eum exceptiones omnes eis præripuiſſe,eoſq; huc adegiſſe, vt omni excuſatione deſtituti qnemadmodnm poſtquam lapſi eſſent parentes noſtri, prorſus nudi in dedecore manifeſto & confeſsione culpę ſtarent. Atq; hęc eſſe prima pars omnis correptionis debet: quando aliter nec mala tolli,nec mali qui ſunt curari poſſunt. Sic cum Dauide Nathan,cũ Ezechia rege Eſaias,cum Iudæis Baptiſta egerunt:vt agnitum peccatum deteſtarentur ac deprecarentur ipſi. Et hoc remedium omnibus ſimul videtur adhibuiſſe. Secundo loco dicit: Et maledixi eis. Quod Hebraica veritas verbo קלל indicat , hoc exprimit ille verbo maledicendi. Id & ſi nonnullis in locis videatur pro maledicẽdi verbo poni,tamẽ aliquid minuere,deq; põdere,precio,dignitate & honore alicuius detrahere propriè vereq; ſignificat:cumq; verbo כבר opponatur,non obſcurum eſt de eo potius, qui in contemptũ adigitur,& aliquanta ſuæ dignitatis parte minuitur potius quàm de eo qui diris deuonetur,dici. Quod cum ita ſit: videtur reos aliqua leuiore quàm ſit capitis diminutio,pœna affeciſſe. Eſt enim capitis diminutio quędam prioris ſtatus mutatio:ſicut indicant Caius in l.j.de ca. dimin. & Imp. Inſtit. eod. tit. Caput enim pro ſtatu proq; iure ciuitatis & libertate ſumitur:vt Cic. in Piſonẽ dicit,ciuẽ indemnatũ integri capitis. Eſt aũt hęc triplex, vt placuit Iuriſperitis: maxima, qua libertas aufertur: media, qua ciuitas adimebatur: minima, qua familia mutabatur : ſcilicet aut

adoptione, aut emancipatione, aut arrogatione. Iam erant praeter has nonnullae poenae leuiores: vt irrogatio damni cũ infamia coniuncti, dignitatis alicuius depositio, alicuius actus prohibitio: quarum meminit Vlpian. in l. aut damnum. ff. de poen. Quib. dignitas magis quàm status permutatur. Qua de causa qui à Senatu moti fuerint, hi capite minui non censentur: vt docet Modestin. in l. iij. de senat. Etsi enim infames fiant ob turpitudinem: tamen nec libertatem, nec ciuitatem, nec familiam perdunt: l. ij. ff. eod. tit. Manere enim eis concessum fuit à Seuero & Antonino. Atq; huius generis leuiorum poenarum aliquam illis videtur Nehem. irrogasse, qua minuerit eorum dignitatem: siue eos, siquidem sacerdotes essent, functione sui muneris aliquantisper prohiberet: siue eos qui senatores aut iudices essent, ordinis sui hominũ cõsessu excluderet: siue eos, qui priuati ciues essent, aliquo actu, aut aditu conuentuq; honesto prohiberet. Quod genus poenae etiam nostra aetate sunt vsitata. Et sanè eos, qui sui generis originem non poterant probare, sacris exclusit, donec sufficientem probationem nancisceretur. Quo quidem eius facto magis etiam in hanc sententiã adducor. Tertiò dicit: Cecîdi ex eis viros. vbi rursus est inspiciẽda vis verbi Hebraici. Id enim significat certa quadam ratione percutere. Quocirca videtur id poenę genus referre, quod Deut. 25. diuinę legis verbis expressum extat hoc modo. Sin aũt eum, qui peccauit, dignũ viderint plagis: prosternent eum & curã se facient verberari. pro mensura peccati erit & plagarũ numerus: ita duntaxat vt quadragenarium numerũ non excedat. Hoc genus supplicij post ea, quib. vitã reo adimebant, imprimis vsitatũ Hebręis fuit. Sunt tamen de eo variae sententię doctorũ. Aliqui putant arbitrio iudicis constitutũ, quot verbera de triginta nouẽ detraherentur, habita quadam corporũ constitutionis ac roboris ratione. Alij contrà putarunt omnib. sontib. triginta nouẽ plagas inflictas, verũ robustioribus grauiores. Cumq; lex dicat, eum, qui punitur prosternendũ, ex eo nonnulli colligunt ipsum nudũ in pauimento iacentẽ loro vitulino verberatũ fuisse. Quodq; scribitur, והכהו לפניו id est, & verberet eum in conspectu suo, vel, ante faciem suam: id sic accipiunt aliqui, vt sontis hominis pectus nudũ plagis excipiendis obiectũ fuisse potent. Mihi videtur haec legislatoris mens fuisse, vt in conspectu iudicis reus iacens in pauimento verberaretur: nec pluribus verberib. quàm quadraginta, qui maximè verberandus videretur. Meminit huius supplicij Paulus quoq. 2. Cor. 11. cum se dicit à Iudaeis quinquies quadragenas plagas vna minus accepisse. Eodem loco meminit & alterius generis poenarũ quo Graeci pariter & Romani in seruos & barbaros sontes animaduertere consueuerunt, cũ se scribit ter virgis caesum. Qua de re & Lucas Act. 16 scribit. Sed & Christus flagellis caesus fuit. At ciues Romanos non licebat virgis castigare: sicuti Paulus expostulat cum Philippensibus super hac iniuria: & Dion li. 54. scribit Augustum Cyzicos Bithyniae populos ideo libertate priuasse, quod ciues Romanos flagellatos occidissent. Nehemias autem in eos, qui caeteris contumaciores & duriores essent, hoc supplicij Iudaeis vsitato genere animaduertit. Quarto dicit: Decaluaui, seu, euulsi illis pilos. Ad exprimendũ hoc supplicij genus vtitur eo verbo Hebraeo, quo sub initium huius libri quoq; est vsus. Videtur autem & hoc quasi quoddam supplicij genus significare. Equidem Vlpianus in l. si quis forte § nunc genera ff. de poenis, recitat quinq; genera poenarum: quarum primum vitam adimat, secundum seruitutem adiungat, tertium ciuitatem auferat, quartum exilium decernat, quintum adhibeat corporis coercitionem. Seu autem Hebraeis haec in vsu fuerint omnia, seu nonnulla tantum: ad illud vltimum genus, scilicet corporis coercitionem, hoc caluitij adiuncti supplicium videtur referendum. Etenim capilli sunt natiuum capitis ornamentum: vnde & eorum pulchritudine & copia legimus nonnullos quasi triumphasse, ac rursus dolere multi, quando capillus deciduus areas eis in capite facit: qui morbus quoniã vulpibus frequenter accidit, ab illis ipsis apud Graecos nomen accepit. Videtur ergo hoc ornamentum illis abstulisse, eoq; ceu quodam genere poenae in eorum petulantiam ac luxum animaduertisse. Tribus autẽ de causis hoc videtur fecisse. Prima, vt eos non solum in peccati abs se patrati, verum etiam in eius, in quem hoc admisso deuenissent, status notitiam adduceret: nempe vt viderent se libertatem cum seruitute commutasse, eamq; in sentinam ac colluuiem suapte culpa deiectos, è qua Deus ipsos pro sua bonitate eruisset. Id autem commodius ac melius fieri non poterat, quàm posito in corporibus eorum symbolo seruitutis: quod caluitium omnino fuit. Etenim capilli insigne libertatis plerisque populis olim fuere. Qua de causa placuit Lacedaemonijs, vt comam serui raderent, ingenui nutrirent. Vnde & serui raso & aperto capite incedebant. Et potuit fieri vt eadem de causa Gallis & Lusitanis comatis esse liberet. Sicut & Romani iuuenes aequè ac senes intonsi fuere, donec P. Ticinius è Sicilia tonsores Romam adduxisset. Nazarei quoque lege Mosis intonsi erant: vt qui prae caeteris ciuibus liberi, sancti, Deo dicati viderentur. Igitur abrasis capillis voluit illis indicare, nuptijs illis venundatam libertatem, attractam seruitutem, à Deo factos ipsos alieniores. Opus est autem inprimis & peccati, & eius, in quem peccato admisso detrudimur, status notitia: vt excitetur sensus ac dolor mali, quo propulsemur ad deprecandum culpam, atq; ad vitę emendationem.

Altera,

Altera, vt quoniam deplorandũ eorum factum fuit, sumpto habitu lugubri mœrorẽ ac luctum sibi inde ex eo peccato obortũ quasi publicè significarent: ac quos exemplo peccati illius admissi paulo antè offenderant atq; ad petulantiam similem pellexerant, eos iam pœnitentiæ & vitæ emendationis exemplu meliore ad diuinarum legum studium atq; obseruantiam reuocarent. Quod ipsum quoq; melius ac facilius non potuit efficere, quàm imposito signo luctus, quod caluitium fuit. Et sanè comam deponere, fuisse quondam Hebræis pariter ac Græcis luctus signũ historię geuris vtriusq; attestantur. Etenim Argiui cum aliàs essent comati, quando à Lacedæmonijs victi essent, Tyriosq; amisissent, vt luctũ suũ publicè testarẽtur, capillos totõderunt, donec amissa recuperarẽt. Milesij item capta ac direpta à Crotoniatis Sybari, capitibus rasis luctum testati sunt. Hebræis autẽ idem quoq; luctus signum vsitatũ fuisse, id argumento est, quod Esa. 15. Moabitis caluitium minitatur, & Ezechiel 27. Tyrijs. Eodemque modu Nehemias hosce etiam seu euulsione seu abrasione crinium adigere voluit ad eius, qui pœnitentes decet, doloris publicam professionem. Tertia, vt quoniam nec scandalum nisi vitæ emendatione tolli, nec salui conseruari ipsi, possent, ni quàm primum eò reuersi fuissent, vnde eos praua libido auocarat: publica omnium, ac priuata ipsorum salus postulabat, vt ab immunditie contracta perpurgarentur. Atque huc eos hoc externu purgationis signo voluit prouocare. Caluitium autem siue crinium abrasionem huiuscemodi lustrationis symbolum fuisse tam legibus, quàm exemplis Hebræorum probari potest. Sic enim & Leuitæ cum à reliquis Israelijs segregarentur, ac Deo dicarentur, omnes corporis sui pilos abradere iubebantur: nempe vt abradendam atque expurgandam omnem veteris hominis vitiositatem atque immunditiem meminissent. Quicunque etiam lepræ nomine suspecti fuissent, his per totum corpus rasis videbatur immundities omnis auferri: sed & extat in Deuteronomij libro lex quædam iubens, vt alienigena bello capta prius cæsariẽ radat, vngues pręscindat, vestes veteres exuat, quàm cum vllo Israelita veniat in matrimonij societatem. Iam quoniam hi illicitis nuptijs ijs sic se contaminassent, vt æquè atque illæ, quibus cum ipsas contraxissent, impuri euasissent: eadem lege Nehemias eos ad radendos crines adegit, qua Moses olim mandato Dei captiuas fœminas radi iussit antequam Iudæis matrimonij lege iungerentur. Sicque subinde sequitur vestigia legum Dei. Quintò dicit: Et adiuraui eos, vt ne darent filias suas filijs eorum &c. Qua ratione eus obstringit ad obseruantiam diuinarum legum: ut ne qua leuitate inde ab ea reflecterentur: iurisiurandi religionem ceu repagulum molientibus eruptionem opposuit. Medice sanè & ciuiliter factum. Solent enim medici prudentes non modo morbi materiam medicamentis expurgantibus amouere, verum etiam bonam valetudinem reparare & confirmarè suppeditatis medicamentis hanc confirmantibus, & præscripta bona vitæ victusque ratione. Est item ciuilis prudentiæ, primum omnem disciplinam ad ciuiles leges reuocare: quæ ratione in officio homines omnium optimè continentur: dein iurisiurandi religione ad optimarum legum ac iuris disciplinam retinendam vti. Atque hæc quidem ille ad amouendum malum istud fecit. Ex quibus perspici potest, eum cũ acri iudicio in hoc peccatum animaduertisse, tum vero maximè cuiusque rei naturæ & moribus ac fortunis conuenientem castigationem coercitionemque adhibuisse: nempe vt quo quenque maximè reprimi, atq; ad pœnitentiam vitæque emendationem retrahi posse existimaret, eo ipsu genere pœnarum aduersus ipsum vteretur. Omnibus erat delicti sui magnitudo cognitu necessaria: in omnes ergo oratione graui inuehitur, eorumque factum, vt merebatur, reprehendit. Optimatibus ac principibus viris dignitate sua, qua reliquis ciuibus anteibant, nihil erat antiquius, nec quicquam poterant amittere, cuius ęgrius iactutam ferrent. Eos igitur loco suæ dignitatis mouet, eosque quasi in ordinem eorum cogit, & inde è suo gradu retrahit ad eos, quibus pares se peccando iam antè fecissent. Qui priuati fuerant, eorum alij liberi, serui alij fuere. Seruos, pro eo ac natura sunt illiberali, nec nisi plagis emendantur, plagis punit. Ingenuos autem, cũ præter libertatem nihil haberent dignitatis, cuius diminutione plecti possent, natiui decoris puta capillorum ademptione plectit. Cumque minimè sufficiat sontes affici pœnis: sed id etiã quod plectendo queritur opus sit obtineri: nempe vt ne post iterum fiat quod modu factum punitur: iurisiurandi religione cohibet omnes ne quid in posterum tale patrent. Atque hæc quidem omnia facta sunt ab eo sane quàm prudenter & bene.

Iam quoniam & eorum, qui castigantur, & eorum, quibus editur castigationis exemplum pariter interest, vt ne castigatio sit muta, sed & ipsi & reliqui ciues intelligant, quàm iustè moderatè necessario supplicio sontes afficiantur: quamq; ac hoc vnum executione iuris maximè quæratur, vt ad obseruantiam legum ciues reliqui totos se componant, exemplum orationis eius, quàm ad pœnas adiunxit Nehemias, iam vigesimo sexto & vigesimo septimo versibus comprehensum ob oculos ponitur. Continet autem hęc vnum tantum argumentum ab exemplo eoq; domestico sumptum, & ad propositam causam sanę quàm aptũ atque accommodum.

Quaqua vero parte consideretur, videbitur à comparatis ductum. Si Solomon harum artibus deceptus est: quanto magis ipsi? Argumenti vis omnis est in Solomonis sapientia posita. Nam si ille falli potuit, quid alij polliceri sibi de simplicitate & inscitia sua possunt? Item, si peregrinæ nuptiæ Solomoni tam potenti & glorioso regi nocuerunt: quantò minus vobis afferent damnum? Vis rationis est in Solomonis potentia, gloria, authoritate, maiestate posita. Hanc si illę minus sunt reueritæ: quid obscurus, miser, inglorius, contemptus noster status illas, quò minus ipsum aggrederentur, deterrebit? Item, si Solomoni suo Deus nō pepercit: quantò minus nobis? Auget argumenti pondus Solomonis partim sapientia, partim potentia: quas opponit eorū ingenij pariter ac virium imbecillitati. Item, si Solomoni suo Deus non pepercit, quantò minus vobis? Hic argumenti vis est in eo, quod in maximo Solomon apud Deum etiam pretio fuit. Verū hoc planè copiose tractat & amplificat adhibitis circūstantijs vtrinque considerandis. In Solomone considerandum monet 1. quod rex esset: caput scilicet gentis, cuius authoritatem ac potentiam qui vel mediocriter saperet, reuereri, ac propterea ne tentaturus quidem fallaciam aduersus ipsum vllā videretur: ne si illa animaduersa esset, periculum aliquod ingens crearet. At nihil hæc aduersus muliebres ei profuit technas. 2. quod in gentibus non fuit similis ei. Id probare Nehemias poterat testimonio Dei ipsius, qui Solomoni responsum in hanc sententiam dedit: Ecce feci tibi secundum sermones tuos & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantū, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post resurrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemō fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Verum hæc Solomonis & aliorum principum comparatio qualis sit, quamq; in sententiam accipienda videatur: de eo bifariā dubitatur, & diuersæ sunt sententiæ doctorum. Primum enim an Solomon hominibus in primisque viris illustribus, quotquot per vniuersam Sacram scripturam pietatis, sapientiæ virtutumq; aliarum nomine celebrantur, omnibus anteponatur: dein si tantum inter ipsum atque reges comparatio fiat, verū omnibus omnium gentium regibus anteponatur, quęrunt. Iam ad id quod primū quęritur, an præferatur Adamo quoque & patriarchis reliquis, & Mosi, & cæteris viris illustribus, quorum incomparabilis sapientia fuit, quidam prolixè & admodum altè repetita ratione respondent, esse duplicem sapientiam: vnam in naturalis intelligentiæ luce versantem, qua qui sunt illuminati decursum siderum, & omnium rerum naturam, itemque ciuilis scientiæ & morum disciplinæ & liberalium artium præcepta tradiderunt: alterā autem in rerum altiorū scientiam penetrantem, quæ bene beateque viuendi rationem & cœlestem doctrinam profitetur. Harū priore putant Solomonem excelluisse: vnde & Christus dixerit, ecce plus quàm Solomon hoc loco. Mihi vero opinio illa non vsque adeo probatur: cum quia Solomon non videtur hanc cœlestem de filio Dei deq; cultu Dei sapientiam ignorasse: tum quia comparatio proposita non agit solum de sapientiæ, verum etiam de gloriæ & potentiæ & diuitiarum nomine & laude. Etsi igitur Adamus rerum naturæ & omnis philosophię scientissimus, Moses itē polyhistor egregius alijq; sane quàm eruditi fuere, tamen nec reges, nec adeo vt Solomon diuites & potentes fuere. Quamobrem ad reges est reuocanda collatio. Quod si fiat, rursus quęritur, an ne Ægyptijs regibus qui ipsi quoque sapientiæ nomine celebres fuere, vel Dauide patre cuius cum potentia tum sapientia maxima fuit: vel Babylonijs, Persicis, Macedonicis regibus, qui coniunctam cum diuitijs ac potentia gloriam maximam habuere, præferendus etiam videatur. Vix enim queat demonstrari fuisse eum vel Alexandro Magno celebriorem, vel Iulio & Augusto potentiorem, vel Persicis regibus ac Crœso ditiorem. Quocirca ad id nonnulli confugiunt, vt existiment eum, cum solis Iudæorum regibus comparari. Quæ sententia, si nomen נכרים quod Hebræi solis extraneis & alienis à religione populis tribuunt, hoc loco positum spectemus, stare non potest. Verisimilior igitur & simplicior hæc erit sententia, qua statuitur non solam vel sapientiā, vel gloriam, vel potentiam, vel diuitias, verum hęc omnia in vnum eundemque Solomonem collata dici, quod præter ipsum alij contigit nemini, nempe vt his omnibus præstaret, tum vt putemus cum multis, non cum omnibus eum comparari. Quanquā oraculi verba sonant, non fuisse futurumue ei similē quenquā. Porro quod ad Christum attinet, cuius typus Solomon fuit, notior est differentia, quàm vt debeat pluribus verbis explicari. 3. Dilectus (inquit) erat Deo suo. Amorem, quo Deus complexus est Solomonem, cum tantis ei datis bonis, tum oratione & verbis ipse est attestatus Deus. Primū enim patri Dauidi promissis amplissimis tantæ gloriæ & potentię filij spem fecit, dein ipsi Solomoni in Gabaon immolanti iussit quicquid sibi dari vellet postulare: post etiam cum templum perfecisset, longaq; habita ad Deū oratione consecrasset, rursus ei visus est, & amplissimis promissis honorum & bonorū spem fecit. Quę res erant indicia satis clara propensissimæ erga regem voluntatis: quando & hoc nomine Moses prophetis alijs antefertur, qui Deū habuerit adeo familiarem. 4. Et posuit eum Deus regem super omnē Israel. Hoc magno momento pondus authoritatis & laudis eius augendo: quando ipse primogenitus

non

non fuit, ideoque regni iura ad aliũ fuissent deuoluta, ni singulari consilio Deus hunc ad regnum elegisset. Qua de re 3. Reg. 4. & 1. Par. 5. Et vnxerunt (inquit Scriptura) secundò Solomonẽ filium Dauid super solium Domini pro Dauid patre suo, & cunctis placuit: & paruit illi omnis Israel. Eo ipso patrem superauit, quod initiò statim omnibus tribubus præfuit: cũ pater postquã vnctus esset, diu Saulem, & eo mortuo Abnerũ aduersarios habuit: ac postquam in Hebron aliquantisper regnasset, demũ omnium tribuum regnũ adeptus est. Quin Solomon thesauros ingentes & tributarios populos & multa à patre reposita bona citra laborem ac sumptus acquisiuit. His omnibus quantus Solomon princeps fuerit, indicatur. Verũ his ipsis aduersus mulierem astũ, qui minus seduceretur, haudquaquam satis munitus fuit. Quod quidem in Solomone spectandum monet. In illis ipsis contrà quid reprehendat quidúe desideret, hoc modo ostendit: Nunquid & nos inobedientes &c. Quam sententiam veritas Hebraica sic effert, si verbum verbo reddamus. Et vobis obsequimur ad faciendum omne malum illud magnum, ad peccandum in Deum nostrum ducendo vxores peregrinas? Id est, Num exemplo vestro pateremur ad isthæc illicita matrimonia contrahenda contrà ac leges nostræ ferunt, quenquam ferri: cum Solomonis tanti principis exemplum terrere mendum ab hac re tam pestifera tamque noxia nos reuocet atque deterreat? Relinquit hoc exemplum sic præsertim ab eo tractatum & dilatatum aculeos in eorum animis maiores, quàm si mille rationes ex scholis attulisset. Fuit igitur eximiæ prudentiæ, quod hoc vno causam illã agendam duxit. Cum enim plurimum habeant exempla non solum authoritatis ad probandum, verum etiam iucunditatis ad audiendum, vt quę proponant quasi quædam specula atque in his ipsis expressas expetendarum fugiendarumq; rerũ imagines, ex quibus documenta publicis simul ac priuatis commodis vtilia, alieno vel periculo vel consilio capiamus: minimè mirandum est Nehemiam virum prudentem & eorum, quibus cum ei res fuit, ingenia ac mores considerantem, exemplis potius quàm scholasticis aut philosophicis argumentis vti maluisse: quod his quàm illis magis mouerentur.

Hac adiuncta ad iuris ac legum executionẽ oratione egregia ac tantæ seueritatis causas complectente, deinceps 28. versu vnum eis ex omni numero reis nominat, eoque non obscurè significat, quàm difficile sibi fuerit id efficere, vt in viam se reuocari paterentur. Dicit enim vnũ de Eliasibi summi pontificis generum Sanballati fuisse. Quo nomine fuerit appellatus hic non dicit: sed ex Ioiadæ filijs vnum fuisse dicit. Ioiadam autem Iosephus Iudam appellauit. Eius filium Nehemias Ioananum, quem Ioannem vocat Iosephus, supra nominauit. Is patri successit in officio, Nehemia, cap. 12. & Iosepho testantibus. An is Sanballati gener fuerit, hinc quidem sciri non potest. apud Iosephum autem negatur. Scribit enim is Iesum quendam huius fratrem fretum fiducia auxiliorum Vagosis propinqui sui cum Iohanne fratre in certamen de pontificatu venisse abeoque in templo oppressum. Qua causa Iudæi tributarij facti sunt vsque ad Alexandri Magni tempora. Atque hic fuit fructus illiciti matrimonij: scilicet studia partium, æmulationes, cædes domesticæ, violatio templi, seruitus publica. Atque hæc quidem mala breui illa notatione complexus est Nehemias, eoque significat quantæ molis ei fuerit, malum illud amouere: quando principũ virorum filij, qui non opibus ac potentia sua domesticaque gratia valerent modo, verum etiam externorum auxiliorum affinitate scilicet attractorum fiducia ferocirent. Nec quisquam est, qui non reformidet contumaciã cum potentia coniunctã. Summus pontifex iam antea offensus erat: hoc facto vulnus offensæ pristinæ refricatur. Verum hic quid facto opus sit, exemplo suo Nehemias docet: quanquã subobscurè. Nam quod dicit: Fugaui eum à me: incertum est, vtrum vi in fugam versum, an in perpetuum exilium profligarit. Pellicanus ad excommunicationem refert. Rabi Solomon autumat eiectum è ciuitate: ne quod solent exploratores facere, exeuntes & intrantes videret, de ijs audita ad socerum referret. Similis affinitatis meminit supra cap. 6. Siue ergo eum senatu mouerit, siue ciuitatis omnis regnique finibus eiecerit: perinde est documẽto, vt hos vel vitemus, vel à communis ciuitatis finibus arceamus, vel quod est omnium consultissimũ, è medio tollamus, qui pacem tranquillitatemq; publicam labefactant motibus clandestinis, & rei salutique publicæ insidiantur.

29 Recordare Domine Deus meus aduersum eos, qui polluunt sacerdotium, iusq; sacerdotale & Leuiticum.

Quanto vero opere & studio malis illiusmdi sit occurrendũ, & ipse quoq; tunc occurrerit, 29. versu conuersa ad ipsum Deum oratione declarat hoc modo. Recordare Domine &c. Quæ verba R. Solomon in eam sententiã accipit, ac si pro sontibus intercederet apud Deum: facias (ait) tu bonum quod ipsi fecerunt. In contrariam autem sententiam hæc eadem R. Aben Ezra accipit, ac si iustum iudiciũ Dei aduersus illorũ contumaciam imploraret, dicens. Recordare eis ad dandam eis mercedem eorum. Iam vtra potior sit interpretatio, quæri nimirũ possit: quando R. Solomo-

nis sententia videtur piorum hominum naturæ & spiritui magis consentanea, nempe vt pro miseris peccatoribus apud Deum intercedant: velut apud Lucam colonus apud herum pro sterili ficu, Abrahamus pro Sodomeis, Esaias, Daniel, Christus ipse pro peccatoribus intercedunt: Paulus item & Petrus pro magistratibus etiam impijs orandum iubent. Rursus euenire videmus iustis ac necessarijs de causis, vt sancti Dei serui sceleratis hominibus dignas eorũ factis pœnas imprecentur: vel, vt castigati resipiscant, vel, vt siquidem sit eorũ impietas deplorata, penitus extincti peccandi nocendiq; faciant finem, eorũq; vindictæ exemplo alij deterreantur à peccando, & diuino verbo sua dignitas ac authoritas restituatur. Quod genus imprecationes Dauidis in psalmis, itẽq; in sermonibus prophetarum & apostolorum videmus. Est autem cauendum in primis, ne temerè vel odio hominum, vel praua libidine mala cuiquam imprecemur, idq; zeli diuini titulo post orнemus. Bene sanè Christus ignem cœlitus expetentibus ait: nescitis cuius spiritus sitis. Hic Nehemiæ cum pertinacissimis simul ac contumacissimis hominibus res fuit. Qua in re quantũ contaminatione sacerdotij malum fuerit admissum, exitus commonstrauit.

30 Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis: & constitui ordines sacerdotum, & Leuitarum, vnumquenq; in ministerio suo: & in oblatione lignorũ in temporibus constitutis & in primitijs: memento mei Deus meus in bonum, Amen.

Vltimo capitis huius versu triplicem conclusionem comprehendit: quarum prima hanc de solutis matrimonijs illicitis narrationem vltimam, secunda libri illius postremã, quæ est de instauratione reipub. & ecclesiæ partem, tertia librum totum claudit. Hanc narrationem claudit primo versus membro, quò dicit: igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis. Quod nimirũ factum est repudijs ac diuortijs. Potuerunt autem hæc matrimonia eo ipso iure solui, quo vetita fuerant, cunque iure diuino contrahi non possent: nulla fuerint necesse est, eoque facilius ac iustius solui potuere. Quin ipsi quoque doctores Iuris Canonici confitentur, matrimonia legibus canonicis vetita, quatenus de facto processeriot, retractari: modo ea separatio citra iudiciũ ecclesiæ non fiat c.iij. eod. tit. Statuunt item, si coniugum infidelium alter ad Christum conuertatur, altero in vetere errore perseuerante, & vel cohabitationem detrectante, vel blasphemiæ causam præbente: posse eum qui fidelis sit, ad alias nuptias absque ecclesiæ licentia transire. c. quanto. Illis sane leges erant, quibus erant huiusmodi peregrina matrimonia vetita: et si coniunx alienigena pia esset, legem de eius purgatione erant. Ad harum legum obseruantiam suos Nehemias reducit: nec poterat illis in re vetita perseuerantibus vlla veniæ spes esse. Vltimam libri partem claudit cõmemoratione rerum aliarum, quas itidem in integrum restituerit. Hæc enim omnia ad reformationem sunt referenda, quam reliquis rebus omnibus prætermissis vnam hac illius libri parte describit. In quibus primum obtinet locum ordo sacerdotum & Leuitarum, in eum qui 1. Par. 24. à Dauide constitutus fuerat, modum redactos: secũdum lignorum apparatus ad alendum perpetuũ ignem; tertium primitiæ & oblationes. Quę res recitatæ significant summam in reformando diligentiam ac fidem. Quæ virtutes in fideli seruo Dei, cumprimis requiruntur: eaque de causa quoque referuntur. Totum autem librum claudit hac clausula, Memento mei Deus in bonum. Quibus verbis se suaq; officia Deo cõmendat, ac petit, vt ea benignè accipere dignetur. Quo modo omnium interest hominum in negotijs Dei versari: nempe vt si quid prę stiterimus boni: meminerimus nobis hoc diuinitus expetendum, vt quoniam id ope & afflatu spiritus sancti potius fecerimus, quàm nostro Marte: pater opt. max. in vnigena filio suo probari sibi patiatur, ac non solum ecclesiæ suæ, verum etiam nobis ipsis fœlix ac faustum faxit. Amen.

FINIS.

